DOXOGRAPHI GRAECI

COLLEGIT RECENSUIT PROLEGOMENIS
INDICIBUSQUE INSTRUXIT

HERMANNUS DIELS

OPUS ACADEMIAE LITTERARUM REGIAE BORUSSICAE
PRAEMIO ORNATUM

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS G. REIMERI
MDCCCLXXIX

PLACITORUM SCRIPTORES INSUNT

AETII DE PLACITIS RELIQUIAE (PLUTARCHI EPITOME, STOBAEI EXCERPTA)
ARII DIDYMI EPITOMES FRAGMENTA PHYSICA
THEOPHRASTI PHYSIC. OPINIONUM, DE SENSIBUS FR.
CICERONIS EX L. I DE DEORUM NATURA
PHILODEMI EX L. I DE PIETATE
HIPPOLYTI PHILOSOPHUMENA
PLUTARCHI STROMATEON FR.
EPIPHANII VARIA EXCERPTA
GALENI HISTORIA PHILOPHA
HERMIAE IRRISIO GENTILIUM PHILOSOPHORUM

Tardi ingeni est rivulos consectari, fontes rerum non videre

Cicero

HERMANNUS DIELESIUS HERMANNO USENERO S.

Non mirabere, praeceptor carissime, a Tuo nomine quod auspicatum volo hoc Doxographorum volumen. Tuum enim est quod iam Tibi reddo neque id uno nomine Tuum. nimirum fata sua habet et hic libellus, quae enarrare neque iniucundum videtur et certe utilius quam quod solent de ratione sua et instituto prooemiari. Tu igitur cum ante viginti et quod superest annos Theophrasti causa Placita attigisses spretisque priorum somniis primus veram eorum indolem perspicere coepisses, salutare iniisti consilium colligendi quidquid istarum litterarum superesset, unde et origo aperiretur et per temporum decursum propagatio. accessit socius consilii C. Wachsmuthius, qui Laertio et Biographis idem se auxilium laturum pollicebatur. qui cum paulo post in Italiam profectus esset, egregium conlatorum codicum apparatum congessit. sed mox cum in alium uterque studiorum campum vocaretur, factum est ut pristini consilii ardor paulatim refrigesceret. ac metuendum erat, ne eo difficilior fieret quo magis procrastinaretur labor. quare Tu quidem vicarium circumspicere coepisti et cum ante XI annos philosophorum Bonnensium ordo more maiorum ad certamina adulescentes invitaret, auctor fuisti, ut Placitorum memoria explicanda proponeretur. interim me ut periculum facerem facile persuasisti. nam etsi quam impedita esset quaestio haud quaquam me celaveras, tamen ipsa difficultas iuvenilem ardorem excitavit et effecit, ut intra perexiguum spatium totum illarum litterarum orbem peragrarem et extrema quaestionis lineamenta recte plerumque adumbrarem. sed festinata ista studia etsi nec Tibi nec ordini displicuere, quantum a perfectionis laude abessent, optime ipse intellexi. nam utendum mihi erat editionibus vulgaribus, quae quam fallaces essent, Wachsmuthii schedis edoctus eram. itaque postquam insigni Galeni exemplo incredibilem illam corruptionem etiam publice sum testatus, iam editiones Placitorum ad optimam codicum fidem recensendas mihi proposui. quem ad finem dum aut ipse perambulo bibliothecas aut amicos precibus fatigo, ecce programma adfertur ab Academia litterarum Berolinensi m. Iulio a. MDCCCLXXIV propositum:

„*Plutarchi qui feruntur libri* περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις *quomodo et quando scripti sint, inquiratur, quae ratio inter eam compilationem similesque alias intercedat, exponatur, qui auctores qua ratione a compilatore adhibiti sint, determinetur.*“

quo nuntio quid mihi tum exoptatius potuit accidere? quod diu moliebar, idem fere illic praescriptum vidi. igitur nihil moratus in novum illud certamen descendi, et cum nec Tuum nec ceterorum amicorum auxilium petenti deesset, saepe etiam ultro offerretur, Placitorum corpus cum Prolegomenis assiduo labore maturatum statuta die a. LXXVII summatibus illis viris traditum est, quibus Academiae mandatu iudicium erat ferendum. qui cum probassent ac praemio dignum iudicavissent opus typis describi coeptum.

Tu vero ne tum quidem Placitorum fuisti immemor. nam luctanti per biennium cum preli monstris, quantum quidem per valetudinem ac negotia vacares, numquam mihi defuisti neque ullam fere plagulam remisisti, quin aut emendando aut dubitando me egregie adiuvares. quodsi non omnia tam perfecta vides et perpolita, quam et exspectare poteras et ipse cupiebam, memineris velim quod haud raro sum expertus Hesiodeum 'ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ'. *ceterum si quid novercae invidia damni inlatum observaram, in Addendis correxi, reliqua corrigent quibus id curae erit. nihil enim vehementius opto, quam ut alii veniant in partes, qui agro olim horrido, nunc sane cultiori suam velint impendere operam. inprimis autem C. Wachsmuthio gratum fecisse cupio Stobaei eclogas diu expectatas, diutius agitatas edituro. qui si non inutiliter praelusisse me iudicaverit, gratiarum quas illi debeo maximas aliquid saltem rettulisse videbor. nec tacenda est hoc loco officiosa amicorum voluntas inprimis Ivonis Brunsii Berolinensis, Maximiliani Bonnetii Parisiensis, Friderici de Duhn Gottingensis, Benedicti Niesei Marburgensis, Hieronymi Vitellii Florentini, qui codicibus excutiendis optime sunt de Doxographis meriti. deinde gratissima memoria prosequor Eduardum Zellerum, virum summum, qui studia nostra tam publice quam privatim benevolentissime semper adiuvit.*

Tibi vero, Usenere, cum debitam meritamque gratiam agere instituo, haesitare me sentio et rubore subfundi. adeo me praegravat beneficiorum Tuorum vel quaesitorum vel oblatorum multitudo. quodsi verum iudicas, quod aiunt quidam, turpe esse vinci beneficiis, desperandum mihi esse video. sin vero, qui rebus non potest, animo aequare liberaliter conceditur, ne ego faciam ut nunquam desideres amorem nostrum vel pietatem. interim qui liber Tuae fuit propensissimae voluntatis testis, eundem voti nostri accipe sponsorem gravissimum. vale.

SCR. BEROLINI KAL. OCTOBR. MDCCCLXXIX

PROLEGOMENA

PROLEGOMENON CAPITUM CONSPECTUS

I DE PLUTARCHEAE EPITOMES MEMORIA

Plutarchi quae fertur de Placitis epitomen primus attigisse videtur Philo Iudaeus, si modo hunc locum libri primi de providentia ab eo scriptum esse credimus:

I 22 p. 11 edit. armen. latin. Aucher. Haec [mundum cum procreatis] Plato a deo facta fuisse novit et materiam per se ornatu carentem in mundo cum ornatu ipso prodiisse; hae enim erant primae caussae unde et mundus fuit. quoniam et Judaeorum legis lator Moyses aquam tenebras et chaos dixit ante mundum fuisse.

	Plut. de Placit. I 3
Plato autem materiam	21 Πλάτων . . . τρεῖς ἀρχὰς τὸν θεὸν τὴν ὕλην τὴν ἰδέαν.
Thales Milesius aquam	1 Θαλῆς ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ.
Anaximander Milesius infinitum	3 Ἀναξίμανδρος δὲ ὁ Μιλήσιός φησι τῶν ὄντων τὴν ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον.
Anaximenes aerem	4 Ἀναξιμένης δὲ ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο.
Anaxagoras Clazomenius homoeomeriam	5 Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰς ὁμοιομερείας ἀπεφήνατο.
Pythagoras Mnesarchi filius[1] numeros commensurationes et harmonias[2]	8 . . . Πυθαγόρας Μνησάρχου Σάμιος . . . ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ . . .
Heraclitus[3] et Hippasus Metapontius ignem	11 Ἡράκλειτος καὶ Ἵππασος ὁ Μεταποντῖνος ἀρχὴν τῶν πάντων τὸ πῦρ.

---

[1] armeniace Mnesarqaj ordi, quod cum Aucherus divideret Mnes arqajordi ad verba recte, ad sensum inepte vertit Mnes regis filius. veram lectionem et hic et infra debeo Gildemeisteri benevolentiae.

[2] harmoniam perperam Aucher.

[3] Heraclides falso Aucher.

Empedocles Agrigentinus ignem aquam aerem terram et duo principia amorem et odium	20. Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος Ἀκραγαντῖνος τέτταρα μὲν λέγει στοιχεῖα, πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν, δύο δὲ ἀρχικὰς δυνάμεις, φιλίαν τε καὶ νεῖκος.
Aristoteles Nicomachi filius formam materiam privationem elementa quatuor et quintum aetherem	22. Ἀριστοτέλης δὲ Νικομάχου Σταγειρίτης ἀρχὰς μὲν ἐντελέχειαν ἤτοι εἶδος ὕλην στέρησιν, στοιχεῖα δὲ τέσσαρα, πέμπτον δέ τι σῶμα αἰθέριον ἀμετάβλητον.
Empedocles mundum unum nec tamen universum esse[1] illum sed minorem istius universi partem, reliquum vero inertes materiae[2]	5 2. Ἐμπεδοκλῆς δὲ κόσμον ἕνα, οὐ μέντοι τὸ πᾶν εἶναι τὸν κόσμον, ἀλλὰ ὀλίγον τι τοῦ παντὸς μέρος, τὸ δὲ λοιπὸν ἀργὴν ὕλην.
Zeno Mnaseae filius[3] aerem deum materiam et elementa quatuor	3 25. Ζήνων Μνασέου Κιτιεὺς ἀρχὰς μὲν τὸν θεὸν καὶ τὴν ὕλην . . . στοιχεῖα δὲ τέσσαρα.

Ceterum in superioribus suis verbis dicebat: 'cuius pars sub corruptione iacet, necesse id est totum quoque obnoxium esse corruptioni.' nec enim sine toto partes constare possunt neque totum sine partibus. nam mundus universus unum corpus est e multis partibus a deo compositum. nec tamen ut alii quidam sapientum animal esse mundus censendus est sed artificiosa harmonia concretionem nactus.

Adscriptis Plutarchi locis de origine dubitatio esse nequit. nam unum quod discrepat Zeno aerem deum ex graeci exempli vitio ἀέρα pro ἀρχάς exhibentis fluxit, nisi Armenium lapsum credere mavis. sed quomodo tempora conciliabis? Pseudo-Plutarchi epitome minimum C annis post Philonem confecta est, ut infra demonstrabitur. itaque ad pristinum Placitorum opus, unde illa epitome coacta est, confugiendum erit. at ne huic quidem opinioni tempora favent. nam ut minimum sumam suppar fuit Placitorum conditor Iudaei aetati. sed quid opus est ratiunculas sectari in re incredibili? mira enim foret et prodigii similis consensio si ex unius capitis olim multo ampliore ambitu philosophorum (omissis Archelao et Epicuro) fecisset Philo eundem delectum, qui in Plutarchea epitome extat. accedit quod in pristino libro patris nomen philosophorum nomini ac patriae addi solet. patres cognovit Pythagorae

[1] esse omisit Aucher.

[2] Aucherus dederat optionem: reliquum vero vacuum esse materia aut vacuam esse materiam. nostrae versionis fidem praestat Gildemeisterus, qui addit dubium esse utrum pluralis materiae (níuthq) interpretis an librariorum libidini tribuendus sit. copula [est vel sunt] deest in armeniacis.

[3] armen. mnasaj ordî, falso Aucherus Menae filius. in proximis liberius verterat: ceterum superius dicebat atque artificiosa quadam harmonia compactus.

Aristotelis Zenonis Philo, eosdem Plutarchus: ignorat Thaletis Anaximandri Anaximenis Anaxagorae patres cum illo. discrepat unus Empedocles, nam Platonis ratio paulo diversa.

Ergo Plutarchus compilatur, sed non a Philone. quid igitur? dubitandumne de libris de providentia, qui quantum scio in suspicionem numquam inciderunt? minime. parata est lenior ac probabilior ratio. qui vel leviter Philonei stili proprietatem gustaverit, eiusmodi nominum seriem quae a catalogi siccitate nihil distat in ullo usquam libro inveniri negabit. accuratius vero intuenti mirum videri debet, quam non cum prioribus atque insequentibus ista enumeratio cohaereat. ne multa, Philoneae orationi insertus est pannus ex Plutarcheis consutus. ac fieri potest, ut Platonis memoria librarium impulerit ut similia in margine colligeret, quae tum ut fieri solet in continuam scripturam irrepserunt. quare admodum miror C. Wachsmuthium, qui Plutarchi immemor 'Zeno — compositum' tanquam ignotum fragmentum Zenonearum reliquiarum spicilegio suo [commentat. I de Zenone Citiensi et Cleanthe Assio. Gotting. 1874 p. 8. n. 5] inseruit. fortasse schedulis suis fisus librum non iterum inspexit. alioqui obstipuisset quo orationis genere in istis excerptis dici posset 'ceterum in superioribus suis verbis dicebat'. quis? quo in libro? quemadmodum superioribus? in Plutarcho certe nusquam, cuius eclogam non ultra et elementa quatuor progredi certissimum est. ac ne illud quidem dubitatione caret, num recte post compositum verbis relatis ab Auchero finis sit impositus. nam in armeniacis deest talis significatio. immo mihi quidem multo rectius post corruptioni virgula poni videtur, ut proxima sint scriptoris argumenta. at quis tandem illud superius dixit? nempe Philo ipse.[1] revolve librum, ecce eadem iam § 9 p. 6 occupata 'etenim si pars corruptioni obnoxia est, corruptioni obnoxium et totum sit oportet'. iterum § 13 p. 7: 'corruptio particularum alicuius partis et iterum corruptio minimae partis huius particulae si ex ipsa natura atque essentia corporis oriatur, praesignat corruptionem quoque futuram corporis totius.' nec secus § 14: 'qui ergo . . . videt conditionem animantium . . . et universim omnium rerum quae in mundo sunt ac fuere quod nempe in fluxu sint, nonne universum mundum ad normam partium suarum habiturum esse corruptionem fatebitur? item denique § 17 p. 9: 'quum enim ut ostendi partes mundi per destructionem corrumpi videam, cur non maiores quoque et vel ipsa elementa . . . destruenda fore concedam, quum iam de partium corruptione omnes consentiant?' neque semel ac bis, sed per omnem

[1] in plane idem ultro incidit Gildemeisterus, qui et ipse virgulam post corruptioni ponendam monebat. quantum insit in Philone Stoicorum philosophiae, docet Zellerus III 2 p. 342[1], 352 sq. Siegfried Philo Alex. p. 140. sed possunt multa addi. de Stoica origine illius syllogismi constat ex Laertio VII 141: ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον [ἅτε γεννη-

disceptationem iste Stoicorum syllogismus inculcatur, cuius si Zenoneam originem vindicare voluisset, antea locus erat idoneus. ergo Philonis verba in memoriam revocantur. at mirabere extare dicebat, ubi dicebam dictum expectas. nolo iterum Armenium erroris accusare quod ЄΙΠΤΟΝ et ЄΙΠΤЄΝ confuderit. immo multo latius patet corruptio. rem dicam haud scio an primus sed apertissimam. tenemus priorem librum de providentia non integrum sed ab interpretibus excerptum ac pristina forma privatum. quis enim illam disputationem acrius et punctim persequi potest quin disserendi miram inconstantiam vel potius hiatus manifestos offendat? contra alter liber apta disputandi continuatione non caret interpretumque fides Eusebii fragmentis confirmatur. sed is dialogi formam exhibet Philone et Alexandro amice de providentia contendentibus. eadem arte priorem conscriptum fuisse ut per se consentaneum est, ita alterius exordio confirmatur. § 1 p. 44 ut audiat quae de providentia dicenda *supersunt.* § 2 p. 45 parum abest quin dicam totam me noctem vigilem transegisse quae a *nobis ambobus* dicta sunt ruminantem. paulo infra: quandoquidem in iis etiam quae *heri confessi sumus* immanendum est ut in concessis a nobis. potestne aliquid apertius et conceptis magis verbis enuntiari? nihilo setius Auchero inepta potius proferre placuit, quam prioris libri truncatam condicionem adgnoscere. apparet enim disserentium personarum nomina et quae ad dialogi speciem pertinebant exsecta, argumenta ac ne ea quidem plena excerpta esse. hac vero luce cum alia illustrantur tum illae interrogationes § 2. 3. 4 servatae, quas interpres artificiosa quadam explicatione (cf. § 17) excusat. ergo illud dicebat correctum videtur ab eo qui dialogi vestigia utcunque delere sibi proposuerat. itaque ab eodem Plutarchea interpolata esse dixeris, sed praestat graecum exemplar scholio illo auctum fuisse existimare.

Plutarchei libelli quaedam vestigia apparent in Athenagorae supplicatione pro Christianis Marco Aurelio Antonino et Lucio Aurelio Commodo a. 177 nuncupata [cf. Ottonis praef. LXV sqq.]. inprimis caput de deis et de daemonibus heroibusque compilatum est. c. 23 [21]: πρῶτος Θαλῆς διαιρεῖ ὡς οἱ τὰ ἐκείνου ἀκριβοῦντες μνημονεύουσιν εἰς θεὸν εἰς δαίμονας εἰς ἥρωας· ἀλλὰ θεὸν μὲν τὸν νοῦν τοῦ κόσμου ἄγει, δαίμονας δὲ οὐσίας νοεῖ ψυχικὰς καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων, ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθάς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας. contracta sunt Plutarchi I 7 11 Θαλῆς νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεόν et I 8 2 Θαλῆς . . . δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς· εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων. καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθάς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας. excerpsit Athenagoras satis diligenter praeterquam

τὸν τῷ λόγῳ τῶν δι' αἰσθήσεως νοουμένων om. Suid., del. O. Heine]. οὐ γὰρ [corr. O. Heine, οὔ τε codd.] τὰ μέρη φθαρτά, ⟨φθαρτόν⟩ ἐστι καὶ τὸ ὅλον. τὰ δὲ μέρη τοῦ κόσμου φθαρτά, εἰς ἄλληλα γὰρ μεταβάλλει· φθαρτὸς ἄρα ὁ κόσμος. Zenoni haec tribuere studuit Philonis loco non usus Zellerus Hermae vol. XI 422 sqq. in re fortasse non falsus, argumentis tamen nixus infirmioribus.

quod Plutarcheis νοῦν τοῦ κόσμου non recte articulum addidit [cf. Krische Forschung. p. 39[1]]. liberius ex eodem c. I 7 31. 33 Aristotelis Stoicorumque decreta de deo c. 6 translata sunt. nimirum scriptor iusta philosophiae institutione imbutus [cf. Otto p. XLVIII] sua idoneo loco immiscere sententiasque suo arbitrio ordinare non dubitavit. velut in Stoicis [Plut. I 7 33] non solum quae media sunt prima collocavit, sed etiam orationem traditam δι' ὅλης τῆς ὕλης δι' ἧς κεχώρηκε παραλλάξεις sic emendabat: κατὰ τὰς παραλλάξεις τῆς ὕλης δι' ἧς κτλ.[1] ut Thaletis de daemonibus opinioni Platonis sententiam e Timaeo p. 40 DE petitam adiungere placuit, quam Volkmannus Vit. Plutarch. I 169 ex eodem fonte continuatam non recte iudicavit, ita Stoicorum quoque opinioni vulgarem sane suae memoriae addidit doctrinam: Ζεὺς μὲν κατὰ τὸ ζέον τῆς ὕλης ὀνομαζόμενος, Ἥρα δὲ κατὰ τὸν ἀέρα καὶ τὰ λοιπὰ καθ' ἕκαστον τῆς ὕλης μέρος δι' ἧς κεχώρηκε καλούμενος. quae veriloquia cum similibus Stoicorum somniis repetuntur c. 22 [18]. nimirum haud paenituit eruditum virum eundemque Atheniensem etiam liberiore imitatione quae legerat exprimere. itaque si attentius scriptoris verba circumspicias, etiam c. 16 [13] Plutarcheae lectionis indicia apparent.

Athenagor.	Plutarch. I 6 2
καλὸς μὲν γὰρ ὁ κόσμος καὶ τῷ μεγέθει περιέχων καὶ τῇ διαθέσει τῶν τε ἐν τῷ λοξῷ κύκλῳ καὶ τῶν περὶ τὴν ἄρκτον καὶ τῷ σχήματι σφαιρικῷ ὄντι ...	καλὸς δὲ ὁ κόσμος. δῆλον δ' ἐκ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ χρώματος καὶ τοῦ μεγέθους ... σφαιροειδὴς γὰρ ὁ κόσμος. § 5. καὶ ἐκ τοῦ μεγέθους καλός. πάντων γὰρ τῶν ὁμογενῶν τὸ περιέχον καλόν. § 6. ὁ μὲν γὰρ λοξὸς κύκλος ... πεποίκιλται.

Anceps est quaestio utrum excerpserit Athenagoras Plutarchi Placita an maius illud opus, cuius illa est epitome. illud mihi probatur, hoc R. Volkmanno Leben Plut. I 169 qui ampliora illa quibus Plutarchum superat Athenagoras ut Platonica [c. 23] et Philolai Lysidis Opsimi Pythagoreorum de deo decreta [c. 6] indidem manasse opinabatur. at Platonis locos ad verbum descriptos afferre Placitorum a consuetudine abhorret et Pythagoreorum de deo opinio diversa enumeratur I 7 18. adde quod uno loco — neque enim in tanta excerptorum paucitate minuta sunt neglegenda — dissentientibus Plutarcho et Stobaeo epitomatorem sequitur Athenagoras.[2]

Constantini aetate Eusebius multa e Plutarcho excerpsit, quem librum inter alios multos et egregios in Alexandri Pamphilique bibliothecis repperisse videtur [hist. eccl. VI 20. 32]. illa excerpta eo sunt maioris

---

[1] idem repetitur c. 22 καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ διὰ τῆς ὕλης κεχωρηκὸς κατὰ τὰς παραλλάξεις αὐτῆς ἄλλο καὶ ἄλλο ὄνομα μεταλαγχάνειν.

[2] Plac. I 7 33 καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίνεται Plutarchus cum Athenagora — καθ' οὓς ἅπαντα Stobaeus. quoniam singulorum vocabulorum fidelior est testis Stobaeus, ἅπαντα genuinum duco, ἕκαστα a Plutarcho propter πάντας proxime praecedens mutatum. quae Volkmannus postea [N. Jahrb. f. Phil. 1871 p. 683] de Placitorum fatis protulit sciens hic neglexi.

facienda, quo minus sive Eusebius ipse sive qui ei fuit a manu suis coniecturis indulserunt.[1] collecta sunt in Praeparationis Evangelicae libris XIV et XV, quibus excerptis talia praemittit XIV 13 9: σκεψώμεθα δῆτα λοιπὸν ἤδη ἄνωθεν ἀρξάμενοι τὰς τῶν εἰρημένων φυσικῶν φιλοσόφων δογματικὰς πρὸς ἀλλήλους ἀντιδοξίας. γράφει δὴ ἀθρόως ἁπάντων τῶν Πλατωνικῶν ὁμοῦ καὶ Πυθαγορείων τῶν τε ἔτι πρεσβυτέρων φυσικῶν φιλοσόφων ἐπικεκλημένων καὶ αὖ πάλιν τῶν νεωτέρων Περιπατητικῶν τε καὶ Στωικῶν καὶ Ἐπικουρείων τὰς δόξας συναγαγὼν ὁ Πλούταρχος ἐν οἷς ἐπέγραψε Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις φυσικῶν δογμάτων, ἐξ ὧν παραθήσομαι ταῦτα. excerpsit XIV 14 1—6 ex Plut. I 3 1—4. 11. 18. 20. tum praemissis his πάλιν δ' οὖν ὁ Πλούταρχος τὰς περὶ θεῶν ὑπολήψεις τῶν αὐτῶν τοῦτον γράφει τὸν τρόπον compilavit XIV 16 1 ex Plut. I 7 1. 2, deinde XIV 16 2 ex eodem loco §§ 5. 6, quibus praefatur: Ἐπὶ τούτοις πάλιν τὸν Ἀναξαγόραν εἰσάγει, πρῶτον φάσκων αὐτὸν ὀρθῶς φρονῆσαι περὶ θεοῦ. tum XIV 16 3—10 sequitur Plut. l. c. §§ 7—18. 31—34.

Eclogis l. XV insertis haec prolusit XV 22 69: διό μοι ἀναγκαῖον εἶναι δοκεῖ καὶ τὰς περὶ τῶνδε δόξας ὁμοῦ συναγαγεῖν, τάς τε διαστάσεις αὐτῶν καὶ τοῦ τύφου τὸ μάταιον ἐπιθεωρῆσαι. θήσω δὲ καὶ ταῦτα ἀπὸ τῆς Πλουτάρχου γραφῆς, ἐν ᾗ τὰς περὶ τούτων ἁπάντων ὁμοῦ τῶν τε πρεσβυτέρων καὶ νέων δόξας συναγαγὼν τοῦτον γράφει τὸν τρόπον.

excerpsit	XV 23. 24. 25	ex Plut. II 20. 21. 22
	XV 26. 27. 28. 29	ex Plut. II 25. 26. 27. 28
	XV 30. 31	ex Plut. II 13. 14
	XV 32	ex Plut. I 4

quae ad Praeparationis consilium utilia restabant, ea longa serie XV 33—61 ad verbum descripsit. his ipse indicem praemittit XV 32 8—10, quem comparatis Plutarchi capitibus hic adponere iuvat.

Τοιαύτη καὶ ἡ θαυμάσιος αὐτῶν κοσμογονία. συνῆπται δὲ τούτοις ἄλλη τις πλείστη λογομαχία παντοίων πέρι προτάσεων ἀπορησάντων

εἰ χρὴ τὸ πᾶν ἓν ἢ πολλὰ ἡγεῖσθαι καὶ εἰ ἕνα τὸν κόσμον ἢ πλείους.	XV 33	ex Plut. I 5
καὶ εἴτε ἔμψυχος οὗτος καὶ προνοίᾳ τυγχάνει θεοῦ διοικούμενος εἴτε καὶ τἀναντία.	XV 34	ex P. II 3
καὶ εἰ ἄφθαρτος ἢ φθαρτός	XV 35	ex P. II 4
καὶ πόθεν τρέφεται	XV 36	ex P. II 5
καὶ ἀπὸ ποίου ἤρξατο ὁ θεὸς κοσμοποιεῖν	XV 37	ex P. II 6

[1] contra priorum virorum doctorum ut J. Scaligeri Niebuhrii Hullemanni iniquiora Valckenarii Dindorfiique nimis amica iudicia omnino vere iudicavit J. Freudenthalius Hellenist. Stud. I p. 3 sq. qui discernenda esse et librorum et excerptorum genera bene monuit. Plutarcheae eclogae, ut quae κατὰ λέξιν descriptae sint neque christianam doctrinam tangant [cf. Volckmann in Zelleri annal. theolog. 1855 p. 244 [2]] plurimum habent auctoritatis. cf. J. Bernays de Theophr. l. de piet. p. 173.

περί τε τῆς τάξεως τοῦ κόσμου	XV 38	ex Plut. II 7
καὶ τίς ἡ αἰτία τοῦ αὐτὸν ἐγκλιθῆναι	XV 39	ex P. II 8
περί τε τοῦ ἐκτὸς τῆς τοῦ κόσμου περιφερείας	XV 40	ex P. II 9
καὶ τίνα τὰ δεξιὰ καὶ τὰ ἀριστερὰ τοῦ κόσμου μέρη.	XV 41	ex P. II 10
περί τε οὐρανοῦ	XV 42	ex P. II 11
καὶ πρὸς ἅπασι τούτοις περί τε δαιμόνων καὶ ἡρώων	XV 43	ex P. I 8
περί τε ὕλης	XV 44	ex P. I 9
καὶ περὶ ἰδεῶν	XV 45	ex P. I 10
περὶ τῆς τοῦ παντὸς τάξεως	XV 46	ex P. II 15
ἔτι μὴν περὶ τῆς τῶν ἄστρων φορᾶς τε καὶ κινήσεως	XV 47	ex P. II 16
καὶ πρὸς τούτοις ὁπόθεν φωτίζονται οἱ ἀστέρες	XV 48	ex P. II 17
καὶ περὶ τῶν καλουμένων Διοσκούρων	XV 49	ex P. II 18
περί τε ἐκλείψεως ἡλίου καὶ σελήνης	XV 50. 51	ex P. II. 24. 29
καὶ περὶ ἐμφάσεως αὐτῆς καὶ διὰ τί γεώδης φαίνεται	XV 52	ex P. II 30
καὶ περὶ τῶν ἀποστημάτων αὐτῆς	XV 53	ex P. II 31
καὶ ἔτι περὶ ἐνιαυτῶν	XV 54	ex P. II 32.

9. ταῦτα δὲ πάντα διὰ μυρίων τοῖς περὶ ὧν ὁ λόγος κατεσκευασμένα ἐπειδὴ τεμὼν ὁ Πλούταρχος ἐν ὀλίγοις συνεῖλεν ἐπὶ ταὐτὸν ὁμοῦ συναγαγὼν ἀποφάσεις καὶ τὰς διαφωνίας αὐτῶν ἡγοῦμαι καὶ ἡμῖν οὐκ ἄχρηστα γενήσεσθαι [αὐτὰ] παρατεθέντα εἰς τὴν εὔλογον αὐτῶν παραίτησιν. * * * . 10. προσθήσω δὲ ἑξῆς τοῖς εἰρημένοις ὅσα καὶ περὶ τῶν προσγειοτέρων ἐπηπόρησαν

περὶ γῆς ⟨καὶ⟩ σχήματος καὶ περὶ θέσεως καὶ ἐγκλίσεως αὐτῆς	XV 55. 56. 57. 58	ex P. III 9. 10 11. (12) 13
καὶ ἔτι περὶ θαλάσσης	XV 58	ex Plut. III 16.

ὡς ἂν εἰδείης ὅτι μὴ περὶ μόνων τῶν μετεώρων καὶ μεταρσίων οἱ γενναῖοι διέστησαν, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐν τοῖς περιγείοις διαπεφωνήκασιν. ἵνα δὲ τῶν σοφῶν ἔτι μᾶλλον τὴν σοφίαν ἀποθαυμάσῃς, προσθήσω καὶ ὅσα περὶ ψυχῆς [XV 59 ex P. IV 4] καὶ τοῦ ἐν αὐτῇ ἡγεμονικοῦ [XV 60 ex P. IV 5] διεμαχήσαντο οὐδὲ σφᾶς αὐτοὺς ἐπιγνῶναι οἵας εἶεν φύσεως δεδυνημένοι.

Quod de fide Eusebii supra dictum est, insigni quodam exemplo ex indice comprobari potest. in codicibus XV 58 caput quod est περὶ κινήσεως γῆς inscriptum est περὶ ἐγκλίσεως γῆς. iam cum in Plutarcho c. περὶ ἐγκλίσεως omissum illud ab Eusebio praecedat, nihil profecto proclivius est quam posteriorum scribarum oscitantiam incusare quod titulo prioris servato ad transcribendum alterum caput properaverint. quae coniectura fallit. immo ipse Eusebius exemplar habuit mancum ac tanta fuit Caesariensis episcopi sive religio sive securitas, ut errorem manifestum neque in indice neque in excerptis corrigeret. tralaticium illum in antiquis Plutarchi exemplis

hiatum testatur Galeni historia philosopha, quae eodem capite περὶ ἐγκλίσεως caret. eandem accurationem in ceteris excerptis admirari licet. nam rarae sunt pro excerptorum ambitu mutationes. velut Plut. I 3 1 post Θαλῆς ὁ Μιλήσιος addit εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν. mox ἀπεφήνατο auctum est addito εἶναι capituloque finito claudit ταῦτα μὲν ὁ Θαλῆς, de qua formula similibusque egit G. Dindorfius praef. edit. I xix. structurae formam mutavit I 3 4 οἷον ἡ ψυχή, φησίν, ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς. placet enim Eusebio οἷον ἡ ψυχή .... ἀήρ ἐστι· συγκρατεῖ γὰρ ἡμᾶς. audacius eiusdem capitis § 18 transformavit in hunce modum: Δημόκριτος ᾧ μετὰ πλεῖστον Ἐπίκουρος ἠκολούθησεν. Plutarchus praebet: Ἐπίκουρος Νεοκλέους Ἀθηναῖος κατὰ Δημόκριτον φιλοσοφήσας. nec magis placet quod paulo infra, quod Δημόκριτος μὲν γὰρ fuit, variavit ἀλλ' ὁ μὲν Δημόκριτος. brevitate praestat I 4 1 ὁ κόσμος ἐσχημάτισται, quod in Plutarcho ἐσχηματισμένος συνέστηκε parum eleganter scriptum est. leviora sunt quae I 7 8 novavit ὁ θεός ... ὅτε ἦν ἀκίνητα τὰ σώματα ἢ ὅτε ἀτάκτως ἐκινεῖτο, ubi alterum ὅτε addidit, ne ἐκινεῖτο ad deum referretur, et paulo infra οὐδὲ τὸ πρῶτον ἔστι δέξασθαι pro Plutarcheo καὶ οὔτε τὸ πρῶτον κτλ. ibidemque πᾶς γὰρ θεός pro ὁ γὰρ θεός. sententiam adulteravit I 7 11 cum scripsit Θαλῆς τὸν κόσμον εἶναι τὸν θεόν. recte Plutarchus Θ. νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεόν. supervacaneum certe illud quod II 20 12 post Φιλόλαος ὁ Πυθαγόρειος ὑαλοειδῆ [sc. εἶναι τὸν ἥλιον] addit δίσκον. quamquam non defuere, qui avide arriperent. contra ibidem § 13 ἑαυτοῦ omisit τῇ ἀνταυγείᾳ in τῆς ἀνταυγείας correcto, invicem ad proximum ἀνταύγειαν otiose εἶναι apposuit. librarius fortasse peccavit quod Plutarchi II 29 6 Πλάτων Ἀριστοτέλης ... συμφωνῶς conversum est in συμφωνοῦσι. memorabilius est quod III 13 3 ἐνηξονισμένην planioribus verbis ἐν ἄξονι στρεφομένην explicare maluit. vox illa artis astronomicae ut videtur propria ne a librariis quidem intellecta est, qui ἐνιζωνισμένην propagarunt, donec Reiskei palmari emendatione verum inventum, sed, ut fieri solet, ab editoribus spretum est. exemplum verbi ex Ptolemaeo adnotavit Schneiderus neque, quamquam quaerenti mihi locum Ptolemaei reperire non contigit, de fide ac diligentia sponsoris ullo modo dubitari potest.

Apposui fere quae Eusebius mihi contra Plutarchi auctoritatem mutasse videtur nec multa nec fallacia, si quis cavere didicit. sed supersunt alia, in quibus haereas librariine Eusebianorum codicum peccaverint an ex mendoso exemplari securus transcripserit excerptor. velut II 20 3 Plutarchea sic leguntur: Ξενοφάνης ἐκ πυριδίων τῶν συναθροιζομένων μὲν ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, συναθροιζόντων δὲ τὸν ἥλιον. Eusebius φαινομένων inter τῶν et συναθροιζομένων interpolatum habet, quod non dubium est quin ab emendatore quodam iterato verbo offenso super συναθροιζομένων olim positum fuerit. sed ambiguum utrum ante Eusebium an post vixerit iste elegantiae male curiosus.

Sed quo minus mendosum exemplar iam Eusebio lectum esse negamus, eo magis mirandum est quanto illud posterioribus sanitate et integri-

tate praestiterit. iuvat hoc exemplis quibusdam comprobare, quoniam Eusebii virtus ab editoribus quotquot Plutarchi libellus nactus est nondum cognita videtur. I 3 2 διὰ τοῦτο καὶ Ὅμηρος ταύτην τὴν γένεσιν ὑποτίθεται περὶ τοῦ ὕδατος· ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται. tulerunt hoc editores qua solent patientia praeter unum Duebnerum qui saltem εἰπών addidit post ὕδατος. quanto facilius erat Eusebium inspicere qui praebet ταύτην τὴν γνώμην! idemque Mosquensis optimi codicis ora confirmavit, unde iam Plutarcho a nobis restitutum est. quid librario fraudi fuerit, vix est monendum. interdum Eusebii exemplum interpolatorem vaferrimum arguit, qui emboliorum mira impudentia non solum editorum turbam, sed doctos quoque et cautos homines ludificatus est. duo exempla satis sunto.

I 3 4 lectum est: ἀδύνατον γὰρ ἀρχὴν μίαν τὴν ὕλην τῶν ὄντων, ἐξ ἧς τὰ πάντα, ὑποστῆναι. neminem fore spondeo qui scioli sapientiam sua sponte odoretur. quid? ne tum quidem, cum in Stobaeo ἐξ ἧς τὰ πάντα cognoverimus deesse, de fraude cogitabimus. convincit interpolatorem omittendo Eusebius. possum alia eiusmodi emblemata notare, nullum audacius quam hoc.

II 9 3. 4. Ποσειδώνιος οὐκ ἄπειρον ἀλλ' ὅσον αὔταρκες εἰς διάλυσιν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ κενοῦ. Ἀριστοτέλης ἔλεγεν εἶναι κενόν. Πλάτων μήτ' ἐκτὸς τοῦ κόσμου μήτ' ἐντὸς μηδὲν εἶναι κενόν. haec fere vulgantur sine suspicionis ulla nota.[1] neque Bakeo quidquam fraudis suboluit, qui Posidonianis reliquiis librum περὶ κενοῦ octavo loco inseruit. sed poterat scrupulum inicere quod Stobaeus libri titulum omisit, augere debebat quod Laertius Diogenes Stoicorum de vacuo scriptores dum accurate recenset VII 140, ipsum Posidonium non ἐν πρώτῳ περὶ κενοῦ, at ἐν δευτέρῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου citat. interpolata esse ἐν τῷ πρώτῳ περὶ κενοῦ demonstrat Eusebius Gaisfordii. nam in priores editiones, ut fieri solet, Plutarchea lectio interpolata est. verbo moneo etiam latius patere interpolationem. nam Aristoteli idem indoctissime simul et audacissime contrariam ipsi sententiam attribuit [cf. phys. ausc. IV 8 p. 214 sq.] atque ultima quoque misere turbavit. apage igitur istas offucias fraudulenti hominis Eusebioque duce restitue: Ποσειδώνιος οὐκ ἄπειρον ἀλλ' ὅσον αὔταρκες εἰς τὴν διάλυσιν. Πλάτων Ἀριστοτέλης μήτ' ἐκτὸς τοῦ κόσμου κενὸν εἶναι μήτ' ἐντός.

Corruptis locis quam saepe salutare afferat auxilium Eusebius, dici nequit. unum proferam editorum socordia insigne. I 7 33 οἱ Στωικοὶ κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται πῦρ. ecquis crediderit κοινότερον illud vel a Wyttenbachio eruditissimo antiquae philosophiae existimatore non modo toleratum, sed etiam latine expressum esse: Stoici communius deum pronunciant? ne haesisse quidem videtur, alioqui Stobaeo adhibito legisset quod verum est νοερὸν θεόν. idemque confirmat Eusebius. addo

---

[1] nisi quod Posidonii sententia Hirzelio [Unters. z. Cic. Schrift. I 228[1]] a Plutarcho et Stobaeo male tradita videtur. sed hoc ultra Plutarchi memoriam recedit.

autem ne quis soli Plutarcho dormitantes editores obtigisse reatur, perinde ridiculum errorem hodieque legi in Pseudo-Iustini cohort. c. 6: Ἀριστοτέλης δὲ οὐ κοινοτέραν τὴν ψυχὴν εἶναί φησιν ἐν ᾧ περιείληπται καὶ τὰ φθαρτὰ μόρια, ἀλλὰ τὸ λογικὸν μόνον. ut Plutarchi librarios decepit vocis Στωικοί ultima syllaba repetita, ita in Iustino fuit adverbium κοινότερον.

Sed quid multi sumus in Eusebii praestantia laudanda, quoniam antiquum librum inferioris aetatis sordibus carere consentaneum est? verum enim vero multo gravius est quod idem Eusebii exemplum non nullis locis aperte vel corruptis vel lacunosis ita consentit cum nostrorum codicum depravatione, ut iam quarto saecula vulgaria exempla atque ἀδιόρθωτα [cf. L. Dindorf praef. ad Dion. Chrysost. I p. IV [4]] circumlata esse satis constet, unde in dies magis gliscente cuiusvis corruptionis labe Byzantinorum libri deducti sunt. praeter hanc autem vulgarem memoriam etiam post Eusebii aetatem pleniores praesto erant et emendatiores libri, quorum auxilio haud semel vulnera aut conclamata aut sanitatis specie fallentia certa manu curare contigit. in eo numero sunt Cyrillus et personatus Galenus.

Theodoretus enim episcopus Cyrensis, qui ineunte quinto saeculo floruit, novit ille quidem Plutarchi τὴν περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις δοξάντων ἐπιτομήν [graec. affect. curat. IV 31 cf. V 16], sed quae II 112 et III 4 de atheis Diagora Theodoro Euhemero Plutarcho nominato narrat [cf. Placit. I 7 1] ea Eusebio surrepta sunt, unde eodem loco II 113 et 115 Protagorae et Numenii memoria fluxit. quod Diagoram Milesium cognovit consentiens cum Eusebio, furtum reddit manifestum. sed de Theodoreto infra accuratius dicendum erit.

Utiliora sunt multo Cyrilli acerbissimi Theodoreti adversarii excerpta, quibus ad Iulianum refellendum utitur. ita contr. Iul. II [ed. Auberti Lutet. 1638 vol. VI] p. 46 B — 47 B quattuor deinceps priora capita libri II accurate excerpsit hisce praemissis: Πλούταρχος τοίνυν ἀνὴρ τῶν παρ' αὐτοῖς οὐκ ἄσημος γεγονὼς ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῆς τῶν φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς οὕτω φησὶ περὶ τοῦ κόσμου. etiam tituli capitum servantur, cum alterum ab his verbis ordiatur εἶτα περὶ τοῦ σχήματος τοῦ κόσμου ὧδε πάλιν φησίν. itemque c. 3 ἔφη δὲ πάλιν τὰς τῶν παρ' Ἕλλησι φιλοσόφων δόξας εἰς ἐξηγήσεις προτιθείς, εἰ ἔμψυχος ὁ κόσμος ἢ μὴ οὕτως. similiter c. 4 iterum Plutarchum nominatim adfert p. 51 DE cf. p. 70 C: ἔφη γάρ που περὶ αὐτῶν ἰσχνὸς ὢν ἄγαν ὁ Πλούταρχος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς: 'ἔλαβον δὲ ἐκ τούτου κτλ.' ex Plut. I 6 8. 1. 2. proximum caput [I 7 11. 16. 17. 12. 32. 33] postquam p. 28 CDE compilavit: γεγράφασι δέ, inquit, περὶ τούτων Πλούταρχός τε καὶ ἕτεροι τῶν παρ' αὐτοῖς λογάδων καὶ ὁ θρασὺς καθ' ἡμῶν Πορφύριος. Plutarchum opinionum et Porphyrium vitarum scriptorem coniunctos compluries memorat etiam Theodoretus, quode infra dicetur.

De exemplo Plutarchi a Cyrillo lecto nonnulla dicenda sunt quia

et perbono et diligenter usus est.[1] multus olim fuit Krischeus sagacissimus Placitorum enarrator in explicando quodam inter Stobaeum ac Plutarchum discrimine. ille praebet Ἀναξίμανδρος ἀπεφήνατο τοὺς ἀπείρους οὐρανοὺς θεούς, Plutarchi (I 7 12) codices, quibus Eusebii accedit fides, . . . τοὺς ἀστέρας οὐρανίους θεούς. nolo persequi, quantam explicandi subtilitatem huic discrepantiae superstruxerit. quae revera nulla est. nam ille dum ad Ciceronis ineptias enucleandas calidius enititur, Cyrillum neglexit Plutarchei loci incorruptum testem. quem audi p. 28c: Ἀναξίμανδρος δὲ οἶμον ὥσπερ ἑτέραν ὁλοτρόπως ἰὼν [antecedunt Thales Democritusque] θεὸν διορίζεται εἶναι τοὺς ἀπείρους κόσμους. ecce Stobaei memoria recuperata, nisi quod inferioris aetatis usu κόσμους pro οὐρανούς substituere libuit. confirmat Cyrilli exemplum, si modo opus est, Galeni ἀπείρους νοῦς scriptura ex compendio οὐνοὺς leviter obscurata. de Plutarchi igitur lectione dubitatio omnis sublata est, sed constat simul de vitiorum communione, quam inter Eusebii Byzantinorumque libros intercedere supra docui. optimae porro frugis sunt eclogae ex altero Plutarchi libro paucae. istuc quidem commune cum reliqua memoria quod II 1 3 Metrodorum falso Epicuri discipulum perhibet Cyrillus, τούτου saltem rectius servato. at Empedoclis dogma II 1 4 ad sanitatem solus reducit. vulgatur enim—si deteriorem memoriam neglegas — Ἐμπεδοκλῆς τὸν τοῦ ἡλίου περίδρομον εἶναι περιγραφὴν τοῦ κόσμου καὶ τοῦ πέρατος αὐτοῦ. Cyrillus assumpto iterum in societatem Galeno . . . εἶναι περιγραφὴν τοῦ πέρατος τοῦ κόσμου, quod verum esse e Stobaeo discimus. idem auxilium fertur Stoicorum dogmati II 1 7 et aliis locis. mitto cetera quia leviora sunt. unum tamen adiciam non quo illius praestantiam commendem sed ut miram antiquorum librorum discordiam aperiam. lemma appono ex II 4 1:

Eusebius : Πυθαγόρας καὶ Πλάτων καὶ οἱ Στωικοὶ καὶ
Galenus : Πυθαγόρας καὶ Πλάτων
Cyrillus : Πυθαγόρας καὶ οἱ Στωικοὶ καὶ
codices : Πυθαγόρας καὶ οἱ Στωικοί.

Discimus e Stobaeo Pythagorae Platonisque paulo diversas sententias a Plutarcho brevius, ut solet, in unum lemma conflatas esse. Stoicorum quoque decretum seorsum apud illum. ergo Eusebius plenam lemmatis formam servat, Cyrillus cum Byzantinis Stoicos retinet Platone intercepto. unde talis diversitas? aut egregie fallor aut in antiquo exemplo fortasse ab ipso epitomatore Platonis Stoicorumque secundaria memoria margini adscripta fuit. unde recte inseruit Eusebius, sed Cyrillus cum

---

[1] quae insunt in cod. Patmio CCLXIII, s. X [cf. Bullet. de corresp. hellén. 1877 I p. 5] f. 269—276 excerpta de Pythagora, Herma, Sophocle cet., tum ex Plutarchi de Placitis atque Porphyrii Historia philosopha, ea cuncta descripta sunt ex Cyrilli contra Iulianum libris prioribus p. 30D — 57C Aub. de similibus eclogis Porphyrianis, quae e Cyrillo in cod. Monac. gr. 547 notata sunt, egi in Commentation. Bonnens. i. h. Buecheleri et Useneri 1873 p. 61 sqq.

codicibus Platonis obliti sunt. invicem in Galeno Platone salvo Stoici exularunt, qui parum opportuno loco postea additi sunt. nimirum quae margini adscribuntur notae erroneae esse solent. quod particula καὶ post Στωικοί in Eusebio Cyrilloque abundat num ex istis turbis explicandum sit, nescio. ceterum diffiteri nolo unum locum in Cyrillo graviter sive corruptum sive interpolatum legi II 4 12 Ἀριστοτέλης τὸ ὑπὸ τὴν σελήνην μέρος τοῦ κόσμου παθητόν, ἐν ᾧ καὶ τὰ περίγεια κηραίνεται. verbi raritas[1] effecit, ut perinepte περαίνεται legeretur. sed librarius potius quam excerptor culpandus videtur.

Intelleximus quantum ex electorum paucitate concludi potest, Cyrillianum exemplum non solum vetustatis sed etiam bonitatis laude conspicuum esse. nec mirum est Alexandriae qui versaretur, ei optimum quemque librum prae manibus fuisse. nam etsi pristinus Alexandrinae scholae flos pridem iacebat, tamen ne tum quidem Serapei bibliotheca, quae supererat una, ingeniis papulum dare desierat, si quidem museum id temporis Hypatia docente stetit,[2] contra quam videlicet ipse Cyrillus furore minime christiano grassatus est. neque multo post maxima librorum pars a Theodosio II Cpolim transvecta esse videtur [cf. Parthey mus. Alex. p. 103].

Cyrilli exemplo consimile fuit illud unde Galeni quae inscribitur historia philosopha maximam partem excerpta est. de quo libello quoniam infra pluribus disputaturus sum, huic loco appositum duco quid ad Plutarchum afferat utilitatis breviter indicare. dolendum sane est libri condicionem tam esse desperatam ut etiam Plutarcheo archetypo comparato haud semel plane incertus haereas, quid sibi velit compilator. cuius generis lepidissimum hoc tibi suggeram exemplum, c. 133 Ἀσκληπιάδης δέ φησι τοὺς Αἰθίοπας λέγειν γηρᾶν καὶ διὰ τὸ ψύχεσθαι τὰ σώματα ὑπὸ τοῦ ἡλίου διαφλεγόμενον. sic absurde codices. Plutarcho V 30 6 adscito id statim apparet verbis καὶ διὰ τὸ ψύχεσθαι ex inferiore versu traiectis genuina διὰ τὸ ὑπερθερμαίνεσθαι ante σώματα expulsa esse. sed iam priora confer Ἀσκληπιάδης φησὶ ταχέως γηράσκειν ἔτει τριακοστῷ. scin divinare quid in λέγειν lateat? nempe λ̄ ἔτει, quod librarium sub finem libri prorsus consopitum in errorem induxit longe ineptissimum. ceterum etiam Byzantini ex Plutarcheo ἔτει λ̄ male fecerunt ἔτη τριάκοντα.[3] sed superato

---

[1] recte explicat schol. Plutarch. cod. B ἤγουν ὑπόκειται μεταβολαῖς καὶ φθοραῖς, cf. Critolaus ap. [Philonem] de mund. incorr. p. 496 M. ἀμέτοχον κηρῶν αἷς τὸ γεννητὸν καὶ φθαρτὸν πᾶν συνέζευκται. [Aristoteles] de mundo c. 2 p. 392 a 31 μετὰ δὲ τὴν αἰθέριον καὶ θείαν φύσιν . . . συνεχής ἐστιν ἡ δι' ὅλων παθητή τε . . . καὶ ἐπίκηρος. Placit. II 30 6 Ἀριστοτέλης μὴ εἶναι αὐτῆς [σελήνης] ἀκήρατον τὸ σύγκριμα. Alcin. isag. c. 12 ἅτε αὐτῷ [mundo] μηδενὸς προσιόντος τοῦ κηραίνειν πεφυκότος. vocem ἐπίκηρος primus dixerit Hippocr. de morb. comit. VI 326 Littr.

[2] cf. Hoche Philol. XV 445 et 474.

[3] librariorum in scribendis numeris pigritiam iam Galenus taxavit XVII 1 p. 633 ἐνίοις δὲ [exemplis] Ā πρόσκειται, κατά τινα δ' ἀντ' αὐτοῦ γέγραπται πρῶτος, ἐν ἄλλοις δὲ πρώτῃ cf. XIV p. 31.

librariorum singulari stupore alterum impedimentum obstat ipsius Galeni licentia et inscitia inlatum. nec enim eo se continebat, ut placitorum brevitati νομίζει vel οἴεται adderet, aut Thalem in Ioniae philosophos verteret aut ἀρχαίους mallet παλαιοτέρους nominare aut verbum πυθαγορίζει [c. 49] pluribus vocabulis explicaret, sed exemplar liberiore quoque imitatione sequi et quasi conscius furti leviter immutando aliena celare studebat. est ubi sententiam recte intellexerit ut c. 48 Aristotelis: εἰ τρέφεται ὁ κόσμος καὶ φθαρήσεται, ἀλλὰ μὴν οὐδεμιᾶς τινος ἐπιδεῖται τροφῆς, διὰ τοῦτο καὶ ἀίδιος. ita Plutarchus, quem sic exprimit εἰ τρέφεται φθαρήσεσθαι νενόμικεν, οὐδέτερον δὲ τούτων τῷ κόσμῳ συμβέβηκεν. multo saepius contrarium accidit, ut sententias sanas aut non consequeretur aut illotis manibus temeraret. illuc pertinet quod c. 21 Plutarchea haec τῆς δὲ γῆς . . . ἐστί τινα πρότερα ἐξ ὧν γέγονεν· ἡ ὕλη ἄμορφος οὖσα καὶ ἀειδὴς καὶ τὸ εἶδος ὃ καλοῦμεν ἐντελέχειαν tali modo reddidit: τῶν δὲ στοιχείων προτέραν εἶναί τιν' ἀειδῆ καὶ ἄμορφον οὐσίαν ἣν οἱ μὲν ἄποιον ὕλην, οἱ δὲ ἐντελέχειαν καὶ στέρησιν ὀνομάζουσιν. licentiae exempla haec habeto Plut. III 11 3 τοῦ παντὸς ἑστίαν inversum in αἰτίαν, II 2 1 οἱ δὲ ᾠοειδῆ in ἄλλοι κυκλοειδῆ, gravius I 18 1 οἱ ἀπὸ Θάλεω φυσικοὶ . . . τὸ κενὸν ἀπέγνωσαν, quod haud scio an Boethio [abendl. Phil. IIb 7] gratificaturus in contrarium vertit Thale sublato: οἱ ἀπὸ Πυθαγόρου καὶ οἱ φυσικοὶ πάντες μέχρι Πλάτωνος ἐν τῷ κόσμῳ κενὸν εἶναι λέγουσιν. ut hic Pythagorae memoria citra Plutarchi fidem inlata est, sic c. 88 Euthymenis Massiliensis ex c. 89 transvecta. non numquam vetus exemplaris labes ansam dedit interpolandi et alucinandi. de Parmenidis mundo consentiunt Plutarchus et Stobaeus II 7 1 καὶ τὸ περιέχον δὲ πάσας τείχους δίκην στερεὸν ὑπάρχειν. accipe quid ille somniet: καὶ τὸ περιέχον δὲ τὸ πᾶν στοιχεῖον δίκην στεφάνου στερεοῦ εἶναι! miraris interpolatoris absurdam impudentiam. at ille legerat πάσας στίχου, quod Eusebii quoque exemplum testatur, qua lectione iam ariolandi ianua erat patefacta. ceterum ubi apertum vitium occurrerat, non cunctatus est saepe numero plane omittere ut conclamatum illud ἔξω γεγονὼς τοῦ ὑπὸ τοῦ θεοῦ I 10 4, itemque III 7 3 θείων et III 16 3 ἐπιπόλαιον; cf. II 4 12 κηραίνεται, de quo dixi. enim vero rara est talis verecundia, plerumque constat ille omnia pervertendi pruritus. omnino cadit in Galenum quod Hieronymus ep. 52 de suae aetatis scribis conqueritur: scribunt non quod inveniunt sed quod intellegunt et dum alienos errores emendare nituntur ostendunt suos [cf. Quintil. IX 4 39].

Verum quamvis sit summa opus cautione ne ventosi nebulonis commenta pro sincera memoria amplexemur, inest tamen in Galeno optimarum lectionum paene intactus thesaurus. mitto eam scripturae praestantiam repetere, quam communem dixi vetustis exemplis Eusebii et Cyrilli. quid vero? ipso Eusebio vetustiorem interpolationem eamque gravissimam solus aperit Galenus. constat a posterioribus Socratem ut consummatae philosophiae auctorem non solum iusta veneratione affectum, sed etiam in Platonis suffectum esse locum. hinc, ut hoc utar, Salvianus de gubernat.

dei VII 23 Socratem tanquam mulierum promiscua conubia probantem exagitat eademque ignorantia Aristotelis biographus (Pseudo-Ammonius) p. 10, 25 Didot. Socratem Stagiritae magistrum perhibet.[1] inde Platoni ter I 3 21, 7 31, 10 3 Socratis memoria impudentissima fraude adiecta est. testis est Stobaeus qui solum Platonem et I 3 21[2] et 7 31 nominat. tertium locum ille omisit. at, inquies, a Plutarcho Socrates additus est, qui alia quoque non satis feliciter novavit. profecto antiqua est interpolatio et iam ab Eusebio lecta, nihilominus a Plutarcho aliena. nam Galenus et I 7 31 et 10 3 (primo loco deficit) unum Platonem excerpsit, quod non vereor ne quis casui dandum esse arbitretur. an illud quoque casu factum, quod I 7 1 Diagoram unus Melium novit, quem prono errore vulgata Eusebii Byzantinorumque Milesium vocant? placet tertium locum antiquitus pessime corruptum Galeno duce examinare. narratur in Placitis II 20 12 Philolaum repercusso lumine duos vel adeo tres soles apparere docuisse: ὑαλοειδῆ, δεχόμενον μὲν τοῦ ἐν τῷ κόσμῳ πυρὸς τὴν ἀνταύγειαν, διηθοῦντα δὲ πρὸς ἡμᾶς τὸ φῶς ὥστε προσεοικέναι ἡλίῳ τὸ ἐν τῷ οὐρανῷ πυρῶδες, τό τε δὴ ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἐσοπτροειδές. καὶ τρίτον τὴν ἀπὸ τοῦ ἐνόπτρου κατ' ἀνάκλασιν διασπειρομένην πρὸς ἡμᾶς αὐγήν. quanto opere se torserint editores in his verbis sive explicandis sive emendandis, dici vix potest. neque Stobaeus satis auxilii suppeditat, cum variam orationis structuram sequatur: ὥστε τρόπον τινὰ διττοὺς ἡλίους γίγνεσθαι τό τε ἐν τῷ οὐρανῷ πυρῶδες καὶ τὸ ἀπ' αὐτοῦ πυροειδὲς κατὰ τὸ ἐσοπτροειδές. εἰ μή τις καὶ τρίτον λέξει τὴν ἀπὸ τοῦ ἐνόπτρου κατ' ἀνάκλασιν διασπειρομένην πρὸς ἡμᾶς αὐγήν. tantum efficitur ut post ἀπ' αὐτοῦ in Plutarcho intercidisse appareat πυροειδὲς et corrigatur κατὰ τὸ ἐσοπτροειδές. in Eusebio etiam plura intercidisse videntur, quantum ex Gaisfordii turbata adnotatione conici potest. sed constat etiam illi mirum istud προσεοικέναι ἡλίῳ. quod per se tanquam aptum a proximis explicari potest, sed Stobaeo extat multo similior Galeni paraphrasis: ὥστε τρεῖς εἶναι ἐν τῷ ἡλίῳ διαφοράς et cetera quae etiam πυροειδὲς supra insertum confirmant. etiam propius abest Achillis [isagog. in Arat.] ex Plutarcho excerptum: ὥστε κατ' αὐτὸν τρισσὸν εἶναι τὸν ἥλιον τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ αἰθερίου πυρός κτλ. hinc interpolationis suspicio oritur. quid tamen Plutarcho ut genuinum sit restituendum utrum huius τρισσὸν εἶναι ἥλιον an Galeno duce τρεῖς εἶναι ἡλίους, incertum est. quam vellem Galeni praestantia ab Aristoteleorum fragmentorum collectoribus intellecta esset, quos audaculus quidam interpolator non elusit quidem, at moleste vexavit.[3] Plutarchi V 20 1 vulgatur: ἔστι πραγματεία Ἀριστοτέλους ἐν ᾗ τέσσαρα γένη ζῴων φησί κτλ. ut suspicionem movet citandi mos insolens, ita fraudem aperit Galenus qui

---

[1] cf. Aristocl. ap. Euseb. XI 3 2 (Σωκράτης) εὐφυέστατος γὰρ ὢν καὶ δεινὸς ἀπορῆσαι περὶ παντὸς ὁτουοῦν ἐπεισήνεγκε τάς τε ἠθικὰς καὶ πολιτικὰς σκέψεις, ἔτι δὲ τὴν περὶ τῶν ἰδεῶν πρῶτος ἐπιχειρήσας ὁρίζεσθαι. cf. Krische p. 179.

[2] hoc loco Stobaeo gravissima accedit Theodoreti fides, qui et ipse ex ampliore opere excerpsit v. infra.

[3] Rose Ar. pseud. p. 44. Bernays Dialog. Arist. p. 167. Brandis Aristot. I p. 84.

Πλάτων καὶ Ἀριστοτέλης congruens ille cum Stobaeo exhibet. cum Plutarchi codex archetypus, unde nostri codices descripti sunt, sub finem madore confectus fuisse videatur, conici licet oblitteratam vocis Πλάτων imaginem ad interpolandum excitasse. memini quidem πραγματεία similiter breviatum (πραγ superscripto μτ) in libris me legere.

Dies me deficiat emendationum silvam e Galeno petendarum si perpetuo commentario illustrare instituam. addo tamen in altera libri parte, ubi Eusebius ceteraeque eclogae deficiunt, plane desperandum esse, nisi Galeni utilissimum nobis accederet instrumentum. tria exempla variae corruptionis exhibeo. V 3 6 Δημόκριτος (semen colligi) ἀφ' ὅλων τῶν σωμάτων καὶ τῶν κυριωτάτων μερῶν ὁ γόνος τῶν σαρκικῶν ἰνῶν. tales ineptias patria Democriti quam Democrito digniores produnt codices. vestram fidem, medici, audistisne umquam quid essent carnosi nervi? et grammatici, quemadmodum postrema cum prioribus conciliatis? paulo melius unus liber B τῶν σαρκῶν καὶ ἰνῶν. at cetera dissolvit Galenus: ἀφ' ὅλων τῶν σωμάτων καὶ τῶν κυριωτάτων μερῶν οἷον τῶν σαρκικῶν [hoc vitiosum] ὀστῶν ἰνῶν. ergo falso separavit librarius uncialem scripturam ΟΙΟΝΟϹΤΩΝ. unde quae restituenda sint, sponte intellegitur. alteri loco christiani librarii pia fraus nocuit. V 2 3 Ἡρόφιλος τῶν ὀνείρων τοὺς μὲν θεοπνεύστους κατ' ἀνάγκην γίνεθαι. fuit scilicet θεοπέμπτους, quod sero intellectum est a Wyttenbachio in indice Plutarcheo. si Galenum inspexisset, ipsum illud θεοπέμπτους inventurus erat. simili fraude versus 121 Phocylideis a Byzantinis insertus est, ubi vox illa sacra [2 Tim. 3 16] I. Bernaysio interpolationis originem manifesto aperuit. denique V 26 1 vulgatur lemma Πλάτων Ἐμπεδοκλῆς. verum est Πλάτων Θαλῆς quod non solum Stobaeus, sed etiam Galenus tradit. adgnosces autem iterum librarium ex oblitteratis litteris ariolantem.

Haec eius praestantia in singulis vocibus. idem vel integris enuntiatis copiosior. sed hic eum maxime cavebimus. nam et nunc et olim [de Galeni hist. phil. p. 15] caput 68 de lunae septem formis, quo ille auctior est, respuo, cum et maius sit quam ut e medio Plutarchi libro sine vestigiis facile potuerit intercidere et tam e trivio petitum ut magistello isti, quem Galenum vocamus, aliunde nullo negotio arcessere licuerit. neque enim in enchiridiis crebrius quicquam quam ille de lunae phasibus locus.[1] illud quoque dubitationi obnoxium est quod c. 74 Stoicorum sententia memoratur οἱ Στωικοὶ τοῦ αἰθερίου πυρὸς ἀραιότητα ἀνώτερον τῶν πλανητῶν, quam omittunt Plutarchus et Stobaeus. praeterea corrupta sunt sine dubio verba. Corsinus corrigebat μανώτερον, debebat μανωτέραν. quare cum in praecedentibus sit ὑπὸ τὸν αἰθέρα κατωτέρω τῶν πλανητῶν, sequatur πυρὸς σύστασιν ἄστρου μὲν μανωτέραν, fortasse ex variis horum lo-

[1] cf. Achill. ad Arat. p. 141 C Pet., Clem. Alex. Strom. VI 153 p. 814 Pott. (hic Seleuci auctoritas affertur.) Schol. Arat. p. 162 et 329 Buhle. Suetonii reliqu. p. 210 R. Macrob. Somn. Scip. I 6, 54. Martian. Capell. p. 241 G. Firmic. Mat. IV praef., Ammian. Marcell. XX 3. Cleomed. I p. 111.

corum lectionibus nova sententia conflata est. nec magis probo quae c. 96 adduntur ignota ea Plutarcho et Stobaeo τὸ μὲν σκότος συνάγει πως καὶ συγκρίνει τὴν ὅρασιν καὶ ἀμβλύνει, τὸ δὲ φῶς διακρίνει καὶ ποδηγεῖ τὴν ὅρασιν ἡμῶν ἐπὶ τὰ ὁρατὰ διὰ τοῦ μεταξὺ ἀέρος. διὰ τοῦτο μὴ ὁρᾶν ἡμᾶς ἐν τῷ σκότει ἀλλ' αὐτὸ μόνον τὸ σκότος. paulo magis adridet capitis 62 additamentum: Ἡράκλειτος ἀνάμματα [? ἄναμμα] ἐν μὲν ταῖς ἀνατολαῖς τὴν ἔξαψιν ἔχοντα [? ἔχον], τὴν δὲ σβέσιν ἐν ταῖς δυσμαῖς. nam haec facile extremo capite exciderunt et leguntur revera apud Stobaeum similia II 20 16 Ἡράκλειτος καὶ Ἑκαταῖος ἄναμμα νοερὸν τὸ ἐκ θαλάττης εἶναι τὸν ἥλιον. neque incredibilia videntur, quae Galenus auctiora exhibet, si quidem Xenophanis decretum II 13 14 τὰς γὰρ ἀνατολὰς καὶ τὰς δύσεις ἐξάψεις εἶναι καὶ σβέσεις ut re ita verbis haud ita multum distat.[1] sed tamen Stobaeo invito Plutarcho hoc decretum restituere non ausi sumus. genuino quodam colore nitet Democriti de animantium origine placitum c. 123 Δημόκριτος γεγενημένα εἶναι τὰ ζῷα συστάσει εἰ δὲ ἓν ἄστρον πρῶτον τοῦ ὑγροῦ ζωογονοῦντα [l. ζῳογονοῦντος], quod si mihi contigisset persanare[2], haud dubitassem Plutarchi capiti V 19 apponere. nam pertinet hic locus ad folia in archetypo corrosa et contiguus est initio c. 20 de quo dixi p. 14. quare quaecunque alia in hac parte libri ex Galeno affluxerunt, ambabus arripui: itaque genuina sine dubio incrementa ceperunt Plutarchi V 22. 23. 29.

Eluxit mihi aliquando spes Galeniani exempli singulari praestantia perspecta fore ut de aetate ipsius compilatoris aliquando certius iudicari posset. et illud quidem citra dubitationem positum, scriptorem qui tam incorruptae memoriae testem se praestet, eum non Byzantinorum gregi assignandum esse. contra qui Cyrilli Eusebiique vices spectaverit cavebit ne ex praestantiae una nota aetates rimetur. neque inferioris aetatis in Galeno indicia dissimulabo. sunt enim duo exempla, ubi consors ille apparet Byzantinarum interpolationum, quae absunt a vetustis exemplis.

II 3 4 Ἀριστοτέλης [mundum] οὔτ' ἔμψυχον ὅλον δι' ὅλου οὔτε μὴν αἰσθητικόν, οὔτε λογικόν. omittit οὔτε μὴν αἰσθητικόν Stobaeus, ignorant Eusebius et Cyrillus, at testatur iam Galenus, tum nostri codices. multo memorabilius est hoc: II 25 4 Ξενοφάνης νέφος εἶναι πεπιλημένον. convenit hoc inter Stobaeum Eusebium vulgatos codices, ut suspicionis ne tenuissima quidem umbra relinquatur. Galenus tamen legit πεπυρωμένον, quae interpolatio ex memoria II 20 3 Ξενοφάνης [solem oriri] ἐκ νεφῶν πεπυρωμένων [sive quod inferiores libri habent νέφος πεπυρωμένον] insinuavit. utramque lectionem quodam modo servavit codex optimus Mosquensis [A], cuius lectionem πευπυρωλημένον ex πεπυρωμένον (superscr. πιλη) ridicule conflatam esse

[1] cf. Schusteri fragm. Heraclit. p. 119[1].

[2] sententiam praeit Censorinus 4 9. Democrito vero Abderitae ex aqua limoque primum visum esse homines procreatos ... Epicurus ... credidit limo calefacto uteros nescio quos ... primum increvisse. hinc tentavi συστάσει ἰλυωδῶν ἀσκῶν π. τοῦ ὑγροῦ ζῳογονοῦντος cf. Lucret. V 803 sq. sed non mihi satisfacio.

nemo non videt. iam vero ne quid interpolationis historiae desit, aetatem addo. testatur enim πεπυρωμένον Laurentius Lydus in libro de mens. III 8, qui liber post medium s. VI conscriptus est [cf. Hase ed. Bekkeri p. XI]. ergo etsi propter hunc quidem locum Galeni historiam ultra s. VI deprimere non est necesse, tamen concedendum est eius exemplari quosdam noviciae et Eusebio iunioris interpolationis naevulos inustos fuisse.

De Lydo pauca dicenda mihi sunt. excerpsit de mens. III 8 Plutarchi capita eadem II 25. 28. 31, quae in Eusebii eclogis extant. sed fallitur si quis inde Lydum hausisse opinetur. nam quamvis simillima sint exemplaria utriusque ut vulgaria, tamen est ubi distent. lapsus est Eusebius II 25 6 γεώδους mutando, recte ille cum ceteris πυρώδους, item II 28 4 ὑποχρυπτόμενον Eusebius, ἀποχρυπτόμενον ut vulgo Lydus. sed fortius hoc quod Lydus ac Byzantini II 25 13 περιειλημένην (περιειλημμένην) interpolatum exhibent. verum est περιεχομένην Stobaei. causam corrigendi dabat Eusebii corruptum leviter περιερχομένην. eodem pertinet illud πεπυρωμένον quode dixi. omnino Lydus tot illustribus scriptoribus et graecis et romanis usus istud christianorum compilatorum genus videtur fastidivisse.

Huius generis est Pseudo-Iustinus, qui cohortationem ad gentiles non nullis ex Plutarcho floribus exornavit. quem scriptorem ideo postremo hoc loco nomino, quia de aetate haudquaquam constat. hoc tamen patet Cyrillo antiquiorem eum esse, quippe qui adv. Iul. II p. 48BC ex c. 6. 7 non nulla ad verbum fere excerpserit. fortasse ab Athenagorae aetate proxime distat, cuius in compilandi libertate reliquaque eruditione similis est. nam Aristotelis qui fertur Posidonio inferiorem libellum de mundo nominatim affert c. 5 et fortasse ad ipsum Aristotelem de anima I 2 p. 405 referenda quae c. 7 de anima varia placita reddit. is igitur c. 3 haec praefatus οὐκοῦν ἐπειδήπερ ἀπὸ τῶν παλαιῶν καὶ πρώτων ἄρξασθαι προσήκει, ἐντεῦθεν ἀρξάμενος τὴν ἑκάστου δόξαν ἐκθήσομαι πολλῷ γελοιοτέραν τῆς τῶν ποιητῶν θεολογίας οὖσαν Plut. I 3 1. 3. 4. 11. 5. 6. 7. 8. 18. 20 compilavit, ita tamen ut non solum ordine mutato Heraclitum inter Ionicos reciperet, sed etiam orationem suo arbitrio mutaret. velut Plutarchi § 7 οὗτοι μὲν οὖν ἐφεξῆς ἀλλήλοις ταῖς διαδοχαῖς γενόμενοι τὴν λεχθεῖσαν Ἰωνικὴν συμπληροῦσι φιλοσοφίαν ἀπὸ Θάλητος fortasse propter Heraclitum sic expressit: οὗτοι πάντες ἀπὸ Θαλοῦ τὰς διαδοχὰς ἐσχηκότες τὴν φυσικὴν ὑπ' αὐτῶν καλουμένην μετῆλθον φιλοσοφίαν. Thaletis opinionem auctiorem repetiit c. 5 addita § 2. de reliquis opinionibus istic memoratis [1] ad Plutarchum certo nihil referri potest, nisi quod c. 31 ὁ μεγαλόφωνος Πλάτων eodem modo ironice dictum esse, quo ab Epicureo apud Plut. I 7 4, Hutchinus recte perspexit. Iustino postea Hermiam illud ut alia surripuisse infra monebo.

Restat ignotae is quoque aetatis Achilles, quem Suidae fraude decepti vulgo Statium vel Tatium appellitant. diversus enim est a fabu-

[1] e. g. c. 6 de Platonis Aristotelisque placitis, quae ne quis ad pristinum fortasse opinionum opus referat, moneo Plutarcheo philosophorum delectu usum esse Pseudo-Iustinum. praeterea patrum nomina philosophis nulla indidit nisi quae illic extant. cf. p. 2.

larum scriptore grammaticus, qui praeter etymologias et variam historiam commentarium in Aratum conscripsit, unde excerpta servavit cod. Laurentian. XXVIII 44. qui liber quin idem sit ac περὶ σφαίρας a Suida memoratus non dubito [1]. extant excerptorum duo exempla, unum amplius et accuratius compilatum p. 121—164 Uranolog. ed. Pet., alterum perexile alienis fortasse permixtum, sed non sine dote quadam propria. velut p. 166 extr. Κοδράτος καὶ ὁ διδάσκαλός μου Ἰσιδωριανός citantur, unde aetatis notam nancturum te speres. sed ignotus uterque ac ne illud quidem perspicuum scribentisne an excerpentis sit adnotatio. nam praeceptorum auctoritatem antestari inferioris aetatis scriptores in usu habent. atqui a Firmico Materno [IV 10 p. 98 *prudentissimus Achilles*] laudatur, ergo ante quartum saeculum medium scripsit. accedit ad aetatem circumscribendam alter locus p. 136 A: περὶ δὲ ἐναρμονίου κινήσεως αὐτῶν εἶπεν ὡς ἔφην Ἄρατος ἐν τῷ κανόνι καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Ἑρμῇ καὶ Ὑψικλῆς καὶ Θράσυλλος καὶ Ἄδραστος Ἀφροδισιεύς. [cf. p. 139 B. Hiller Mus. Rh. XXVI 583]. ex Hypsiclis et Adrasti memoria certum est non ante alterum saeculum exiens vixisse. nec multo post. nam tetigit semel Ptolemaeum p. 139 D ἐπραγματεύσαντο δὲ πολλοὶ περὶ ἐκλείψεως ἡλίου κατὰ τὰ ἑπτὰ κλίματα ὥσπερ Ὠρίων ὁ Ἀπολλινάριος [cf. schol. Arat. p. 148 39 et 149 27 Bekk.] Πτολεμαῖος Ἵππαρχος. eiusmodi indices ex sua lectione Achilles addidit. ipsam doctrinam ex antiquioribus libris petivit. at Ptolemaei disciplinam quemquam sprevisse post tertium saeculum plane incredibile, cuius ab unius auctoritate pendent quotquot dehinc de rebus caelestibus scripsere ad Kepleri usque aetatem. accuratiora tamen inveniri vix poterunt, nisi forte Isidorianum illum eundem esse placet atque Hypsiclem a praeceptore Isidoro [Fabric. B. G. IV 20 Harl.] cognominatum, quod coniecit Rohdeus l. c. 471 2.

Athenaeus XV 673 D multa conqueritur de Hephaestionis fraude, qua cum suum tum Adrasti libellum impudenter compilaverit. eandem compendiariam eodem Adrasto transcripto invenit Theo, quem post Martinum

---

[1] Suid. s. v. Ἀχιλλεὺς Στάτιος [Τάτιος Phot. bibl. cod. 87 aliique] Ἀλεξανδρεύς, ὁ γράψας τὰ κατὰ Λευκίππην καὶ Κλειτοφῶντα καὶ ἄλλα ἐρωτικὰ ἐν βιβλίοις η΄. γέγονεν ἔσχατον Χριστιανὸς καὶ ἐπίσκοπος.

ἔγραψε δὲ περὶ σφαίρας καὶ ἐτυμολογίας καὶ ἱστορίαν σύμμικτον πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ θαυμασίων ἀνδρῶν μνημονεύουσαν.

ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ κατὰ πάντα ὅμοιος τοῖς ἐρωτικοῖς. de confusione varia ac fraude Suidae monuit Iacobs prol. ad Achill. Tat. et Rohde gr. Rom. p. 471. etymologiarum aucupem se Achilles etiam in excerptis Arateis ostendit Stoicos secutus. titulus in c. Vatic. gr. 191 bombyc. s. XIII—XIV est f. 194v + τῶν ἀράτου φαινομένων πρὸς εἰσαγωγὴν ἐκ τῶν ἀχιλλέως περὶ τοῦ παντὸς: ⁓ sequuntur f. 203v sqq. quae Petavius p. 268—276. 165—169. 256—258 edidit, dein f. 210 Hipparchus de Arato. in codice Laur. inscribitur ἐκ τῶν Ἀχιλλέως πρὸς εἰσαγωγὴν εἰς τὰ ἀράτου φαινόμενα περὶ τοῦ παντός. ultima verba non titulum libri (quod suasit Roseus Ar. Pseud. 622 fortasse memor Nicolai Damasceni libri περὶ τοῦ παντός, quo περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ κατ' εἴδη ποιεῖται τὸν λόγον cf. Simplic. schol. Arist. ed. Br. 469a 6) sed primi capitis indicant. nam fingitur sphaerae machina, cuius institutum commentarius explicaturus est. cf. p. 161 D Pet. χρὴ τὸν ἐξηγούμενον ἐπὶ τὰ ἐναντία περιδινεῖν τὴν σφαῖραν, p. 140 D τὴν γὰρ δεῖξιν ταύτην ἐπ' αὐτῆς τῆς σφαίρας ἔστιν ἰδεῖν.

Hillerus Mus. Rhen. XXVI 582 sqq. furti arguit. similiter Sextus Empiricus versatus est, de quo infra dicam, similiter Laertius Diogenes omninoque plerique illius aetatis scriptorum feracissimae. scilicet tum ea ars, quae vetera furando nova scripta gignebat non inventa quidem, sed consummata esse videtur. neque frustra Clemens Alexandrinus ipse fur callidissimus furtorum catalogum congessit sive potius et ipsum descripsit Strom. VI 2. saeculi igitur morem secutus est Achilles, qui totum commentarium ex alienis contexuit. fundamentum erat Stoicum aliquod compendium astronomiae. huic variae lectionis flores diligentia maiore quam doctrina vel arte inserti sunt. Stoicam esse disciplinam eamque a Posidonio non primo sed gravissimo apud suos mathematicorum auctore derivandam, hoc ita apertum est, ut argumentis parcam. minus notum est Posidonii doctrinam ipsius libris non magis quam discipulorum sedulitate in vulgus elatam atque popularem esse factam. ita Senecam ex Asclepiodoto Nicaeensi (de quo nunc Comparettii index Herculanensis p. 98 comparandus) Naturales quaestiones Posidonianis rivulis irrigasse verisimile est, ita Geminus sollertissimus eius auditor meteorologica in epitomen coegerat [1], ita Phanias scholas Posidonianas vulgavit [Diog. VII 41]. nec secus Aelianus non Posidonii quem c. 1 2 nominat, sed Asclepiodoti Tactica, quae tenemus, expilat [paulo aliter Koechly script. milit. II 1. 76]. plane eodem modo non Posidonio ipso sed discipuli compendio usus est Achilles. dico Diodorum Alexandrinum mathematicum, cuius memoriam intermortuam a diuturnitatis oblivione vindicare haud ab re duco. [2]

De aetate eius inde luculentissime constat quod fuit Posidonium inter et Augusti aequalem Eudorum de quo postea dicendum erit. a Posidonio stellae definitionem sumpsit eandem, quam Stobaeus ex Ario Didymo excerpsit

Achilles p. 132 B περὶ ἀστέρος [-έρων]
ἀστήρ ἐστι κατὰ Διόδωρον σῶμα θεῖον οὐράνιον τῆς αὐτῆς μετειληφὼς [-φὸς] οὐσίας τῷ ἐν ᾧ ἐστι τόπῳ, σῶμα λαμπρὸν καὶ οὐδέποτε στάσιν ἔχον ἀλλ'

Arius Didym. fr. 32 nostrae syllogae:
ἄστρον δὲ εἶναί φησιν ὁ Ποσειδώνιος σῶμα θεῖον ἐξ αἰθέρος συνεστηκός, λαμπρὸν καὶ πυρῶδες οὐδέποτε στάσιν ἔχον ἀλλ' αἰεὶ φερόμενον ἐγκυκλίως. ἰδίως δὲ τὸν ἥλιον

[1] Simplic. ad phys. f. 64ᵛ med: ὁ δὲ Ἀλέξανδρος φιλοπόνως λέξιν τινὰ τοῦ Γεμίνου παρατίθησιν ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ Ποσειδωνίου μετεωρολογικῶν ἐξηγήσεως τὰς ἀφορμὰς παρὰ Ἀριστοτέλους λαβοῦσαν. Priscian. Lyd. post Didoti Plotin. p. 553 commentum Gemini Posidonii de μετεώρων.

[2] Achill. p. 124 c Διόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα μαθηματικόν. ex Achille innotuit scholiis in Basil. cod. Baroccian. 85 f. 122 [Cram. A. O. III 413] οἱ περὶ Εὔδοξον καὶ Ἵππαρχον καὶ Διόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα μαθηματικοὶ ἐπλεύσαντο οἷον ἐπραγματεύσαντο [?]. integro Achille usum esse scholiastam et aliunde discas et illinc quod scholion hoc: ὁ δὲ αὐτὸς ἑωσφόρος καὶ ἕσπερος. καίτοιγε τὸ παλαιὸν ἄλλος ἐδόκει εἶναι ὁ ἑωσφόρος καὶ ἄλλος ὁ ἕσπερος. πρῶτος δ' Ἴβυκος ὁ Ῥηγῖνος συνήγαγε τὰς προσηγορίας ex Achill. c. 17 excerptum est, quod mutilatum legitur p. 136 c πέμπτος ὁ τῆς Ἀφροδίτης παρὰ μὲν Ἕλλησιν ἑωσφόρος . . . πρῶτος δὲ Ἴβυκος εἰς ἕνα συνέστειλε τὰς προσηγορίας. lacunam suppleas καὶ ἕσπερος. Achillis locus Bergkii memoriam fugit fr. 42 PLG³ 1007.

ἀεὶ φερόμενον κυκλικῶς. ὡσαύτως δὲ ὡρίσατο καὶ Ποσειδώνιος πρὸ αὐτοῦ ὁ Στωικός.

καὶ τὴν σελήνην ἄστρα λέγεσθαι. διαφέρειν δὲ ἀστέρα ἄστρου. εἰ μὲν γάρ τις ἐστιν ἀστὴρ καὶ ἄστρον ὀνομασθήσεται δεόντως, οὐ μὴν ἀνάπαλιν.

ac ne longioris apud Arium disputationis nexum desideres, ecce iterum Diodorus p. 134 c: Διόδωρος δὲ καὶ οἱ ἄλλοι μαθηματικοὶ ἰδίως καὶ κοινῶς τὰ ζῴδια ἄστρα καλοῦσι καὶ ἀστέρας παρατιθέμενοι Πλάτωνα μάρτυρα ἄστρα τοὺς ἑπτὰ πλανήτας ἐν τῷ Τιμαίῳ εἰρηκότα, τὸν κύνα μέντοι ἀστέρα ὄντα ἐν τῷ βίῳ ἄστρον λέγομεν. ἀλλ' ὁ μὲν ἀστὴρ καὶ ἄστρον, οὐκέτι δὲ τὸ ἀνάπαλιν **[cf. Roeper Philol. VII 519, 538]. ex eodem Diodoro manarunt haece p. 130 D** δῆλον δὲ καὶ ἐκ τοῦ εἶναι ἓξ ζῴδια ὑπὸ γῆν ἓξ δὲ ὑπὲρ γῆν. ἐπ' οὐδενὸς δὲ ἄλλου σχήματος ἡ τοιαύτη εὐταξία καὶ περιφορὰ γίνεται ἢ ἐπὶ τοῦ σφαιρικοῦ. τὸ δὲ σφαιροειδὲς σχῆμα διδόασι τῷ κόσμῳ. σφαῖρα μὲν γὰρ ὁ οὐρανός, σφαιροειδὴς δὲ ἡ γῆ. διαφέρει δὲ ἑκάτερα ᾗ τὸ μὲν σφαιροειδὲς σχῆμα καὶ ἐξοχὰς ἔχει καὶ κοιλότητας, τὸ δὲ τῆς σφαίρας πανταχόθεν ἴσον καὶ ἀπὸ τοῦ μέσου κέντρου ἐκβαλλομένας εὐθείας εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἴσας ἔχον κτλ. **nomen ab hoc loco abest, sed constat ex altero excerptorum exemplo p. 166 extr. nec dubitassem etiamsi clarum testimonium deesset. Diodoreis enim reconditioris artificii nota quaedam impressa est. symbola numerorum a Pythagoreis inventa etiam extra scholam vigere coeperant alio alia arripiente. huic ternarius, illi septenarius, Porphyrio vel novenarius placuit: Diodorus nescio quo pacto in senarium incidit. inde zodiaci bis senas figuras enumerat, inde sex mundi definitiones Stoicorum non sine sudore congessit p. 129 B, quas emendatas hic afferre iuvat.**

Διόδωρος δὲ ἑξαχῶς τὸν κόσμον φησὶ νοεῖσθαι ἐφ' ἑκάστου ἔννοιαν διδοὺς οὕτως·

1. κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν μεταξὺ φύσεων.
2. πάλιν κόσμος ἐστὶν οἰκητήριον θεῶν· νῦν οὖν τὸ πλήρωμα λέγει ἐκτὸς τῶν ἐν αὐτῷ.[1]
3. τρίτον ὁ κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων ⟨καὶ τῶν ἕνεκα τούτων γεγονότων⟩[2]· τοῦτο ὅμοιον[3] τῷ βίῳ ὡς εἴ τις λέγει· πόλις ἐστὶν ἐξ ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων.
4. τέταρτον κόσμος ἐστὶν αἰθήρ· οὗτος δὲ πῦρ εἱλικρινὲς ὢν ἀνώτερός[4] ἐστι τοῦ φυσικοῦ κόσμου.
5. πέμπτον κόσμος ἐστὶν ἡ τῶν ἀπλανῶν σφαῖρα· τούτου καὶ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ μέμνηται.
6. ἕκτον κόσμος ἐστὶν ὁ διακοσμήσας τὰ πάντα· ἔοικε δὲ νῦν ἡ πρόνοια λέγεσθαι.[5]

---

[1] νῦν οὖν ut infra n. 6 νῦν explicandum est: hoc igitur loco. cf. Laertius VII 138. οὐρανὸς δέ ἐστιν ἡ ἐσχάτη περιφέρεια ἐν ᾗ πᾶν ἵδρυται τὸ θεῖον. ultima ἐκτὸς — αὐτῷ non praesto.

[2] lacunam indicabant vulgo, quam explevi ex Laertio l. c. et Arii fr. 29.

[3] τοῦτο μόνον vulgatur. [4] κατώτερος vulgo. corr. Pet. in mrg.

[5] sequitur paulo post p. 129 E mundi similis partitio, sed et illa turbata. nam post

Constat conlato Diogene VII 138 haec in Posidonii μετεωρολογικῇ στοιχειώσει simili modo tractata fuisse, [cf. Arii Didym. fr. 29 et 31, [Aristot.] de mund. 2 p. 391ᵇ 9—16. Zeller III 1, 572], sed simul apparet quam inscite numerus ille senarius confectus sit. sed de inscitia non litigamus. trahit enim sua quemque voluptas neque nostrae aetati Pythagoreae superstitionis fautores illustrissimi defuerunt. multo gravius peccavit, si genuinam magistri doctrinam fraudulenter istis nugis accommodatam esse probari potest. Posidonius terram in septem zonas divisit [cf. Posid. rel. coll. Bake p. 96]. quid vero Achilles hoc est Diodorus? p. 157c οἱ μὲν γὰρ ἓξ αὐτὰς εἶπον ὡς Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος τὴν διακεκαυμένην εἰς δύο διαιροῦντες, οἱ δὲ πέντε παρέλαβον ὥσπερ Ἐρατοσθένης καὶ ἄλλοι πολλοὶ οἷς καὶ ἡμεῖς [Achilles] κατηκολουθήσαμεν. ut Polybii recte refertur sententia, ita Posidonii aperte falso cf. Strab. II 3 p. 96, qui etiam erroris rationem non obscure patefacit. nam ibi quoque Polybius Posidonianis coniunctus est. accedit fortasse illa quoque causa, quod sex caeli circuli a Posidonio revera enumerati esse videntur, si quidem Seneca N. Qu. V 17 2 talia ratiocinatur. Ex Diodori igitur Posidonianis commentariis repetendum esse contendo quicquid Stoicorum more mathematicorum explanatur. veri simile est praeterea quae decreta Chrysippi [p. 126A — 127B] probantur aut Epicureorum aliorumve impugnantur [c. 13] ex eodem Posidonio ut ex fonte repetenda esse, unde Cleomedis libellus acerba Epicureorum irrisione insignis paene totus excerptus est. hinc cum alia communia utrique tum planetarum motus exempla. Achilles p. 132D ὥσπερ εἰ νεὼς εἰς βορέαν ἄνεμον φερομένης ἐπιβάτης [1] εἰς νότον παρ' [l. ἐπ'] αὐτῇ τῇ νηὶ τρέχει. et p. 140D διὸ καὶ παρατρέχει ἡμῶν τὴν ὄψιν ἡ τοῦ μύρμηκος κίνησις, ὀξυτέρας οὔσης ⟨τῆς⟩ τοῦ τροχοῦ cf. p. 169, 7 a. i. Cleomedis locus est I 3 p. 21 Bak. τὰ μὲν οὖν ἀπλανῆ ἀπεικάσειεν ἄν τις ἐπιβάταις ὑπὸ [ἐπὶ?] νεὼς φερομένοις, . . . εἰκασθείη δ' ἂν καὶ μύρμηξιν ἐπὶ κεραμικοῦ τροχοῦ τὴν ἐναντίαν τῷ τροχῷ προαιρετικῶς ἕρπουσιν. [2]

Difficilius est diiudicatu in quem usum Diodori scriptio fuerit destinata. mathematicosne docturus erat an philologos Aratum interpretantes? ex Achille neutrum probari potest, cum commentarios etiam alios Arati adhibuerit. certe Apion Plistonices p. 124B non ex Diodoro repetitus est. sed vide ne apud Arati scholiastas plus sit auxilii. ibi bis Diodori memoria citatur. ad v. 254 πρὸς δ Διόδωρος μὲν ὑπογουνίδος γράφει ὅπως ἡ κνήμη σημαίνοιτο, Μηνόφαντος δὲ ἐπιγουνίδα τὴν κνήμην ἀκούει διὰ τὸ εἶναι ἐπ' αὐτοῦ [schol. Bekk. αὐτῆς] τὸ γόνυ [cf. schol. Bekk. p. 74 16] et ad v. 223 ὁ δὲ ἵππος ἐν τῷ τοῦ Διὸς οἴκῳ ἤγουν τῷ οὐρανῷ ἐστιν ἢ ὡς Διόδωρος ἔνδιος ὁ

λέγεται δὲ πολλαχῶς οὐρανός deest πρῶτον. tum Zenonis definitio altera est, unde si γοῦν recte traditur, non nulla interciderunt. sic hic quoque senarius efficietur numerus.

[1] hoc exemplum praeivit Aristot. de anim. I 3 p. 406ᵃ 5 καθ' ἕτερον δὲ λέγομεν ὅσα κινεῖται τῷ ἐν κινουμένῳ εἶναι οἷον πλωτῆρες· οὐ γὰρ ὁμοίως κινοῦνται τῷ πλοίῳ.

[2] alia exempla Posidonianae doctrinae infra in c. de fontibus Aëtii apponam, unde hoc praecipio, opinionum a Plutarcho abhorrentium aliquantum ex Posidonio fluxisse.

μεσημβρινός. quodsi scholiorum Diodorus idem est cum Achilleo — neque video quid obstet — Arati causa illius commentarium conscriptum esse putabimus, cuius quidem Tullianam aetatem studiosissimam fuisse nemo est quin sciat. ex Arati quidem scholiis coniuncta cum Posidonio servata videtur Diodori mentio apud Macrob. S. Scip. I 15 3.

Neque tamen ipsum Diodorum manibus usurpavit Achilles, sed excerptum ab Eudoro. de multiplici doctrina eius viri inferius loquar. nunc brevissime argumenta apponam, unde quivis quid rei sit perspicere possit. p. 124c Εὔδωρος ὁ φιλόσοφός φησι Διόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα μαθηματικὸν τούτῳ διαφέρειν εἰπεῖν τὴν μαθηματικὴν τῆς φυσιολογίας ὅτι ἡ μὲν μαθηματικὴ τὰ παρεπόμενα τῇ οὐσίᾳ ζητεῖ, πόθεν καὶ πῶς ἐκλείψεις γίνονται, ἡ δὲ φυσιολογία περὶ τῆς οὐσίας κτλ. Posidonium loquentem audis ut p. 133D de animantium anima: ζῷόν ἐστιν ὡς Εὔδωρός φησιν ἔμψυχος οὐσία cf. ibid. E c. 13 Ποσειδώνιος δὲ ἀγνοεῖν τοὺς Ἐπικουρείους ἔφη ὡς οὐ τὰ [vulgo οὔτε] σώματα τὰς ψυχὰς συνέχει, ἀλλ' αἱ ψυχαὶ τὰ σώματα. et ne credas Eudorum philosophum Academicum a mathematicis abhorruisse, habes haec de zona fervida p. 169 med. τινὲς δὲ ὧν ἐστι Παναίτιος ὁ Στωικὸς καὶ Εὔδωρος ὁ Ἀκαδημαικὸς οἰκεῖσθαί φασι τὴν διακεκαυμένην κτλ. cf. p. 153c. Sed veniendum tandem ad Plutarchum, qui praeter Eudorum maximo opere compilatus est ab Achille. verum cum exemplar suum magna audacia mutare et alienis turbare soleat, paulo operosior fit labor expiscandi. incipio a certis. c. 3 περὶ τῆς τῶν ὅλων ἀρχῆς continet p. 124E—125c Zenonis Epicuri Aristotelis Socratis et Platonis Empedoclis opiniones ex Plutarch. I 3 25. 18. 22. 21. 20 liberius quidem expressas sed ut dubitandi locus non relinquatur. nam quod Empedoclis Iunonem et Aidonea confundit, quae Plutarchus probe interpretatus est, id nolo premere, quia in allegoriis altera explicatio vulgabatur [cf. Prol. c. VI] et Γαῖα φερέσβιος ex Homericis hymnis [II 341 cf. XXX 9] nota erat. quod cum error sit proclivis, verum autem exquisitius, non minus arbitrarium est Plutarchi vulgatam ex Achille corrigere quam credere ex ampliore Placitorum thesauro Achillea profluxisse. nam obstat non solum excerptorum Plutarcheis simillimus delectus[1] sed etiam interpolationis manifesta communio velut I 3 21, Socratis nomen quod ante Eusebium vulgaria exempla occupasse demonstravi p. 14. saepius ut institutum fert liber II respicitur. velut p. 130B I 1 3. hic memorabilis est scriptura Ἐπίκουρος ... καὶ ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ Μητρόδωρος. nam Cyrillus cum vulgata μαθητής corruptum legit, quod inutiles dedit turbas. verum obtulit non solum Achilles sed etiam Galeni quamvis aliter vitiata scriptura. hoc enim firmiter tenendum est Metrodori in Placitis non alius mentionem esse nisi Chii; cf. Duening de Metrodori Epic. vit. et script. Hal. 1870 p. 39. Zeller I[4] 857[5]. iam vero e Stobaeo Theodoretoque apparet, ex Plac. I 5 4 Μητρόδωρος ὁ καθηγητὴς

[1] nam ubicunque ex Posidonianis commentariis plures opiniones [cf. supra p. 21 [2]] ut Stoicorum Epicuri Empedoclis addidit aut immiscuit, nusquam Placitorum maiorum, qualia ex Stobaeo nota sunt, apparet vestigium.

Ἐπικούρου a Plutarcho demum illam mentionem esse interpolatam. ut iterum originis manifestum teneas indicium. deinde II 2 de mundi forma num respiciatur c. 6 init. p. 130c dubium est. certe Orphicorum memoria abhorret, quae ex superiore loco p. 127B [cf. Lobeckii Aglaoph. 477) iterata est. abhorret etiam p. 129D Θαλῆς — ἀέρα et Empedoclis versus p. 130D. ex II 5 sine dubitatione, quamvis haud dextre, excerptum est p. 128E — 129A. hic antiquissimi erroris iuvat apponere testimonium. diu dubitavi, quid tandem haec sibi vellent p. 128E τινὲς δὲ τῇ τοῦ ὕδατος σφαίρᾳ sc. τρέφεσθαι κόσμον, donec in proximo Placitorum capite 6 3 Eusebii vitiosissimam scripturam animadverti τῇ ῥύμῃ τῆς σφαίρας [verum est περιφορᾶς cf. Aristot. de cael. II p. 295ᵃ 17, Diog. Apoll. ap. Laert. IX 57] ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ, ἐξ οὗ ἀναθυμιαθῆναι τὸν ἀέρα. hinc antiqui erroris habes explicatum. ex II 6 5 Pythagorea opinio comparari potest cum p. 131A, sed est ea tritissima. Empedocleum p. 128B ex II 7 6 amplificatum videtur. ante omnia memoria digna quae ex II 11 2—5 excerpsit p. 128c. nimirum si Plutarchi vulgata exempla inspexeris, nihil Achilleae eclogae simile apparebit. tamen ex compilatoris exemplo, si per emplastra ad vivum resecueris, pristina Plutarchi species renidebit, horrida ea quidem hiulcis vulneribus, sed tamen ut sanitas recuperari possit. quod breviter hac tabula illustrare licet

Stobaeus	Plutarchus restitutus	Achilles	Plutarchus vulgaris
Ἀναξίμανδρος ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος	Ἀριστοτέλης ἐκ πέμπτου σώματος	Ἀναξίμανδρος δὲ πτηνὸν πυρὸς μετέχοντα	Ἀριστοτέλης ἐκ πέμπτου σώματος πυρὸς
Παρμενίδης Ἡράκλειτος Στράτων Ζήνων πύρινον εἶναι τὸν οὐρανόν	. . . πύρινον εἶναι τὸν οὐρανόν	Ἀριστοτέλης δὲ σῶμα ἐκ ψυχροῦ καὶ θερμοῦ	ἢ ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος
Ἀριστοτέλης ἐκ πέμπτου σώματος	Ἀναξίμανδρος ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος		

Vides sanam Stobaei memoriam, tum tertio loco Achillis turbatissimam, quasi consulto aliquis membra disiecta sicut fors dederat conglutinarit. mirificum illud ΠΤΗΝΟΝ ambigo utrum ex ΖΗΝΩΝ an ex ΠΕΜΠΤΟΝ corruptum sit. illud lemma expleret ante πύρινον εἶναι τὸν οὐρανὸν omissum, hoc ante σῶμα desideratur, quamquam non difficile est ἐ post δέ inserere. πυρὸς μετέχοντα reliquum est est ex πύρινον εἶναι τὸν οὐρανόν, unde Byzantini nihil nisi πυρός servaverunt. restituta est Plutarcho plenior lectio ex Galeno, qui ut Anaximandri iam lemmate orbatus est, ita caret interpolato illo ἤ. maxime truncatus est codicum nostrorum archetypus, quamvis non tam inepte sit turbatus, quam Achilles. quid in Eusebii exemplo

fuerit, non potest cognosci. sanum hunc locum non fuisse, quia omissus est, conicias.

Maiora excerpta exhibet c. 11 de stellarum natura.

Achill. p. 133 A τίς οὐσία ἀστέρων.	Plut. II 13 τίς ἡ οὐσία τῶν ἄστρων.
Θαλῆς μὲν δὴ γηΐνην ἔμπυρον εἶπεν τὴν τῶν ἀστέρων οὐσίαν.	1 Θαλῆς γεώδη μέν, ἔμπυρα δὲ τὰ ἄστρα.
Ἐμπεδοκλῆς δὲ πυρίνους αὐτοὺς εἶπε.	2 Ἐμπεδοκλῆς πύρινα ἐκ τοῦ πυρώδους,
τινὲς δὲ γεώδεις εἰπεῖν αὐτοὺς ἐτόλμησαν. ὧν ἐστι καὶ Ἀναξαγόρας.	
μετὰ γὰρ τὴν πρώτην, φησί, διάκρισιν τῶν στοιχείων τὸ πῦρ χωριζόμενον ἐπὶ τὴν ἰδίαν φύσιν ἀνασπάσαι καὶ διάπυρα ποιῆσαι καὶ τῆς γῆς μόριά τινα.	ὅπερ ὁ ἀὴρ ἐν ἑαυτῷ περιέχων ἐξανέθλιψε κατὰ τὴν πρώτην διάκρισιν. 3 Ἀναξαγόρας τὸν .. αἰθέρα ... τῇ δὲ εὐτονίᾳ τῆς περιδινήσεως ἀναρπάσαντα πέτρους ἀπὸ τῆς γῆς καταφλέξαντα τούτους ἠστερικέναι.
ὅθεν καὶ τὸν ἥλιον ἔλεγεν εἶναι μύδρον ὡς ἑξῆς ἐροῦμεν.	
ἕτεροι δὲ κίσηριν πλαγίαν οὖσαν ὑπὸ τῆς θερμότητος τοῦ αἰθέρος ἀναπτομένην, καὶ ὑπὸ τῶν τρυμαλιῶν τοὺς ἀστέρας φαίνειν.	5 Διογένης κισηρώδη τὰ ἄστρα, διαπνοὰς δὲ αὐτὰ νομίζει τοῦ κόσμου.
Πλάτων δὲ ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων, πλείστου δὲ πυρός.	12 Πλάτων ἐκ μὲν τοῦ πλείστου μέρους πυρίνους, μετέχοντας δὲ καὶ τῶν ἄλλων στοιχείων κόλλης δίκην.
Ξενοφάνης δὲ λέγει τοὺς ἀστέρας ἐκ νεφῶν συνεστάναι ἐμπύρων καὶ σβέννυσθαι καὶ ἀνάπτεσθαι ὡσανεὶ ἄνθρακας. καὶ ὅτε μὲν ἅπτονται φαντασίαν ἡμᾶς ἔχειν ἀνατολῆς, ὅτε δὲ σβέννυνται δύσεως.	14 Ξενοφάνης ἐκ νεφῶν μὲν πεπυρωμένων σβεννυμένους δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἀναζωπυρεῖν νύκτωρ καθάπερ τοὺς ἄνθρακας. τὰς γὰρ ἀνατολὰς καὶ τὰς δύσεις ἐξάψεις εἶναι καὶ σβέσεις.
οἱ Στωικοὶ δὲ ἐκ πυρὸς λέγουσιν αὐτούς, πυρὸς δὲ τοῦ θείου καὶ ἀϊδίου καὶ οὐ παραπλησίου τῷ παρ' ἡμῖν. τοῦτο γὰρ φθαρτικὸν καὶ οὐ παμφαές.	

Haud inutile erit quae hic comparata sunt Achillis Plutarchique capita accuratius examinare, ut uno saltem exemplo excerptoris ratio patescat. probe excerptae sunt Plutarchi §§ 1. 2. 12. 14. sed unde Anaxagorea accersivit? quae etiamsi orta sint ex Plutarcheis § 3 et c. 20 6 cf. p. 138 D, tamen mirifice variata sunt. forsitan alienum fontem admixtum credas, qualem in eodem Anaxagora adhibitum postea videbimus. haud diiudicaverim. at concedes illa μετὰ τὴν πρώτην διάκρισιν ex Empedocle Plutarcheo § 2 per socordiam esse translata. id quod de ceterorum quoque fide dubitationem facit. mira ingenii felicitate de Diogene Plutarchea dum amplificat corrupit. neque enim quid sit ille pumex caelumne an aliud, enucleatur neque πλαγίαν vel ὑπὸ τῶν τρυμαλιῶν intellegi potest. sed videndum est ne πλατεῖαν et διὰ τῶν τρυμαλιῶν

scriptum olim fuerit. certe ex alia memoria illa de Diogene philosopho minus noto novata esse, parum credibile. ultima Stoicorum opinio ex enchiridio opinor Eudori adsuta est. porro Plutarchea II 14 1. 2. 4 non incorrupta p. 133CD manserunt. sed compensat hoc interpolandi vitium excerptorum ex II 20 p. 138DE singularis quaedam virtus. nam quod Philolaum credidisse ait τρισσοὺς εἶναι ἡλίους, inde Plutarchi infuscatam in vulgata memoriam supra restitui p. 14. contra quae p. 138E ex II 20 1 de Anaximandro non excerpuntur, sed ventosa paraphrasi in meras ineptias detorquentur, ea accuratius pensitanda sunt. conscripseram olim fusiorem disputationem, quia Achillis forti impudentia cum alios tum Zellerum deceptum videbam. sed postquam Teichmuelleri Studiis illi aliquantum fidei demptum est, quamquam Plutarcheam originem ne ille quidem sensit, profligata non repeto. Anaximandro igitur haec placent de astris. fingit circulos solis et ceterorum astrorum neque solidos neque adumbratos, sed aere densato factos aereque pulsos.[1] quemadmodum terram plano cylindro comparat, sic solis illum folliculum sub rotae orbis (ἁψίς) figura repraesentat. sicut enim ex curvatura rotae radii medium petunt, ita solis flammae ex interiore circuli parte per unum foramen erumpunt et *per magni circum spiracula mundi*[2] ignes intus reclusos in terram versus efflant. circulus perpetuo se circa terram torquens quoad super illam foramen exhibet, diem, quoad infra, noctem efficit. obturatis spiraculis defectiones existunt. eatenus adumbrare necesse erat astronomiae graecae initia, quae quanti momenti essent, sero intellegi coeptum est. sed his plenius explicandis suus dabitur dies. redeo ad Placita II 20 1 Ἀναξίμανδρος ¯κύκλον εἶναι . . . πλήρη πυρὸς κατά τι μέρος ἐκφαίνουσαν διὰ στομίου τὸ πῦρ ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ. καὶ τοῦτ' εἶναι τὸν ἥλιον. ex eis quae dixi elucet prestera illum non esse turbinem igneum, quem Seneca N. Qu. V 13 3 interpretatur. cuius quid sit fistula ne somniando quis divinarit. miror Schusterum, qui Heraclitea interpretatus p. 125 postquam in verum forte incidit hoc neglecto falsissima alia excogitare maluit. πρηστῆρα enim flatum esse vult, quo impletae tibiae sonos edunt. concedo significationis novitatem ab etymologia satis probabilem esse. sed ipsi, priusquam utatur, Placitorum verba coniectando mutare libet, nec semel, sed duobus locis. nam praeter Plutarchi locum unde profecti sumus, etiam Stobaeus Plac. II 25 1 πρηστῆρος αὐλόν non quod Schustero placet πρηστῆρα αὐλοῦ testatur.[3] haec

---

[1] cf. Hippocr. de vent. 3 [VI 94 L] ἀλλὰ μὴν ἡλίου τε καὶ σελήνης καὶ ἄστρων ὁδὸς διὰ τοῦ πνεύματός ἐστιν. τῷ γὰρ πυρὶ τὸ πνεῦμα τροφή . . . ὥστε καὶ τὸν τοῦ ἡλίου δρόμον ἀέναον ὁ ἀὴρ ἀέναος καὶ λεπτὸς ἐὼν παρέχεται. v. etiam ind. Aristotel. p. 822a 20.

[2] Lucret. VI 493 ipsius Anaximandri doctrinam opinor explicans, quam Epicureo cuidam enchiridio debet, quale ex priorum placitis compilat Epicurus epist. ad Pythocl. Laert. X 84. Anaximandri opinio non dubito quin ex animantium similitudine, ut solent veteres, arcessita sit.

[3] Schusterum male sequitur Susemihlius, Jahresbericht II III 5 p. 274[13].

igitur ratio temeraria est. immo πρηστήρ est follis fabrorum, cuius fistula in ignem immissa flammas sursum eiaculatur. huic explicationi Anaximandri et ratio et oratio mirum quantum favet. nam ille opiones sagaciter excogitatas priscorum more ποιητικωτέροις ὀνόμασιν [Theophrast. phys. fr. 2] expressit et antiquos opinor sectatus Apollonius Rhodius IV 776 dum Homericum Σ 470 φῦσαι δ' ἐν χοάνοισιν ἐείκοσι πᾶσαι ἐφύσων παντοίην εὔπρηστον ἀυτμὴν ἐξανιεῖσαι imitatur, folles πρηστῆρας obsoleta voce nominat. πρηστήρ enim ab eadem stirpe pra vel par proficiscitur unde πρῆσαι εὔπρηστος πρημαίνειν ducta sunt, quibus inest propria spirandi notio.[1] inde cum ardor flatui coniungeretur, igneus ventus non aptius quam follis fabrilis πρηστήρ appellabatur. hac igitur ratione Placitorum memoria satis iam defensa erit ab omni coniciendi temeritate. nam Schustero praeivit Wyttenbachius πρηστῆρας δι' αὐλοῦ, ut Reiskei et Beckii commenta praetercam, qui viri ante multa saecula habuerunt et errandi et coniectandi socium Achillem ad quem nunc redeo. nam quae falso lemmate praefixo e Plutarcho interpretatur τινὲς δὲ ὡς ἀπὸ σάλπιγγος [i. e. αὐλοῦ] ἐκ κοίλου τόπου καὶ στενοῦ ἐκπέμπειν αὐτὸν τὸ φῶς ὥσπερ πρηστῆρας, ea plane ad istorum modulum conficta sunt. ex eodem Achillis loco mirus error tanquam contagione plerosque viros doctos occupavit, ut non curvaturam rotae sed modiolum (πλήμνην) ignis sedem opinarentur. quod correxit Teichmuellerus Stud. p. 18. 550.

Pergo Achillis ex Plutarcho furta indicare. caput de solis forma p. 139 B ex illius II 22 1—3 manavit, item de defectione ibidem ex II 24 1. quae vero p. 140 B de magnitudine solis et p. 141 A B de lunae natura disseruntur adeo discrepant ut Plutarchus aut non respectus aut alienis plane incrustatus videatur. atque Heracliti opinio κατὰ μῆνα δὲ ἐκλείπει (sc. ἡ σελήνη) ὡς μὲν Ἡράκλειτός φησιν ὁμοίως τῷ ἡλίῳ τοῦ φωτοειδοῦς σχήματος [? σκαφοειδοῦς σχήματος] ἀναστραφέντος potest illa quidem ex Plut. II 29 3 κατὰ τὴν τοῦ σκαφοειδοῦς στροφήν excerpta esse. similia etiam ibid. p. 141 B σχῆμα δὲ αὐτῆς οἱ μὲν σφαιροειδές, οἱ δὲ δισκοειδές atque Plut. II 27 1 οἱ Στωικοὶ σφαιροειδῆ εἶναι . . . 3 Ἐμπεδοκλῆς δισκοειδῆ. eademque species antecedentis: ἕτεροι δὲ γῆν πεπυρωμένην στερέμνιον ἔχουσαν πῦρ· εἶναι δὲ αὐτῆς οἴκησιν ἄλλην ποταμούς τε καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς. nam in mentem venit Plutarchi II 24 9 Ἀναξαγόρας Δημόκριτος στερέωμα διάπυρον ἔχον ἐν ἑαυτῷ πεδία καὶ ὄρη καὶ φάραγγας. sed cum singulariter dictum sit οἴκησιν ἄλλην[2] ac consentiat Laertiana Anaxagorae vita II 8 τὴν δὲ σελήνην οἰκήσεις ἔχειν ἀλλὰ [? ἄλλας, quamquam illud defendi potest cf. Thurot ad Alex. in Ar. d. sens. p. 431] καὶ λόφους καὶ φάραγγας, non e Placitis illud caput, sed e Posidoniano opinor commentario manasse. contra p. 157 E sq. de ventis haud dubitaverim ex Plut. III 7 1. 3 excerpta credere. sed haec hactenus. de altero quem tetigi Achillis fonte inferius dicetur.

---

[1] cf. Buttmanni lexilog. I 105 Curtii Stud. IV 228.

[2] interpretor: lunam praebere alterum domicilium praeter terram, ut ἄλλος sit idem quod ἕτερος velut in ἄλλος ἐγώ, ἄλλος Ἡρακλῆς.

Extremo loco nominandus est Plutarcheorum librorum index, quem a filio Plutarchi concinnatum pingui artificio simulavit is, qui e bibliothecae cuiusdam catalogo et genuina et falsa scripta enotavit. Lampriae nomen solus Suidas praefixit. quando index ille conscriptus sit, dubitatur. tertio quartove p. Chr. saeculo, iudicavit M. Treu [der sog. Lampriascatal. Waldenb. 1873 p. 54]. mihi Byzantino aevo dignior visa est inventio [de Galeni hist. philos. p. 52 VI], quia pro genuino Vitarum ordine [cf. C. Th. Michaelis de ordine vitarum parall. Plutarch. Berolin. 1875 p. 15 sq.] scholastica ad Romanorum Graecorumve aetates ordinata collocatio substituta est. praeterea Moralium singulae collectiones, unde postea totum corpus concrevit, similes a Trevio ipso agnitae sunt p. 46. sed de temporibus integra est quaestio.[1] Placitorum in bibliotheca illa tria exempla fuerunt, quae cum variis titulis in catalogo consignata essent, tamquam libri diversi enumerati sunt: n. 61 περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις φυσικῆς ἐπιτομῆς βιβλία ε̄, alterum n. 183 φυσικὴ ἐπιτομή, tertium n. 196 φυσικῶν ἀρεσκόντων. hinc praeter libelli frequentiam illud quoque confirmatur singillatim eum antiquitus circumlatum esse. nam si variis syllogis olim insertus fuisset, vix tam exiguo intervallo posteriora exempla n. 183 et 196 in catalogo distarent.

Exposui Plutarchei libelli antiquam memoriam, qualem exhibent altero saeculo vergente Athenagoras et fortasse Pseudo-Iustinus Achillesque liberius expressam, quarto Eusebius quinto Cyrillus sexto Laurentius Lydus accurate excerptam; incertae aetatis Galenus personatus et Philo interpolatus agmen compilatorum claudunt. eodem temporis vestigio, quo Laurentii doctrina seros fetus edidit, philosophia graeca et cum illa ceterae deinceps artes obmutescere coepere. ingeniorum sterilitas diu Iustinianei imperii splendore quodam celata tanto ocius irruit atque ingruente undique barbarie cum ultimis philosophis philosophiae monumenta ad ipsos barbaros migraverunt tamdiu ea foturos donec in patriam redire licuit. hinc fit ut apud Graecos per proximorum saeculorum obscuritatem nulla enitescat Plutarchei libri memoria, at Arabum litteratis viris et cognitus sit et passim memoratus.

Nam cum praeter Armenios inprimis Syri egregiam operam dedissent graecis libris, et Arabum imperatores, inprimis Mansur, laudabili exemplo haec studia excitavissent, incredibilis extitit interpretum industria graeca exemplaria syriace tum arabice vertendi. inter quos nemo maiore et auctoritate et doctrina floruit, quam Hunainus Isaci filius scholae interpretum princeps gravissimus. cuius discipulus et aemulus Constans sive Constantinus Lucae f. Heliopolitanus[2] Plutarchi Placita arabice

---

[1] nihil huc faciunt X oratorum vitae n. 41 enumeratae, quoniam Photius Plutarcheo exemplari usus esse non videtur. cf. R. Ballheimer de Photi vitis X or. Bonn. 1877. A. Schöne Jahrb. f. cl. Phil 1871. p. 784.

[2] Qosṭâ ibn Lûqâ oriundus Bâlbekk floruisse videtur sub Mostaino [862 - 866], si quidem eius Hypsiclis versionem a Kindio emendatam esse constat, qui obiit 873. Ibn

vertit.[1] versio non iam extare videtur. sed excerpsit inde circa millesimum p. Chr. annum Muhammedes Isaci filius [Muhammed ibn Ishâq Kitâb al-Fihrist ed. G. Flügel Lips. 1871. 1872] non solum inscriptionem quam infra exhibui, sed etiam pauca alia p. 245, 16 et p. 245, 28 de Pythagora atque Platone ex Placit. I 3 8. 21.

Centum fere annis post Schahrastanius qui natus dicitur a. 1076 paucula haeresibus suis immiscuit ex Plutarcho quem de Zenonis placito [Plut. I 3 25] testem affert [Schahrastâni Religionsparteien und Philosophenschulen übers. von Harbrücker II 132]. ex I 3 11 fluxerunt, quae II 129 de Heraclito Plutarcho teste proferuntur, ex I 3 21 interpolata memoria Socratis II 113 petita est. quod Schahrastanius II 126 dicit: Anaxagoras sagt nach der Lehre des Plutarch, dass der Wille nicht etwas anderes als das gewollte und nicht etwas anderes als der wollende sei wie auch das thun, id quo referendum sit nec scio nec multum quaesivi Arabum nugarum satis gnarus.[2]

Abulfaragii [histor. dynast. ed. Poc. p. 90 (58)] quosdam versus, quibus Platonis de ideis opinionm ecomprehendit, ex Plutarcho I 3 21 ut ex fonte repetendos esse coniecit A. Mueller l. c. p. 41, quod mihi non probatur. nam Platonis tria principia, deus materia forma, tritissima sunt etiam posterioribus, cetera ab illius similitudine plane recedunt.

Apud Byzantinos post densam quattuor fere saeclorum caliginem, quibus Graecorum litterae velut veterno consopitae iacebant, tandem

---

Dscholschol sub Moctadiro [908—31] vixisse narrat cuius tamen priores annos dumtaxat attigerit. cf. Steinschneiderus in Serapei t. XXXI 292. Wenrich. de auct. Gr. version. Syr., Arab. p. 30. Herbelot. s. v. Costha II 173. V. Rose. Ar. pseud. p. 256.

[1] idem Plutarchi qui ferebatur περὶ ἀσκήσεως librum, quem germanice edidit cum Buechelero Gildemeister Mus. Rhen. XXVII 520. omnino sex Plutarchi vel Pseudo-Plutarchi scripta noverunt Syri Arabesque:

1) περὶ ἀοργησίας Wenrich 225. Mohammed Isaci f. Fihrist ed. Flügel p. 254, 9 Mueller griech. philosoph. in Arab. ueberlief. Halle 1873 p. 26. syriace extat in cod. VIII vel IX saec. Lagarde anecd. syriac. cf. Sachau Herm. IV 73 sq.

2) πῶς τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο Wenrich ib. Fihrist ibid.

3) περὶ ἀσκήσεως (περὶ ἀρετῆς) Wenrich p. 226. Fihrist l. c. Lagarde ib. syriace edidit. cf. supra.

4) περὶ ψυχῆς Wenrich ibid. Fihrist. ibid. quod in Stobaeo Plutarchi liber Themistii lemma gerit, monente Buechelero Mus. Rh. l. c. testimonio est Stobaeum codice usum esse simili archetypi syriaci VI s. conditi [ibid. p. 48] ubi Plutarchi Themistiique quaedam scripta iuncta ferebantur.

5) περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις φυσικῶν δογμάτων βιβλία ε' arabice sub titulo كتاب الآراء الطبيعيّة ويحتوى على آراء الفلاسفة فى الامور الطبيعيّة خمس مقالات vertit Constans Lucae f. Wenrich 225. Fihrist l. c.

6) περὶ ποταμῶν Arabes Plutarcho cognomini et aequali adscribunt, quod nihil esse puto nisi dubitantis de vero Plutarcho Graeci nota aucta et fucata solito more ab Arabibus Mohammede Isaei f. et Dschemaluddino.

[2] omnino constat quae de philosophis graecis apud orientales feruntur tam mira esse et portenti similia, saepe ut ne origo quidem erroris pateat. cf. Roeper lection. Abulf. p. 25.

paulo ante Schahrastanii aetatem Placitorum emergit et memoria et imitatio. Michael Psellus[1] aequalium facile doctissimus rerumque civilium idem peritissimus Plutarchum sibi ad imitandum proposuit Michaeli Ducae imperatori scripturus ἐπιλύσεις συντόμους φυσικῶν ζητημάτων. ecce prooemium: ὁ μὲν Πλούταρχος ὦ μέγιστε καὶ θειότατε βασιλεῦ διαφόρους δόξας ἀπαριθμούμενος καὶ τὴν ἀληθῆ μὴ ἀποδεικνύων καὶ πιστούμενος συγχέει μᾶλλον τὸν λογισμὸν καὶ ἀπορεῖν παρασκευάζει ἢ εἰς ἐπίστασιν ἄγει. quocirca spreta Plutarchi doctrina capitum titulos tantummodo transcripsit, ipsas quaestiones splendidiore sapientia videlicet scholastica solvit.

Idem cadit in eiusdem Pselli Παντοδαπὴν διδασκαλίαν simili consilio concinnatam, quem librum ex apographo Lindenbrogiano[2] edidit Fabricius t. V p. 69—186 ed. I. titulos Psellianos conlatos cum Plutarcheis infra[3] subiciam; quorum forma non numquam utiliter cum reliqua me-

---

[1] Constans [Constantinus] Psellus, qui dum monachus erat Michaelem se nominabat, natus est ut vulgo credunt a. 1020, ut Sathas docuit 1018 [μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη δ' Ἀθήνησ. 1874 eiusd. Deux lettres inédites de l'empereur Mich. Ducas Parapin. Paris 1875 p. 4 sq.] floruit maxima auctoritate sub Michaele VII Duca discipulo suo, qui 1071 rerum potitus est adiuvante maxime Psello. ultimam eius memoriam a. 1077 factam invenit Sathas, quo anno epistulam ad Nicephorum Phocam scripsit. sed certum est ad extremum s. XI vitam produxisse atque tum maxime in secessu libris scribendis operam navasse velut astronomiae quaestionibus. quibus temporis nota 1092 adiuncta est, quam feliciter emendavit et explicavit Usenerus [symbol. ad histor. astron. Bonn 1876 p. 25]. ceterum ille 'philosophiae princeps' qui nostratibus videlicet sane quam vanus et insipidus videtur, Byzantinis Graeculis vehementer probatus est ut vel satirae Timarionis ceteroqui mordacissimus scriptor plurimum 'sophistae illi Byzantino' deferret Ellisseni Analect. IV 89 c. 45. Ἐπιλύσεις partim edidit G. Seebode [Goth. 1840 et Wiesbad. 1857 ex apographo 82 Fabric. bibl. Acad. Havniensi] pessime. nam ne illud quidem intellexit ex quinque se tres libros tanquam integrum opus edidisse. plenum extat sub nomine Simeonis Sethis σύνοψις καὶ ἀπάνθισμα φυσικῶν τε καὶ φιλοσόφων δογμάτων [Fabric. X 322 ed. Hamb. 1721]. Simeonem et ipsum sub Michaele Duca floruisse ex syntagmate περὶ τροφῶν illi dedicato apparet. Fabric.[1] X 320. sed hoc quoque ex Pselli gemello libro prope totum transcripsisse dicitur. ibid. p. 321. quo pacto ista aequalium aemulatio explicanda sit libenter doceri velim. forsitan Pselli nomen errore eodem tradatur quo syntagma quadrivii [ed. Xyland. Basil. 1556] initio s. XI conscriptum illius esse dicitur. cf. Rose Herm. II 465.

[2] hoc non solum mendosissimum est, sed etiam mancum ut ex Fabricii indice altero p. 51 sqq. intellegere queas. pleniorem Psellum exhibent codices Taurinensis [cf. Doehner Philol. XIV 408] et fortasse Neapolitanus Fabric.[3] V 790 n. 238. idem liber in cod. Parisino 2087 f. 71 [V. Rose Ar. Ps. 225] inscribitur τοῦ σοφωτάτου ὑπερτίμου τοῦ ψελλοῦ ἀποκρίσεις συνοπτικαὶ [καὶ] ἐξηγήσεις πρὸς ἐρωτήσεις διαφόρας [sic] καὶ ἀπορίας γραφεῖσαι πρὸς τὸν βασιλέα κύριον μιχαὴλ τὸν δοῦκα. ex Didascalia adscripta sunt multa capita margini cod. Farnes. [F] Stobaei eclog., quae edidit Heeren.

[3] exhibeo binos Fabricii numeros. prior ex t. V p. 69, alter ex pleniore illo catalogo ibid. p. 51 expressus est. additur Placitorum synopsis. 59. 82 τίνι διαφέρει ἀρχὴ καὶ στοιχεῖον [-εῖα] I 2 — 60. 83 περὶ τῶν ἀρχῶν τί εἰσιν I 3 — 0. 84 περὶ ἰδεῶν I. 10 — 0. 85 περὶ δαιμόνων καὶ ἡρώων I 8 — 61. 86 περὶ ὕλης I 9 — 62. 87 περὶ αἰτιῶν I 11 — 63. 88 περὶ σχημάτων I 14 — 64. 89. περὶ χρωμάτων I 15 — 65. 90 περὶ μίξεως καὶ κράσεως I 17 — 66. 91 περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς I 24 — 67. 92 περὶ σωμάτων I 12 — 68. 93 περὶ ἐλαχίστων I 13 — 75. 102 περὶ χρόνου I 21 — 76. 103 περὶ κινήσεως I 23 — 77. 104 περὶ

moria componetur ut II 6. apparet Plutarchi capita tantum non omnia esse exhausta, at traditum ordinem cur turbaverit nec scio nec scire laboro. quis enim Byzantini hominis tricas enodaverit? paulo magis nostra refert, ut quali codice fuerit usus indagemus.

Nam cum in argumentis Plutarchi verba fastidire soleat titulorum autem sit discrepantia rarissima, felicissimo casu evenit, ut eiusdem Pselli excerpta, quae inscribuntur Ἐπιλύσεις διαφόρων ἐρωτημάτων edita a Boissonnadeo post operationem daemon. p. 63—69, ultimum caput exhibeant diligenter [1] descriptum. felicissime, inquam, evenit, quia ultima archetypi folia pessime mutilata esse supra dixi, at Psellianus codex huius quidem calamitatis expers fuit. neque enim verba tantum emendatius traduntur, sed etiam versus complures, qui in nostris sine vestigio interciderant, e Psello recuperantur. mireris fortasse serum auxilium et dubites an ex Plutarcho hauserit homo vanissimus. uno certe loco manifestum glossema invenitur Byzantini coloris ἢ ἐστεγανωμένα [2] genuino πυκνά V 30 6 adscriptum. at confirmat supplementa non solum ipsa rerum veritas, sed etiam Stobaei in florilegio ecloga. iam mihi vide miras memoriae vices: is Psellus qui tanto intervallo ab omnibus codicibus abest integritatis laude, idem in levissimis non nullis vitiis, quae stultissimum

---

ἀνάγκης I 25 — 78. 105 περὶ εἱμαρμένης I 27 — 79. 106 περὶ τύχης καὶ αὐτομάτου I 29 — 83. 110 πῶς αἱ συλλήψεις γίνονται V 6 — 0. 111 πῶς ἄρρενα καὶ θήλεα γίνεται V 7 — 0. 112 διὰ τί γυνὴ πολλάκις συνουσιάζουσα οὐ συλλαμβάνει V 9 — 0. 113 διὰ τί δίδυμα καὶ τρίδυμα γίνεται V 10 — 84. 114 πόθεν γίνονται τῶν γονέων αἱ ὁμοιώσεις καὶ αἱ πρὸς τούτους ἀνομοιότητες V 11. 12 — 0. 115 εἰ καὶ τὸ ἔμβρυον ζῷον καὶ πῶς τρέφεται τοῦτο V 15. 16 — 85. 116 πῶς οἱ ὄνειροι γίνονται V 2 — 86. 117 περὶ ὑγείας καί νόσου καὶ γήρως V 39 — 86. 0 ⟨ἐν πόσῳ χρόνῳ μορφοῦται τὰ ζῷα ἐν γαστρὶ ὄντα⟩ V 21 — 88. 120 (?) περὶ τῆς τοῦ οὐρανοῦ οὐσίας II 11 — 89. 122 εἰς πόσους κύκλους διαιρεῖται ὁ οὐρανός II 12 — 90. 123 περὶ τοῦ φαινομένου ἐν τῷ οὐρανῷ γαλακτοειδοῦς κύκλου καὶ λεγομένου γαλαξίου III 1 — 0. 126 περὶ τῆς οὐσίας ἡλίου καὶ εἰ πολλοί εἰσιν ἥλιοι II 20 — 93. 127 περὶ μεγέθους ἡλίου καὶ σελήνης καὶ γῆς II 21. 26 — 94. 128 περὶ ἐκλείψεως ἡλίου II 24 — 95. 129 περὶ ἐκλείψεως σελήνης II 29 — 97. 131 τίς ἡ οὐσία τῶν ἀστέρων II 13 — 98. 132 περὶ τῆς τῶν ἀστέρων φορᾶς καὶ κινήσεως II 16 — 100. 134 περὶ τάξεως ἀστέρων II 15 — 101. 135 πόθεν φωτίζονται οἱ ἀστέρες II 17 — 102. 136 περὶ ἐπισημασίας ἀστέρων καὶ πῶς γίνεται χειμὼν καὶ θέρος II 19 — 0. 138 περὶ τῶν ἄστρων τῶν καλουμένων Διοσκούρων II 18 — 104. 139 περὶ κομήτου III 2 — 105. 140 περὶ ὑετοῦ καὶ χαλάζης χιόνος πάχνης καὶ δρόσου III 4 — 106. 142 περὶ ἴριδος III 5 — 107. 143 περὶ τῆς ἅλω III 18 — 108. 144 περὶ ῥάβδων III 6 — 110. 146 περὶ ἀνέμων III 7 — 113. 149 περὶ κεραυνῶν III 3 — 114. 150 περὶ πρηστῆρος III 3 — 115. 151 πῶς συνέστηκεν [συνέστη] ὁ κόσμος I 4 — 116. 152 εἰ ἓν τὸ πᾶν I 5 — 117. 153 περὶ κενοῦ I 18 — 118. 154 περὶ τόπου I 19 — 119. 155 περὶ χώρας I 20 — 120. 156 εἰ ἔμψυχος ὁ κόσμος II 3 — 121. 157 εἰ ἀγέννητος [γεννητὸς] ὁ κόσμος καὶ ἄφθαρτος II 4 — 122. 158 εἰ τρέφεται ὁ κόσμος II 5 — 123. 159 περὶ τάξεως κόσμου II 7 — 124. 160 τίς ἡ αἰτία τοῦ τὸν κόσμον [ὅλον] ἐγκλιθῆναι II 8 — 126. 182 τίνα δεξιὰ τοῦ κόσμου καὶ τίνα ἀριστερά II 10 — 128. 184 περὶ σεισμῶν III 15 — 130. 166 διὰ τί ἁλμυρὸν τὸ τῆς θαλάττης ὕδωρ ἐστίν III 16 — 140. 176 περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως IV 1.

[1] idem caput libere excerptum extat omnifar. doctr. c. 86, unde tamen librarii duo errores leviores corriguntur.

[2] sic habent στεγανότης (firmitas) Nicet. ann. p. 265 C et Eusthat. Dion. Perieg. 117b.

quemque scribam correcturum putes, ita cum antiquissimo Mosquensi libro facit, ut affines ac paene gemellos credas. scimus ex Stobaeo verum esse ὑφ' οὗ V 30 1, mire corruptum praebent glossemate intruso ὑφέξω codices nostri optimi, ὑφ' ἧς corrigunt vulgares. sed Psellus ineptissime ὑφ' ἕξιν. dilucidior fit necessitudo § 6 Αἰθίοπας γηράσκειν ἔτη τριάκοντα. vix risum teneas. adeo in promptu erat homini paulo attentiori ἔτει τριακοστῷ emendare, quod a libris deterioribus scilicet dudum inventum est. nimirum ἔτει λ̄ scriptum fuit, quod etiam insipidius corrupit Galenus cf. p. 12. quid igitur consequitur? nempe ut ex exemplari inviolato Pselli exemplum, ex eodem mucore postea corroso codicum nostrorum archetypus deductus sit. minus constat de temporibus. Psellus extremo saeculo XI floruit, eodem tempore vel paulo post Mosquensis liber (A) descriptus est. quamquam vacillat Matthaei de eius aetate iudicium. quare tantum veri similiter sumo, saeculo X vel ineunte XI archetypum quem vocamus exaratum esse.

Sub XII saeculi exitum cognovimus Ioannem Tzetzam compluries Plutarchi Placitis usum. comment. in Iliad. p. 67, 28 Herm. ex Plut. I 3 5, p. 65, 9 ex I 8 2, schol. ad Tzetz. alleg. ap. Cramer. A. O. III 380, 12 ex I 7 1, schol. in Hesiod. p. 66 Bas., p. 40ᵃ Heins. ex V 26 4 excerptum est. tantum enim aliud agens repperi. excerptorum illorum nullus est usus.

Vulgaribus codicibus usus est etiam scholiasta Platonis, qui ad Rempubl. p. 498 A Plut. II 22 2 et 23 3. 4 excerpsit.

Ex novissima Byzantinorum aetate ad Plutarchum recurrit is qui in cod. Laurentiano XXVIII 22 s. XV f. 81—83 astronomicorum futtilissimam colluviem corrasit. inscribitur ridicule Ἐρωτοαποκρίσεις φιλοσόφου Ἀριστοτέλους, quas V. Roseus in Hermae vol. IX 119 excerpsit. praeter astronomicas rationes Persarum opinor doctrina leviter imbutas, quam hi ab Arabibus et Syris, tum s. XIV a Persis Graeci receperunt [cf. Useneri symbol. ad histor. astronom. p. 24] Plutarchi placita hic illic expilantur velut II 11 2—5. III 1. 2. 4. 5. utebatur codice vulgato, cuius lectiones sua insuper perversitate in meras nugas convertit. quare mirari subit quod nescio quo pacto originem vel Plutarcho antiquiorem odoratus est Roseus, qui pristinum Placitorum corpus talibus quisquiliis ditari posse sperabat p. 120¹: τὸν μὲν χρόνον φασὶν φαέθοντα, τὸν δὲ ἄρην πυρόεντα, τὸν δ' ἥλιον πεζοδρόμον, τὴν δὲ ἀφροδίτην ἑωσφόρον, τὸν δὲ ἑρμῆν στίλβοντα, τὴν δὲ σελήνην ·μήνην [cod. μίνυν]. at haec decantata sunt et ubivis obvia praeter μήνην, quod ex poetis fluxit. πεζοδρόμος autem, quod Roseo cummaxime imposuit, aperte Byzantinorum est, ut πεζοδρομεῖν.

Byzantinorum nemo praeter eos quos nominavi Plutarchum oculis usurpavisse videtur. Michael quidem Glycas, quem vixisse circa a. 1050 docuit Labbaeus [ed. Bekk. IX], in Annal. I. II ad Plutarchum provocat p. 247, 4 B κατὰ τοῦτο καὶ ὁ Πλούταρχος ἔλεγεν 'ἔλαβον — αὐτούς' cf. Plut. I 6 8. at ipsum primum vocabulum ἔλαβον pro Plutarchi ἐλάβομεν

fontem aperit Cyrillum, qui quam valide expilatus sit ex Bekkeri indice p. 634 discas. eodem artificio, quae de sole et luna proferuntur I p. 39 et 40 B ad verbum fere ex Theodoreti gr. aff. IV 18 p. 58, 46—59, 20, 35—39, 46. 47 Sylb. suffuratus est cf. Bekk. ind. p. 648.

Nec certum est Theodorum Metochitam qui a. 1322 obiit, ipsum librum manibus tractavisse. saltem probari id non potest ex eis quae p. 465 K. significat ὅς γε [Plutarchus] καὶ πρὸς τοὺς Στωικοὺς ἀπομάχεται [de commun. Stoic. notit.] καὶ περί τε [l. τὰ] φυσικὰ δόγματα cf. p. 473.

Neque denique Plutarchum attigit ex eis, qui post captam Cpolin Plutarchi eclogas excerpserunt, Michael Apostolius, qui Violarium [Ἰωνιάν] illud incohavit quod Arsenius filius ordinavit auxit absolvit.[1] in Apostolii igitur cod. Angelicano f. 46 Ἀριστοτέλης — κόσμου quod in Ar-

---

[1] Michaelis librum sive potius schedas, quas filius recte ἄρραφον ὑπόθημα nominat, in Angelicana bibliotheca repperi signatas C 3, 17. inscribitur a recenti manu Selecta ex variis philosophis aliisve iuxta ordinem alphabeticum disposita. folia situ corrosa et valde turbata sunt. multa sine dubio priusquam ligarentur interciderunt. nam proverbiorum exemplum, cuius plagulis singulis vel pluribus schedae aliis excerptis completae postea insertae sunt, incipit f. 3ʳ a verbis δὲ τὰς τὸν [Corpus paroemiogr. ed. Leutsch. II 241, 9], priora autem folia aliena exhibent. hunc codicem inspexit a. 1790 Schowius cf. epistul. ad C. G. Heyneum p. LXXVIII Stobaei florileg. ed. Th. Gaisford, qui tamen numerum codicis parum accurate notaverat. de Michaelis Ionia et ipse cogitaverat. sed res certa est, quia f. 256ʳ adglutinatur commentarius eadem manu scriptus et ab ipso scriptore emendatus: Μιχαήλου Ἀποστόλου τοῦ Βυζαντίου λόγος ἐπιστολιμαῖος ἢ περὶ δικαιοσύνης πρὸς τὴν ἐρίτιμον [addidit secundis curis καὶ θεόπνευστον] καὶ πολυύμνητον ἀρχὴν τῶν Ἐνετῶν. florilegio similior est quam orationi haec scriptio. Apostolii violarium praeter proverbia maxime Stobaei florilegium (non eclogas) compilavit. codice videtur usus esse eo quem postea Arsenius, tum Sambucus, nunc bibliotheca Vindobonensis possidet a Gaisfordio sero excussum Eclog. t. II 860 sqq. est ubi compilator ingenio indulserit f. 79ʳ (praecedunt enim proverbia de iustitia, quorum ultimum δίκης ὀφθαλμός p. 366, 6 L.):

ἐν τῷδε τῶν παροιμιῶν ἀφιγμένῳ
ὅπου δίκης ἔνεστι τὸ κλέος μέγα
ἔδοξέ μοι βέλτιστον ὦ φίλοι λόγων
καὶ τοῦ σόλωνος τὰ πρὸς τὴν δίκην γράψαι
ἄριστα τυγχάνοντα τοῖς λόγου φίλοις.

sequitur Stob. floril. IX 25. ceterum aut gemellum aut idem exemplum Angelicanum significat Heerenius Stob. ecl. I XLVIII. quamquam praefatio, unde Arseniana fluxit, neque nunc servatur neque Schowii aetate extitisse videtur. certe in Angelica, quam ille nominat, bibliotheca alterum Violarii exemplum invenire mihi quaerenti non contigit. sed falsus est sine dubio Heerenius in eo quod de Eclogarum perantiquo codice a Michaele [quem tamen non adgnovit] usurpato dixit cf. C. Wachsmuth comm. d. Stobaei ecl. Gott. 1871 p. 1. nam titulus ἐκλογῶν ἀποφθεγμάτων καὶ ὑποθηκῶν etiam florilegium comprehendit et exhibet eum ipse Sambuci cod. Vindobonensis cf. Fleckeis. CV 1872 p. 191. quis esset ille Christogonus in Heereniana praefatione nominatus, non comperi. Arsenius Gasparin Osmi [Auximum, nunc Osimo] episcopum i. e. Gasparin Zacchium [Leutsch l. c. p. XXI [10]] nominavit, ad quem alterum paroemiorum exemplum apophthegmatis aliisque auctum missurus esset. sed cum Gasparianum exemplum, unde codd. RENOGr Leutschii p. XII ducti sunt, supplementis illis caruerit, Arsenium confudisse opinor. alterum prooemiorum exemplum Lauro Quirino missum autographum asservatur Parisiis n. 3059.

senii Violario iteratur p. 122 W. [Leutsch. comment. de Arsen. Violar. III p. 28, 8—13], consentit illud quidem cum Plut. II 5 1—3. at si lectionis varietatem accuratius scrutatus eris, Eusebium tenebis XV 36, non Plutarchum. idemque f. 105^v περὶ ἐνιαυτῶν compilatus est [P. E. XV 54], deinde f. 108^r δόξαι φιλοσόφων περὶ θεῶν ἐκ τοῦ πλου////// ἔνιοι τῶν φιλοσόφων — καὶ τὰ στοιχεῖα addito in margine sed statim deleto Πλουτάρχου lemmate ex Euseb. XIV 16, f. 85^r τίς ἡ αἰτία τοῦ τὸν κόσμον ἐγκλιθῆναι ex XV 39, f. 139^r Πλουτάρχου ἐκ τοῦ περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις: περὶ ἀρχῶν ex XIV 14. Apostolii codex Eusebianus vilis est atque Gaisfordianis DG proximus. patris eclogas, sed non omnes, Arsenius transtulit. exhibet ille Euseb. XV 34 p. 194 Walz., XV 46 p. 374, XV 49 ibid., XV 53 p. 252.

Codices manu scripti quotquot noti sunt ex archetypo circa millesimum annum scripto deducti sunt. descriptus est autem ille ex libro unam Placitorum epitomen complexo, quales meliores nostri sunt et illi fuisse videntur, qui in bibliotheca Lampriae [cf. p. 27] servabantur. inde parte postica situ corrupta lacunae vel oblitteratae voces ab archetypi scriptore ad arbitrium completae omnibus exemplis communes sunt. bipartita autem est ex illo codicum propagatio: una familia sola Placita continens integrior, altera plura Plutarchi scripta complexa deterior ac vulgata est.

Prioris classis sunt

Mosquensis codex SS. Synodi eccles. orthod. Graeco-Rossicae, n. 339 [nunc A
352] inter quadratos, membranaceus, scriptus s. XI aut XII. continet in foliis 256 hos deinceps Plutarchi libellos: primum f. 1—39 περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις φυσικῶν δογμάτων βιβλία ε, tum ordinis tralaticii n. 9. 1. 5. 45. 6. 2. 4. 44. 33. 40. 34. 42. 35. 39. 3. 7. 41. 8. 38. 66. 14 in summam viginti duos, quorum ultimus de superstitione in fine mutilus est.[1] contulit Placita Matthaeius in Lectionum Mosquensium vol. II p. 63—72 ad Francofurtensem 1620. sed elegantissimae scripturae apices parum accurate rimatus est, quod et olim conieceram et nunc Iulii Voelkelii professoris Mosquensis litteris benigne ad me datis edoctus sum. qui illa quidem, quae modo de externa codicis condicione ex Matthaei scriptis dedi, pleraque confirmavit, sed de triginta gravioribus locis quos inspexit per neglegentiam decies nullam enotatam esse discrepantiam invenit. quare ne ex silentio Matthaei falsa concluderentur, lectiones non distincte aut a Matthaeio aut a Voelkelio notatas cancellis saepsi. quod

[1] C. F. Matthaei Plutarchi περὶ δυσωπίας καὶ περὶ τύχης Mosqu. 1777 praef. f. [3], eiusdem Accurata codd. graec. mss. bibl. Mosqu. SS. Synodi notitia et recensio Lips. 1805 I p. 219. delineatum habes codicis specimen in eiusdem Commentat. in Plutarchi lib. περὶ δυσωπίας Mosqu. 1777 p. 13. unde Mosquensis Rossiam transvectus sit, non liquido constat. veri simile tamen ex monasterio quodam montis Athonis, unde plurimi in Synodum translati sunt. illic ex omnibus partibus inde a s. XI manuscripta collecta et coempta sunt, recentissime e. g. ex bibliotheca medici Rasarii, vetustiora tamen ex Cpoli vel Asia minore.

priori classi Mosquensem adsignavi quamvis plura scripta complexum, ideo factum esse scito, quia alter cod. Mosquensis n. 387 s. XII, ex Athonis monasterio Batopedii translatus, eosdem eodem ordine eademque fere discrepantia scripturae continet Plutarchi libros, quos prior Mosquensis 329, sed desunt Placita: unde cum constet saeculo XII nondum Moralium corpus extitisse Placita simul cum ethicis quae proprie dicta sunt scriptis complexum, ab A codicis scriptore ipso demum Placita prototypo 21 librorum exemplari praefixa esse apparet.

B Marcianus 521 [XCII 7] bombycinus, forma quadrata, foliorum 200, versuum fere 32, scriptus pluribus saeculorum XIV et XV manibus. ex libris, quos continet codex enumeratos a Zanettio, ab antiquissimo librario primo loco f. 1 r — 19 r Placita tenui et saepe compendiario litterarum genere exarata sunt. priora folia madore confecta. iota subscriptum fere omissum est. hiatus nullo studio vitatus ut δὲ τὲ ποτὲ etiam ante vocales perscriberentur. vetustum exemplar non numquam scriba numeros margini maiusculos adpingendo imitatus est. ex eodem scholia transcripta sunt tum exilia inter lineas tum ampliora in marginibus numeris adpositis ad continuae scripturae voces relata. utrumque genus Byzantino grammatico debetur aequales vel glossematis vel scholasticis interpretamentis docturo, nullo tamen nostro usu.[1] contuli ipse librum liberalissime Venetiis ad me transmissum.

AB codices tam similes sunt ut ex archetypo non ipso sed intercedente alio tanquam nepotes prognati existimandi sint. testimonio est vel illud quod IV 19 3 αἱ ἐπιμήκεις spatio relicto omittunt AB, retinent vulgares libri. illorum autem uter utri praestet difficile est dictu. vetustior diligentius est descriptus nec tamen ab interpolatione plane liber, velut IV 21 4 ἕως, I 9 4 ἀνείδωλον. B multo neglegentius exaratus et interpolationum plenior. at feliciter accidit, ut eadem librarii oscitantia, qua apertissima glossemata saepe insulsissime inculcata sunt, inter reliquam istiusmodi farraginem antiquae memoriae plurimae variae lectiones felicissime servarentur. atque haec est propria Marciani virtus. neque enim dubitari potest, quin archetypi oras plurimae emendationes sive variae lectiones impleverint, quae cum divinari non facile possint, ex exemplo antiquam διόρθωσιν passo repetendae sunt. eiusmodi lectiones partim nota ⊢P insignitae apparent in A I 3 2 γνώμην cf. supra p. 9, I 12 4 corrupto φύσει οὐ νεύσει verum ϐ superscriptum fuisse ex A efficitur, I 3 21 ὁ δὲ θεὸς νοῦς ἐστι τοῦ κόσμου ex emendato exemplo falso loco adscriptum est. vulgata corruptam lectionem ἔστι δὲ ὁ θεὸς ὁ νοῦς suo loco post τὴν ἰδέαν exhibuerat, in cuius vicem illa postliminio reduxi.

[1] qualis homo fuerit scholiasta ex hoc de Epicuro (I 3 18) iudicio intellegas: οὗτος μὴ προνοεῖσθαι τὸν θεὸν τῶν τῇδε πραγμάτων ἐδόξαζεν. οὗτος τέλος παντὸς ἀγαθοῦ ἐτίθει τὴν ἡδονήν. καὶ οἱ μὲν ἐξηγηταὶ τῶν φιλοσόφων λέγουσιν οὐ τὴν ἀκάθαρτον, ἀλλὰ τὴν φυσικωτάτην ἔνστασιν. οἱ δὲ φιλόσοφοι τοῦτον ἀποσκορακίζουσιν ὡς μὴ λέγοντα πρόνοιαν καὶ ὅτι τέλος τίθεται τὴν ἡδονὴν καὶ οὐ τὸ πρώτιστον καὶ μόνον ἀγαθὸν ὅπερ ἐστὶν ὁ θεός.

ex B simillime transiectam lectionem τὸν αἰθέρα observes II 7 5, rectum locum in (A) B occupaverat corruptum τὸν ἀέρα. hic Eusebius verum confirmavit. interdum tamen pravas quoque ut fit lectiones suggessit illud
γρ γεώδους
antiquum exemplar. velut IV 3 11 olim scriptum fuit ποιοῦ πυρώδους, quod servavit B, ineptius ποιοῦ γε πυρώδους A. recte se habet πυρώδους. sed talia non crebra. quam antiqua haec lectionum sit memoria, inde elucet, quod B non numquam non solum A et vulgatos codices sed etiam Galenum vincit. exempla sunt III 5 8 μᾶλλον ubi B solus cum Galeno facit, et III 3 4 νεφελομιγεῖ, ubi idem solus veram scripturam, quae divinari nequit, servavit cum Stobaeo, Galenus cum ceteris interpolavit νεφελοειδεῖ. maxime vero memorabile est hoc I 5 4 δῆλον ὅτι ἐκ τοῦ ἄπειρα τὰ αἴτια εἶναι. sic B totius enuntiati structura claudicante. rectissime A cum vulgata ὅτι omisit, quod confirmat Stobaeus. iam confer Eusebiana δῆλον ὅτι ἄπειρα τὰ αἴτια
γρ ἐκ τοῦ
εἶναι: nonne sponte emendati libri enitescit talis scriptura: δῆλον ὅτι ἄπειρα τὰ αἴτια εἶναι? ecce denuo ἀδιόρθωτον quod saepe dixi Eusebii exemplar. antiquum illum correctorem esse facile concedes. addo aetatis quandam notam. Galenus cum Lydo II 25 4 interpolavit πεπυρωμένον. verum est πεπιλημένον quod etiam tum Eusebius legit. iam cum codices nostri partim (vulgati) πεπιλημένον, partim (B) πεπυρωμένον exhibeant nullo negotio
γρ πιλη
efficitur archetypi imago haec: πεπυρωμένον, unde in A supina socordia monstrum illud πεοπυρωλημένον conflatum est cf. p. 16. consequitur igitur antigraphum sexto saeculo superius a diorthota ad emendationem adhibitum esse.

Nullius est pretii Parisinus 1734 s. XIV chartaceus, quadratus, olim Iacobi Antonii. continet post Thucydidis vitam f. 1ᵛ Θουκυδίδου βίος — ἐνθάδε κεῖται f. 4ʳ, tum programma f. 4ᵛ ὦ φίλος εἰ σοφὸς — κεκροπίδην τὸ γένος, deinde f. 5ʳ — 342ᵛ Thucydidis I — VII 50 ἐν τούτωι. sequitur f. 343ʳ—381ᵛ Procli institutio theologica, postremo loco f. 382ʳ—396ᵛ Plutarchi de placitis philosophorum I — III 8. ultima situ corrupta vix ab oculatissimo cognosci possunt. Procli et Plutarchi scripta ab alio scriba in alia charta exarata a bibliopega adiuncta sunt. simul f. 384 scheda candidiore colore recenter scripta eclogis ex Plutarchi Caesaris et Demosthenis vitis impleta casu addita est. Placita nihil nobis utilitatis praebent, utpote quae ex codice B transcripta sint. quod cum ex lectionum summa similitudine tum inde efficitur quod f. 385ᵛ scriba oculorum sive manus errore a Marciani f. 3ʳ subito ad f. 4ᵛ aberravit, quo errore animadverso ipse lacunam deinceps ex eodem Marciano explevit. scholia eadem quae B continet, sed breviata.

Gemellus est Parisinus 2423 s. XIII ut fertur exaratus varia scripta, Plutarchi sola Placita continens. usurpavi lectiones a Conto ad librum I enotatas, unde manifestus cum priore Parisino consensus cognoscitur. accuratius eum inspicere supersedi.

Alterius classis sunt libri complura Plutarchi scripta moralia complexi, quorum fata et vicissitudines nequaquam satis explorata sunt. constat tamen etiam de Placitis, quod M. Treu [de codd. non nullis Parisin. Plut. Mor. Iauer 1871 p. 12] dixit futuro Moralium editori multo magis eorum singulorum codicum qui unum vel pauca tantum Moralia tradunt, rationem habendam esse quam eorum qui plurima in unum corpus redegerint. neque minus constat in vetustioribus ethicorum syllogis [1], quarum ordo originem trans millesimum p. Chr. annum habet, Placitorum locum fuisse nullum. immo cum seorsum vagarentur, sero in pleniorem coetum recipi coepta sunt. Mosquensis A primus recepit, sed tunc solus. saeculo XIII cum prudentissimo consilio aut Planudes aut aequalis eius grandissimum Plutarcheorum corpus conderet [cf. Treu zur geschichte der ueberlief. v. Plut. Moral. Waldenburg 1877 p. X], Placita eo ordine eaque forma inseruit, quam omnes deinceps vulgati codices secuti sunt. haec igitur est altera classis.

Planudei corporis duo extant apographa, de quorum vicissitudine ac praestantia longa fuit contentio. alter cod. Parisinus 1671 scriptus anno 1296 (A insignitus a Wyttenbachio), alter Paris. 1672 (E Wyttenbachii) paulo iunior. Wyttenbachius enim E ex A exscriptum dixerat sed ita exscriptum ut vetustiora adhiberentur exempla. contra Treu [de codic. nonnullis Parisin. Iauer 1871 p. 11] A apographum codicis E perhibuerat. quod utrumque falsum est. nam quod ipse Treu postea [z. gesch. d. ueberl. p. VIII sqq.] intellexit, uterque codex ex eodem Planudeo exemplo descriptus est, sed ita ut iuniori E fides maior sit attribuenda. quod senserunt quodammodo qui primas illi tribuere Duebnerus [2] Plutarchi editor et B. Muellerus qui libellum de animae in Timaeo procreatione restituit [Plutarch ueber die seelenschöpf. Bresl. 1873 p. 2 sqq.]. quare ut optimi alterius classis libri notitiam acciperem quam accuratissimam, M. Bonnetum adii, ut conferendi laborem susciperet.

C Parisinus igitur 1672, cuius discrepantiam C notatam doctissimi illius viri eximiae accurationi acceptam refero, grandissimus est liber [0,41×0,30^{m}] membranaceus splendidissime a quinque saeculi XIII exeuntis vel XIV ineuntis scribis exaratus [Treu z. gesch. p. V sq.], paginae singulae ut in exemplo Planudeo institutum fuisse videtur, bifariam divisae. Placita in

---

[1] tales ante s. XIII servantur in Marcianis 249 [s. XII], 250 [s. XI, Treu, der sog. Lampriascatal. p. 45*, zur gesch. d. ueberl. p. XIII sq.] Parisinis 1955 [s. XII] et 1956 [s. XI] quos ipse inspexi, Paris. 1957 [s. XII].

[2] Duebnerus Conti hominis graeci apparatu usus est qui a. h. s. XXI – XXIII labore maiore quam utilitate LI Parisinos Plutarchi codices excussit. conlatos singulos duobus voluminibus comprehendit tertio addito, quem compulsionem vocat, quo digestam ad singula scripta farraginem lectionum congessit. Conti Plutarchus conlatus f. quadr. n. 396 — 398 supplementis bibliothecae Parisinae insertus est. Placitorum l. I ex compulsione descriptum Benedictus Niese amice mihi speciminis gratia misit. quo accepto plura ego non desideravi.

scriptorum serie $\overline{\nu\beta}$—$\overline{\nu\varsigma}$ numerata incipiunt a fol. 642 r. singulis libris capitum indices rubrica ornati praemittuntur. ante ipsa capita tituli rubrica perscripta, numeri margini adscripti. inter philosophorum decreta singula rubrica interpunctum est. iota nec subscriptum nec adscriptum novit. in elidendis vocalibus variat, sed omnino hiandi cupidior ut fere vetustiores libri. quam nostra editio exhibet rationem eam ex solo C expressam scito. nam A neglegentius conlatus, B iunior visus est.

Deteriorem esse C eiusque cognatos i. e. vulgatam, tam est in aperto ut argumentis supersedeam. proba memoria in AB servata est, corrupta variata interpolata in C. tu haec tantum habeto:

I 2 στοιχεῖα AB cum Galeno	στοιχεῖον C
I 3 4 ἄργυρος οὐκ AB cum Stobaeo Eusebio	οὐκ ἄργυρος C
I 4 2 κατὰ τὴν τῶν σωμάτων σύνοδον AB cum Eusebio	σύνοδον post τὴν C
I 12 20 τότε μὲν — τότε δὲ B cum Stobaeo [ποτὲ μὲν — ποτὲ δὲ A]	τὸ μὲν — τὸ δὲ C

Rarissime verum rectius illis retinuit. velut IV 19 3 αἱ ἐπιμήκεις quod omiserunt AB. hic illic coniecturis feliciter usus est ut IV 1 7 ὅταν ᾖ quod vulgo εἴη lectum erat. soloecismum Roeperus sine libris correxerat. eadem arte I 7 18 μὲν post τὴν quod omittit A cum Eusebio et Galeno, restituit C, idemque fecit B. unus II 24 5 ὑπερχομένων pro ἐπερχομένων emendavit. memorabile est III 8 1 ad θερείαν non solum codicum sed etiam Stobaei fide confirmatum adnotatum esse in margine prima manu usitatius vocabulum θέρος, quod praebet etiam Galenus. sed fortuito hoc inter illos convenit. nam ut Galeni variandi morem cognovimus, ita Parisinus quoque correctoris manum passus est, sed modestiorem illam. nam plerumque corruptos aut difficiles locos dubitandi signo: + in margine notare satis habuit. ita signavit conclamatum locum II 24 1 ὑποτιθεμένῳ, tum corrupta III 1 8 λαμπρότερον, III 4 5 ὑποπεπλησμένον. sana attrectavit III 10 5 κοίλην δὲ τὸ μέσον [Gal. et corr. Voss. τῷ μεγέθει]. IV 22 3 μερῶν ἀντιπασχόντων— ὅτε μὲν γὰρ recte offendit. lacuna enim in proximis supplenda erat. IV 23 3 ταύτῃ κεῖσθαι corruptelam significat. cur V 3 2 περίττωμα—αἷμα notatum sit nescio. sed recte V 18 4 διὰ τὸ ἐπίπονον αὐτὴν γεγενῆσθαι τὸ χρῖμα et V 19 5 τῆς δὲ καὶ τοῖς ζῴοις τροφῆς vitium suboluit. semel notulae ipsa medicina, quamvis irrita, coniuncta est V 25 1 καὶ τοὺς περὶ τὴν κεφαλὴν τόπους, ubi in mrg. τοῦ τόπου frustra, quia in C καὶ ex εἰς corruptum est. quae coniectura monet ne in his sagacioris scribae periculis reconditius quiddam odoremur. quaecunque attuli primae manui attribuit Bonnetus. neque a docto post renatas litteras viro quod forsitan conieceris talia adscripta sunt, quia codex post Cpolin captam usque ad a. 1688 quo a Girardino Gallorum legato et Besnero Parisios transvectus est, in imperatoris Turcorum gynaeceo delituit. [cf. B. Mueller l. c. p. 5 sq.]. quas dixi notas, eae atramento pictae sunt. rubricatori pauca debentur. qui cum III 1 8 λαμπρότερον suspectum videret, ἀραιότερον et pro πυκνοτέραν ἀμαυρότερον temere coniecit. melius res cessit III 2 7 ubi vulgati ἀνειμένου

loco recte ἀνημμένου correxit aut quod magis credam ex codice qualis fuit B transcripsit. neque enim sine codice I 13 18 ἀγκιστροειδεῖς ceterasque feminini generis formas superscribere potuit.

Ceteros vulgaris familiae codices omnes aut ex Planudeo codice deperdito aut ex apographis eius descriptos esse cum lectionum similitudine [1] tum lacunarum [V 27 2], ordinis [transponuntur V 23 et 24], interpolationum [II 20 12 προσονομάζομεν] communione exploratum est. de vulgatorum codicum turba paulo melior est Petavii quidam liber, cuius discrepantia editioni Francofurtensi 1620 addita est. nimirum alterius classis codex ad corrigendum adscitus fuisse videtur. idem cadit in codicem biblioth. collegii novi Oxoniensis n. 233 a Wyttenbachio passim conlatum. codicis C simillimus est cod. Marcianus 248 a Ioanne Rhoso Cretensi a. 1455 in Bessarionis usum nitidissime scriptus, cuius l. V Placitorum inspexi. eiusdem aetatis est cod. Laurentianus 80 21 chartaceus 39 scripta Plutarchi continens. ex altera classe correctus est, si quidem III 13 3 in contextu ἐνιζομένην in margine manu eadem γρ ἐνιζωνισμένην [cf. A] exhibet. singularis est condicio Vossiani chartac. Gr. Q. 2 qui Alexandri Pauli filii Petavii senatoris Parisiensis a. 1639 fuit [Catalog. bibl. publ. Lugdun. 1716 p. 395, Montfaucon. bibl. mss. nov. t. I Par. 1739 p. 675]. contextus Vossiani s. XV nitide conscriptus cum vulgata, qualem praebet C, omnibus rebus concordat. scriptus est liber neglegentissime multis omissis. sed margines crebris notis sunt repleti. correctoris est prior manus quae subfusco atramento utitur et rotundis litteris diversis temporibus duplices notas adscripsit. primum de coniectura aut aliis codicibus [2] vitiis mederi studuit, postea e Galeni historia philosopha largam emendationum et supplementorum silvam in marginem congessit. altera manus recentior nigro colore et angulosa scriptura conspicua ex vulgatis libris quae omissa erant supplevit. interest nostra, ut de priore correctore accuratius inquiramus. nam aut fallor egregie aut Guilelmi Budaei doctissimi viri manum recte adgnosco. iudices velim ipse conlata eius latina versione, quae primum prodiit quod sciam Parisiis 1505. velut I 15 7 vulgatam tuetur Vossiani contextus τῶν τροπῶν. verum est τροφῶν. at margini adscriptum est manu correctoris ·/. τόπων e Galeno. Budaeus vertit propter locorum coelorumque varietates. Galenum enim, quem haud semel citavit corrector [II 13 12 et II 20 12 Γαληνὸς ἐν τῇ φιλοσόφ⟨ῳ⟩ ἱστορίᾳ] non solum apposuit, sed etiam emendavit velut ad IV 15 1 Galeni hoc additamentum [c. 96] castigatum dedit τὸ μὲν σκότος συνάπτει [vulgo συνάγει] καὶ συγκρίνει [vulgo συγκινεῖ] τὴν ὅρασιν καὶ ἀμβλύνει . . . διὰ τοῦτο [vulgo διὰ τὸ] μὴ ὁρᾶν ἡμᾶς ἐν τῷ σκότει. Budaeus in ipsum

---

[1] I 3 8 vulgata consentit in his καὶ ἵππον ἵνα μόνον νοοῦμεν. omisit μόνον melior memoria AB. originem glossematis monstrat C ἵνα $\overset{\mu\acute{o}\nu o\nu}{}$ νοοῦμεν.

[2] coniunctum habes utrumque III 16 4, ubi ad vulgarem lectionem (= C) παρακυλίσασα in margine adnotatur παραλυκίσασα (= A B) ἢ παραλυκίσαν (e coniectura).


textum recepit Galeniana sic interpretatus: porro tenebrae cogunt aggregantque visum propterea que hebetant ... ea propter non cernere nos in tenebris. de συνάπτει et συγκρίνει dubitari potest, sed διὰ τοῦτο patet expressum esse. ut hic citra necessitatem aliena emblemata infersit, ita Galeni auctoritate in ineptissimum errorem inductus est. V 30 30 pro vero Ἐρασίστρατος in Vossiani margine apparet Galeni ridicula lectio ἀέρος Στράτων, quod accurate expressit latinus interpres. laudabile
φιλος
autem, quod V 29 3 Plutarchi lacunam sic corrector explevit ἡρόδοτος δέ φησι κτλ. Herodotum perperam praebet Galenus, emendatum Ἡρόφιλος vertit Budaeus. neque minus emendationes correctoris quas non e Galeno sed ex ipsius ingenio petitas et tempore priores dixi, in versione paene omnes reperiuntur. ita in prooemio l. II correctum habet margo περὶ τῶν ἀποτελεσμάτων, Budaeus de effectis, V 18 2 pro vitioso ἔγνωτε haud inscite periclitatus est corrector ἠγνόηται, cui latina respondent: ignorari [? ignoratur] enim et post conceptum purgationum numerus. V 10 3 emendavit δέχεται Vossiani corrector, item latinus capit. hinc igitur dubitari vix potest quin Budaeus ipse priusquam verteret vulgatam undecunque emacularet et ad vertendum praepararet. Galeni editione principe quamquam emendatione ne hic quidem abstinuit usus videtur. uno certe loco II 20 12 ex illa dedit in margine Vossiani ἀπὸ τοῦ πυροειδοῦς, cum
δ^
Laur. A πυροει i. e. πυροειδῆ et Laur. B πυροειδές quod est verum praeberent. atqui Veneta Galeni 1497 prodiit. ergo cum 1502 versioni suae praefatus sit Budaeus [1] intra eos annos notae Vossiani adscriptae sunt, nisi forte Venetae similem codicem manu tractasse interpretem putamus. quod veri est dissimile.

Vulgatae familiae libros, quorum aliquam habeo notitiam, etiam hos nominatos saltem volo Ambrosianum B 85 sup. chart. 'Messapiae in Iapygia emptum 1606' Placitorum I 1—15 complexum et Laurentianum LXXXVII 17 quintum librum continentem. eiusdem libri fragmentum exhibet Parisinus 2276, mutilus est Parisin. 2372 quos contulisse dicitur Contos. non dubium est quin alii in bibliothecis lateant fructum illis non maiorem daturi.

Liceat mihi hoc loco, quoniam varios Plutarchei libelli casus et memorias ab ipsis incunabulis per aetatum gentiumque seriem ad recentiora tempora decucurri, stemmatis artificio longiorem disputationem breviter comprehendere atque illustrare. Philonem interpolatum Lampriae indicem scholia Platonis Tzetzam Aristotelis erotoapocrises vilioresque codices omisi, tempora ubi dubia sunt notavi.

---

[1] edidit Budaei versionem Iacobus Stapulensis (qui V 7 errorem scribentis in margine emendavit). subnotatur ibi: finis Plutarchi cheronei de placitis philosophorum: a Guilelmo Budeo latini facti: et Ascensiana accuratione impressi. XV Calendas Aprilis M.D.V. sed prologus interpretis ad Germanum Geneium Beluacensis ecclesiae decanum quo post Lascarin qui recusasset semet ipsum interpretandi munus suscepisse dicit scriptus est Parisiis calendis Ianuariis 1502.


anni p. Chr.
100
200
300
400
500
600
700
800
900
1000
1100
1200
1300
1400
1500
PLUTARCHI EPITOME
Athenagoras
Ps. Iustinus?
Vulgata
Achilles ?
Eusebius
interpolatum exemplar
emendatae lectiones
Cyrillus
Theodoretus
Galenus?
Lydus
Constans
ar chetypus
Mohammed
Psellus
Michael Glycas
A
Schahrastani
Corp. Planud.
Paris. A
C
B
Marc. 248
Michael Apostolius
Arsenius
Vossianus interpolatus ex Galeno

II DE PLUTARCHEAE EPITOMES EDITIONIBUS.

Moralium princeps editio anno 1509 prodiit typis Aldinis ex vulgatis codicibus Venetis ut videtur [sed cf. Treu zur gesch. p. XVII] expressa. qua accuratione Demetrius Cretensis Aldi Manutii famulus illud negotium gesserit Wyttenbachius I p. LXXXV parum acriter iudicasse videtur. constat enim codicum menda innumerabilibus typothetae aucta esse. cum Aldorum haec ratio fuerit, ut manu scripta religiose quoad licebat exprimerent, non mirabimur Budaei versionem [cf. p. 39] quattuor annis superiorem et multis locis emendatam ad Placita non adhibitam esse.

Ex Aldina fluxit paucis correctis vel mutatis Basileensis 1542. plura correxit H. Stephanus qui editioni suae a. 1572 vulgatae eum ordinem subiecit, quem nunc sequimur [cf. Treu l. c. p. XVII]. ad Placita emendationis parum attulit. paulo plus laudis tribuendum Francofurtensibus a. 1599. 1620. 1624 maxime propter Xylandri latinam versionem et adnotationes. de variarum lectionum farragine, unde librum Petavianum supra attigi, imperite iudicavit Wyttenbachius l. c. p. CXIX. nobis certe nullius fuit commodi. neque omnino illi editores magno scriptorum numero districti et obruti uni Placitorum epitomae otii tantum, quantum par erat, aut voluerunt dare aut potuerunt. [1]

Altius spiravit Corsini Pisani professoris solorum Placitorum editio Florentiae 1750 splendidissime excusa, quae prolegomenis indicibus versione adnotatione dissertationum mantissa ornata largum lumen adlatura videbatur. sed ut diligentia et acumen editoris maxime laudandum est, ita emendatio propter graeci sermonis nimiam imperitiam vix umquam prospere successit. nihilo setius Eusebii Galeni Stobaei cognatorumque scriptorum perpetua comparatione sponte sua castigatior multo evasit libellus. atque plus etiam profectura erat Corsini diligentia, nisi interpolatae Eusebii Galenique editiones verum saepius obscurassent quam aperuissent.

Sequitur Reiskei editio a. 1774 incohata nec ab ipso absoluta. a bibliopola notae adiectae sunt, quas ille a. 1756 in Plutarchi moralia conscriptas Animadversionum ad graecos auctores vol. II inseruerat. huic viro eo libentius palmam defero, quo plura Batavorum invidia detrahere conabatur, cf. Wyttenbachii praef. Plut. I p. CXXIX, ad Boissonnadii Eunapii v. II p. 4. nam si meminerimus, quantum per unius aestatis brevitatem ad

---

[1] peculiares Placitorum editiones graecam ex versione G. Budaei Basil. 1531 apud Hervagium [Fabric. B. G. l. IV p. 361 ed. 1708], Parisinam apud Rogard 1544 a Corsino inspectam, Antverpianam graece ex offic. Ioh. Loëi 1548. 8°. a Beckio visam mihi inspicere non contigit. praeparaverat editionem graecam cum latina versione I. Christian. Wolfius, ad quam codicum duorum futtilissimorum variam scripturam adnotaturus erat. schedae servantur in Hamburgensi bibliotheca urbana. absolutam illam non esse, vix est quod doleamus.

Plutarchum emendandum contulerit homo in philosophis minime exercitatus, fieri non potest quin divini illius ingenii felicitatem non laudemus sed admiremur. concedo magnam partem coniecturarum temere fusam, maiorem a prioribus praereptam, plurimas a melioribus libris (ut in Placitis a Mosquensi) confirmatas esse, restant tot et tales, ut et multitudine et sagacitate quemlibet facile antecellat. quod ne temere me opinari putes, perlustra Hercheri luculentissimi existimatoris volumen primum: centies Reiskëi notam invenies, sexagies fere nomen eius viri, qui totam vitam Plutarcho emendando et illustrando dedicaverat. sed priusquam Wyttenbachianam aggrediar, laudanda est Chr. Daniel. Beckii sedulitas. qui Corsiniana maxime et Reiskeana usus editionem compendiariam fecit brevi adnotatione adiecta Lips. 1787. quis credat eundem qui optimum codicem A non solum excerpsisset sed etiam recte aestimavisset, vulgata acquiescere maluisse? non nulla tamen eius ingenio laudabiliter excogitata sunt, quae pueriliter saepe peccarit, tacere praestat.

Iam vero Daniel Wyttenbachius post indefessum quinque lustrorum laborem Plutarchum diu exspectatum edidit, cuius t. IV Placita continens prodiit 1797. praeter versionem latinam quotquot tum nota erant manu scripta versiones editiones emendationes excerpta subiecit. nescio quid alii sentiant, — neque de ceteris iudicium fero — in subditiciis autem libris praesertim in Placitis multo minus praestitit, quam et debuit ille et potuit. nil dico de ingenii felicitate, quae neque data est cuilibet nec perpetua esse solet, at iudicium desidero, quod in Reiskeo non infuisse ipse vituperaverat I p. cxxix. an illud est iudicium, quod cum Mosquensis scripturam toties adscriberet, eximiam eius praestantiam tanquam lippus nullo modo perspexit? praeterea selectarum lectionum haudquaquam certa est fides, quod de Parisinis codicibus a Trevio l. c. monitum video. consentaneum est eruditissimum hominem haud pauca egregie emendasse. sed neque tantum profecit, quantum exspectari poterat et tali verecundia atque adeo timiditate proponit, ut ipsi diffisus esse saepe videatur.

Post Tauchnitzianam perpetuis typis e Wyttenbachiana non imperite expressam ultimo loco Didotiana nominanda est. Moralium t. II prodiit Parisiis 1856. Duebnerus Wyttenbachiana usus est, quam ad Conti apparatum praecipue ad C [Paris. E] correxit ultra codicum scripturam raro progressus. ea ratione multa castigavit, plura profecturus nisi et otium defuisset et editionis institutum prohibuisset.

Post tales conatus si mihi neque ingenio neque eruditione cum illis comparando aliquanto plura emendare contigit, omnis laus erit in subsidiorum recto usu, qui ex hac de Plutarchi memoria disquisitione utilissimus redundavit fructus. duo autem sunt recensendi Plutarchi instrumenta — praeter similium librorum ut Stobaei aliorumque comparationem quibus dextram cuiusque paginae partem destinavi — unum recentius ex codicibus petendum, inter quos ABC archetypo proximos ex ceterorum turba segregavi et accurate infra enotavi omissis plerumque orthographicis

Byzantinorum vitiis. de dubiis cod. A lectionibus quemadmodum caverem, supra monui p. 33. alterum genus est excerptorum, quae diversa ratione facta sunt ut aut verba ipsa compilarentur aut sententiae liberius alienis saepe admixtis redderentur. accurate descripsit Eusebius, cuius capita singula singulis Plutarchi capitibus ad sinistram adnotavi. infra discrepantiam quam ex Gaisfordii indigesta mole extricavi appositam habes. quanta perversitate Eusebii illa editio conflata sit, nolo conqueri. accuratiora de codicibus infra Plutarchi Stromateon fragmento praefatus docebo. tantum scito me meliores codices iudicare C G F, deteriores B E I, interpolatum ex Plutarchi vulgata D. codex A optimus Plutarchea excerpta non continet. minus accurate descripsit Galenus. praeterea difficile erat illius monstra continua adnotatione supponere. quare potiorem varietatem deprompsi, cetera emendaturis seorsum expressi. capitum numeros ad dextram ubique adnotavi. multo his pauciora excerpserunt Cyrillus Ioannes Lydus Pseudo-Iustinus, atque hi quidem diligentius, ceteri brevius vel audacius, audacissime omnium Achilles. horum igitur testimonia quoniam ipsi legentis iudicio integra proponere fas duxi, in infima quaque dimidiatae paginae parte ad sinistram diligenter exhibui. coniecturis vel alienis vel meis eatenus indulgebam, qua Plutarchum personatum errore caruisse atque emendationem certam iudicaveram. ceterorum siglorum explicationem editioni praemisi.

III DE STOBAEI MEMORIA.

Ioannis Stobensis qui Stobaeus audire maluit eclogae physicae quoniam ex eodem Placitorum libro unde Plutarchus haustae sunt plurimae, dextram editionis nostrae partem implent. ne hic quidem editis adhuc exemplis fidere satis tuto licuit. nam Canterus principem editionem a. 1575 editam ex deteriore codice expressit, paucis in ora correctis. plura perfecit Heerenius, qui cognatorum scriptorum similitudine vel suopte ingenio fisus gravissima menda exemit. tamen idem quamquam codices conlatos habebat optimos, tanta iudicii perversitate adhibuit, ut errores maximi orerentur. nec Gaisfordii cura quidquam fere boni attulit. nam quia codices meliores praecipue Augustanus, quos accurate contulerat, eidem sunt interpolationibus haudquaquam liberi, Gaisfordius rarius, saepe Meinekeus ut ratio constaret, interpolavit infelicissime. quae omnia nunc Curtii Wachsmuthii singulari merito aperta sunt. is cum quid rei esset breviter commentatione de Stobaei eclogis Gotting. 1871 [cf. n. jahrb. f. cl. Ph. CV 1872 p. 189—194] indicavisset, iamiam ipse quam desideramus ad optimum codicem Farnesinum recensitam editionem paraturus est.

Ioannes utilissimum suum electorum thesaurum in duo volumina divisit, quorum utrumque centena capita per binos libros digesta conti-

nere voluerat.[1] quattuor librorum corpus integrum vidit et accuratissime descripsit Photius c. 167. sed aliquanto postea hominum vel incuria vel inscitia factum est, ut primi libri, quas nunc eclogas physicas vocare consuevimus, quaedam folia e compage soluta in alterum volumen, quod aut simul ferebatur aut a bibliopega priori coniunctum erat, immigrarent [florileg. t. 80. 81. 82]. quem errorem et ipse olim animadverteram et Wachsmuthius in Mus. Rhen. XXVII 73 accuratissime et sagacissime probavit. tale exemplum traiectis foliis conspicuum usurpavit florilegii Laurentiani [cod. Laur. VIII 22] conditor, qui duplici errore Ioannes Damascenus perhibetur saeculo XI fortasse non recentior. is eclogis sacris profanisque ex gnomologio Maximi Antoniique quos dicunt simillimo petitis Stobaeanorum electorum tam largos haustus admiscuit, saepe ut nihil aliud adscitum sit. quare ad sarcienda damna ingentia, quae Stobaei priores libri postea acceperunt, summa est florilegii utilitas. utor autem in eius supplementis, quae Stobaeo inserui, C. Wachsmuthii conlatione ad amussim facta, quam ille in meum usum liberalissime concessit. constat ne Damasceni quidem opus integrum ad nos pervenisse. itaque magna est indicis quoque utilitas, quem idem commentat. I II de florilegio q. d. Ioannis Damasceni Laurentiano Gotting. 1871 primus edidit et diligentissime explanavit. qui index quamvis ipse quoque scribarum pigritia plus dimidio amiserit, tamen fructuosissimus est, quia et Photiano multo est accuratior et ex Stobaei tanto naufragio capitum saltem pleniorem conspectum servavit. sic quod in quinto Placitorum libro Stobaeani tituli utilissime conferri poterant, id paene totum est Damasceni indicis meritum.

Post florilegii igitur Damasceni tempora vulnera priori volumini inflicta exulcerabantur et ex parvis initiis pernicies in dies latius gliscebat, iam ut maior pars eclogarum deflendo fato periret. ex hoc tam misere
A amputato exemplo archetypo fortasse s. XII conscripto et ab alterius voluminis quod florilegium continebat societate iam prorsus seiuncto deducti sunt duo codices:

F alter Farnesinus olim, nunc biblioth. mus. nation. III D 15, [n. 299 catal. Cyrilli] s. XIII. alter deperditus nunc, pater codicis Parisini 2129
C s. XV et codicis Sambuci unde postquam Canteriana 1575 descripta est, nullum remansit vestigium. F autem et codex deperditus fratres germani fuere. ille maior et plenioris patrimonii, hic minor corruptior parciusque peculiatus. praeterea huic accidit ut primo ternione, ut videtur, ex compagine soluto, cum folio amisso cetera perverso ordine transcriberentur, eclogarum initium in Parisino et C misere laceratum et turbatum traderetur. ergo F solus dux nobis erit codicibus FC id est A dissentientibus, rarissime fiet ut locis vel corruptis vel hiulcis alter ordo i. e. C Paris. auxilio esse possit.

[1] Stobaei artificium monstravi Mus. Rh. XXXII p. 481 sq.

Ex F descriptos esse quotquot servantur pleniores codices, Vaticanum Augustanum Escurialensem Farnesinos alios duos (ex quibus Augustanus interdum feliciter, saepe temere correctus est) luculentum est C. Wachsmuthii inventum, qui codicem F accuratissime conlatum mihi humanissime ad Placita recensenda commisit. unde potiorem discrepantiam omissis lemmatis mendisque levioribus exhibui ita tamen ut concinentibus F C simplicius archetypi notam A adscriberem. coniectura parcius usus sum non Stobaeum sed librarios castigaturus. de uncinis, quibus excerptoris additamenta distinxi, alio loco dicendum erit.

IV DE AETII PLACITIS

Plutarchi et Stobaei placitorum consensum ex usu maioris libri explicandum esse quem alter altero plenius exhauserit, id paene omnes consentiunt qui vel leviter illa scripta tetigerunt. atque si cui forte dubitatio erat impedito idonearum editionum usu, is iam ex nostrae instituto quid utriusque sit proprium quid commune nullo negotio dispiciet. ad maioris autem corporis imaginem instaurandam priusquam accedamus, circumspiciamus oportet si extra Plutarchi Stobaeique excerpta alia sint servata. scilicet mirum videtur hanc quam necessariam dico et principalem nostrae quaestionis partem ne attigisse quidem Volkmannum, qui nuper Placitorum vicissitudines tandem aliquando enodare sibi proposuerat. [N. jahrb. f. Philol. CIII 1871 p. 683—705].

Theodoretus episcopus Cyrensis idem quem supra p. 10 strinxi amplissima servavit ex communi illo fonte excerpta, quae, si excipias verba quibus ille abundat, tam raro [1] sunt arbitrio adulterata, ut summa illis fides habenda sit. insunt eclogae in Graecarum affectionum curatione [ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτική rec. Th. Gaisford. Oxon. 1839], cuius liber IV inde a c. 5 excerpta habet Placit. 3 12—19. 21—23. 25. 26. unde cum Plutarchus 18. 21. 22. 25, Stobaeus 12. 15—26 compilaverit, apparet quanto magis ille pristini exemplaris ubertatem adsequatur. augetur philosophorum index Parmenidis et Melissi nominibus, aliorum tituli crescunt vel patriae ut Stratonis vel aetatis ut Epicuri vel decretorum accuratiore descriptione. explicandi gratia paucula addidisse Theodoretum velut § 18 [2], non est quod acrius castigem.

Ad I 5 dubitanter rettuli quae IV 12 Hippasi et Heracliti de universo traditur sententia. sed inveniri possit etiam alia idonea sedes. quin e Placitis ea excerpta sit, dubitatio est nulla.

---

[1] fortasse philosophorum patrias et magistros subinde ex sua memoria addidit cf. I 69 sq. sed hoc demonstrari nequit.

[2] καλεῦσι δὲ — παλλόμενα atomorum definitio manavit ex Aristot. d. anima I 2 p. 404a 3, quem tamen haud scio an ipse non usurpaverit.

I 9 2—7 a Theodoreto IV 13 melius excerptum est quam a Plutarcho et Stobaeo, quibus pulchra succreverunt supplementa. § 2 brevior est Plutarchus οἱ ἀπὸ Θάλεω καὶ Πυθαγόρου καὶ οἱ Στωικοί, obscurior Stobaeus οἱ ἀπὸ Θάλεω καὶ Πυθαγόρου λέγω δὲ τοὺς μέχρι τῶν Στωικῶν καταβεβηκότας σὺν Ἡρακλείτῳ. utrumque pertaesum est plene describere. quanto melius ille Θαλῆς καὶ Πυθαγόρας καὶ Ἀναξαγόρας καὶ Ἡράκλειτος καὶ ὁ τῶν Στωικῶν ὁρμαθός, ubi tamen ultimam vocem ignosces episcopo elegantiarum aucupi. § 3 Democritum solum cognoverunt Plutarchus et Stobaeus, plenior ille Δημόκριτος δὲ καὶ Μητρόδωρος καὶ Ἐπίκουρος. § 4 temere conflavit Plutarchus Aristotelis Platonisque lemma, Stobaeus priore caret, distinguit utrumque recte Theodoretus.

IV 14 addidit eclogas de vacuo quae respondent Placitorum I 18 1—5. sed liberius non modo ordinem mutavit ut qui 3. 1. 2. 5. 4 collocaret, sed etiam § 3 Democriteorum sententiam ipse immutavit, nisi tamen aliam sententiam a Stobaeo Plutarchoque omissam ex ampliore libro petivit.

VI 13 ex Placit. I 25 excerptae sunt §§ 2. 3.

VI 14 ex I 27 1. 2. 5 accessit Chrysippi lemma, quod culpa librarii in Stobaeo interciderat.

ibidem ex I 28 3. 4 excerpta brevissime.

VI 15 ex I 29 1. 2. 6 extremo capite illinc Democriti nomen a Plutarcho et Stobaeo omissum addere licuit. fortasse coniungendum est cum hoc lemmate, quod in fine Stobaeus addit omissum a Plutarcho τύχη ἀτάκτου ἐνεργείας ἐστὶ προσηγορία.

IV 15 incipiunt excerpta alterius libri. respiciuntur II 1 2. 3.

IV 16 II 2 1—3 brevissime comprehendit. sed gravissime addit de mundi motione καὶ οἱ μὲν μυλοειδῶς, οἱ δὲ τροχοῦ δίκην περιδινεῖσθαι, quod ad Anaximenem et Anaximandrum mihi referenti multi erunt qui credant.

IV 17—20 stringit II 3 1. 2. 4 1—12, ibidem 13 1. 3—5. 7. 9. 12—15 verbis alienis res diligenter exprimens. multus est IV 21. 22 in opinionibus de sole enumerandis. nam II 20 1. 3. 5. 6. 7. 9—16. 21 1—4. 22 2. 3 translata sunt, similiter IV 23 de luna II 25 2. 3. 8. 9. 13. 14. accessit inde nova Heracliti mentio post § 3. omissis lemmatis excerptum II 26 1. 2. 3. 4. inde ditantur Placita hoc novo: ἄλλοι δὲ σπιθαμῆς ἔχειν διάμετρον. brevissime tangit IV 24 capita 27. 29. 31. tertius liber neglectus est.

At crebrae sunt summique pretii eclogae ex Plac. l. IV, qui est de anima. Theodoreti V 17 sqq. in Stobaeo Plutarchove IV 2 1—7. 3 2—4. 6. 11. 13 reperiuntur, quibus addenda ex illo Anaximandri Empedoclis Critiae nomina. IV 4 post § 1 Xenocratis et Aristotelis grata augmenta accedunt. Stoicorum definitio § 4 nota fuit, ignota deinde Pythagoreorum. IV 5 1—6. 8 aliquanto auctius et minus turbatum quam in Plutarcho legitur. amplissimum spicilegium ad IV 7 colligitur. Theodoretus enim octo

paragraphos servavit, illi quinque, praeterea lemmata integriora istic.[1] quintus liber non inspectus est.

Apparet ex hoc conspectu, quanti sint nobis Theodoreti excerpta sive ordinem sive scripturam sive copiam grandioris operis restituturis. nam paucula menda atque genuinae collocationis turbas prae reliqua praestantia libenter condonemus.

Singulare autem ac quantivis pretii est Theodoreti illud beneficium, quod plenioris libri auctorem ita significavit ut post tot saeculorum exilium revocari tandem aliquando ac postliminio restitui posset. Cyrensis episcopus graecanicam pestem curaturus Eusebii exemplar eo quoque secutus est, ut gentilium philosophiam et theologiam ex ipsorum scriptis refutaret animisque errorem prius evelleret quam veram doctrinam instillaret. ergo ne fallaciae argueretur creberrimus est in testimoniis Graecorum, parcissimus in Eusebii ac Clementis, unde tamen pleraque omnia furatus est. nec ipse celavit istanc rationem. X 42 Οἰνομάου δὲ καὶ Πορφυρίου καὶ Πλουτάρχου καὶ Διογενιανοῦ καὶ τῶν ἄλλων ὑμῶν ἕνεκα ἐπεμνήσθην, ἐπειδήπερ ὑμῖν τὰ ὑμέτερα λέγοντές εἰσιν ἀξιόχρεοι, ἡμῖν δὲ ἀρκεῖ τῶν πραγμάτων ἡ μαρτυρία. nomina existimationis apud Graecos gratia afferuntur, ipsae res ex Eusebio videlicet transcribuntur. hinc Porphyrius totiens in testimonium vocatus ut II 43 εἰ δ' ἔτι καὶ νῦν ἐνδοιάζετε καὶ πλάττειν ἡμᾶς τόνδε τὸν λόγον ὑπολαμβάνετε, Πορφύριος γοῦν ὑμῖν μάρτυς ἀξιόχρεως ἔστω. nec secus I 14 καὶ ταῦτα διδάσκει μὲν Πλούταρχος ὁ Βοιώτιος, διδάσκει δὲ καὶ Πορφύριος ὁ κατὰ τῆς ἀληθείας λυττήσας καὶ μέντοι καὶ Νουμήνιος καὶ ἕτεροι πλεῖστοι. hinc etiam ea quae appositurus sum melius perspicientur. postquam enim IV 5—24 Placita valide compilavit Socratisque ut locupletissimi testis memoriam citavit, pergit § 31: εἰ δέ τις οἴεται κἀμὲ συκοφαντῆσαι τοὺς ἄνδρας τὴν παμπόλλην αὐτῶν διαφωνίαν ἐξελέγχοντα ἀναγνώτω μὲν

Ἀετίου τὴν περὶ ἀρεσκόντων ξυναγωγήν, ἀναγνώτω δὲ

Πλουτάρχου τὴν περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις δοξάντων ἐπιτομὴν καὶ Πορφυρίου δὲ ἡ φιλόσοφος ἱστορία πολλὰ τοιαῦτα διδάσκει

ἀπόχρη δὲ καὶ τὰ Ξενοφῶντος ὧν ἀρτίως ἐμνήσθημεν [ἀπομνημονεύματα § 30] μαρτυρῆσαι τοῖς παρ' ἡμῶν εἰρημένοις ἀλήθειαν.

Ultima vides propter Socratis ex Xenophonte memoriam dicta esse. ergo indagandus est Placitorum auctor in eis, quae ante Socratem excerpta sunt. sed tres nominantur Aëtius Plutarchus Porphyrius, cum tamen unus liber sine dubio ad manus fuerit. quis igitur fuit? Porphy-

[1] quae secuntur affect. cur. V 25 sq. Ζήνων κτλ. liberius ex Eusebio XV 20 sq. expressa sunt. quod moneo non solum propter Gaisfordium, quem Eusebii memoria latuit, sed propterea quod iam Theodoretus c. 18—20 falso Numenio continuavit, qui c. 17 praecessit. sunt autem revera illa capita Arii Didymi fr. 39. cf. Krische Forsch. p. 359. 483 Thedinga de Numenio Bonn. 1875 p. 9. error autem utrum post Eusebium insinuarit an ipsi Eusebio schedulas colligenti acciderit [cf. I. Freudenthal Hellenist. Stud. I p. 5], perinde est.

riusne qui Historia sua vitas philosophorum descripsit nec ultra Platonem descendit? an Plutarchus cuius Placitorum epitome iam Eusebio eadem cognita fuit quae nobis? at Theodoretus non epitomen usurpavit sed pleniorem librum qui integritate Stobaeum Plutarchumque longe superabat. restat Aëtii περὶ ἀρεσκόντων liber, cuius scriptoris ignotum nomen nisi plane inepte clarissimis Plutarchi et Porphyrii additum putes, verus est Theodoreti fons. idemque scriptor cum Plutarcho et Porphyrio iterum coniunctus apparet V 16 ἃ δέ γε ξὺν θεῷ λέξω [secuntur excerpta de anima cf. p. 46] ἐκ τῶν Πλουτάρχῳ καὶ Πορφυρίῳ καὶ μέντοι καὶ Ἀετίῳ ξυγγεγραμμένων ἐρῶ. ubi cur Aëtium tanta vi (καὶ μέντοι καὶ) aliis postposuerit, nullo modo dispicias, nisi ex hoc excerpsit, illos splendoris gratia nominavit. nam Aëtio soli non cito Graeci credidissent, crediderunt illorum patrocinio commendato et sustentato. Plutarchus quidem *omnis philosophiae venus et lyra* [Eunap. praef. p. 3 Boiss.] quanta tunc auctoritate floruerit, constat. idem de Porphyrio ex Christianorum et ipsius Theodoreti internecivo odio satis elucet [cf. Bernays ad Theophrast. de piet. not. 7, R. Volkmann. observat. miscell. Iauer 1873 p. 14]. simillime autem Cyrillus utrumque coniunxit [cf. p. 10] γεγράφασι δὲ περὶ τούτων Πλούταρχός τε καὶ ἕτεροι τῶν παρ' αὐτοῖς λογάδων καὶ ὁ θρασὺς καθ' ἡμῶν Πορφύριος. ac ne quis credat Theodoreto quid interesset inter Aëtium Plutarchum Porphyrium parum fuisse cognitum, adscribam tertium locum II 95 ubi nominatis tritissimis mythographorum nominibus afferuntur philosophiae enarratores Πλούταρχος δὲ καὶ Ἀέτιος τὰς τῶν φιλοσόφων ἐκπαιδεύουσι δόξας. τὸν αὐτὸν δὲ καὶ ὁ Πορφύριος ἀνεδέξατο πόνον τὸν ἑκάστου βίον ταῖς δόξαις προστεθεικώς.[1] at, inquies, miror illius diligentiam in compilatorum natione rarissimam. cur tandem amplioris operis molem versavit cui compendii erat commodior facultas? respondebo tibi, si Plutarchea nominatim excerpta II 112 et III 4 afferas, Plutarchi epitomen illi praesto non fuisse, sed Eusebium [cf. supra p. 10], unde licuit illius eclogas transferre uberrimas. sed Aëtio excerpto rebus ab illo prolatis novam fidem addere malebat.[2]

Ecce tandem velut ex inferis citatum Aëtium Placitorum collectorem. cuius tamen tanta est obscuritas ut praeter nomen nihil omnino memoriae proditum sit. accedit quod nomen ipsum posterioribus temporibus sat

---

[1] quoniam haec verba sunt clarissima et cum Porphyrii fragmentis congrua, nolo pluribus refutare, quae R. Volkmannus inde elicuit [N. jahrb. CIII 705, cf. obs. misc. p. 16]. nimirum ne protulisset quidem talia vir eruditissimus, nisi ex Stobaei errore opinionem probaturus fuisset longe falsissimam. nam quod Plac. I 14 1 Porphyrii lemma perverse additur, nemo mirabitur qui eclogarum memoriam cognovit [cf. e. g. p. 148, 10 M. ecl. I 25 4]. Theodoreti excerpta neglexit Volkmannus. invenisset ibi Xenophanis sententiam etiam a Stobaeo confirmatam, quae Porphyrii de illo iudicio contraria est. cf. Zeller I^4 496^4. cetera commenta non persequor, quia hac disputatione Volkmannum edoctum iri spero.

[2] ne quid scrupuli exoriatur propter III 54 Πλούταρχος δὲ ὁ Χαιρωνεὺς τὴν γῆν προσηγόρευσεν Ἥραν, quod conferat quispiam cum Stobaei eclog. I p. 288 St., moneo Theodoretum Plutarchi Daedal. fragm. ap. Euseb. III 4 transtulisse, quod editores fugit.

frequens (noti sunt Aëtii haereticus et medicus et amicus Isidori Pelusiotae, alii ap. Fabric. IX 243 H.) antea est rarissimum. hoc nisuros esse divino eos qui hominem novum ex scriptorum graecorum senatu excludendum esse censeant. quamobrem praeter Aëtium Troezeniorum priscum regem [Pausan. II 30 8] unum afferam proximum ei aetati, qua Placita scripta esse postea docebo. octavo enim saeculo a. u. c. floruit Aëtius rhetor, cui mortuo elogium [1] scripsit Philippus Thessalonicensis qui post Augustum, fortasse etiam sub Augusto scripsisse veri similiter creditur. nam Philippus anthologiam collegit qua Meleagream continuavit poetasque a Philodemo ad Automedontem Nervae aequalem comprehendit [cf. Iacobsii Anth. XIII 934]. ergo inauditum illa aetatę nomen Aëtii non est, sed obscurius. neque scriptio sola diligentia commendata auctoris nomen nobilitare poterat. praeterea Plutarcheae epitomes ementita auctoritas adeo Aëtio offecit ut paucissimi eum adirent. nam praeter Stobaeum et Theodoretum unus Nemesius ex maiore illo libro haurire maluit.

Nemesius Emesenus in Phoenicia episcopus qui saeculo quarto exeunte fuisse creditur librum suum de natura hominis subacti ingenii variaeque lectionis testem Aëtianis coloribus compluries ornavit. statim c. 2 p. 28 Antv. de anima concinnatum est ex Aëtii IV 3 3. 14. 9. 5[2]. 12. 2 1. 3 [eadem § iteratur p. 44 coniuncta cum § 4] 5. 6. 7 ex Aëtii IV 13 9. 11 expressae sunt Hipparchi et Platonis sententiae c. 7 p. 78. 79. quae cum geometrarum Epicuri Aristotelis sententias cingant a Placitorum ratione non nimis recedentes operae pretium facturus mihi videor si hic saltem excerpsero, quoniam ipsis Placitis inserere nimiae esset audaciae. [3] geometrarum certe nomen abest a Placitis, quae mathematicos citare solent. praeterea refertus est liber optimorum librorum excerptis, velut Galenus ac Porphyrius in vicinia citantur. quare unde potissimum illa sumpserit plane incertum est [cf. Alex. ad Arist. d. sens. p. 58, 7 Thur.].

---

[1] Anthol. VII 362 Φιλίππου Θεσσαλονικέως

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν σόρος ἥδε κέκευθεν
Ἀετίου χρηστοῦ ῥήτορος εὐπρεπέος [ἐκπρεπέος P].
Ἦλυθε δ' εἰς Ἀίδαο δέμας, ψυχὴ δ' ἐς ὄλυμπον.

secuntur in P duo interpolati versus.

[2] sed hic Aristotelis simul de anima I 2 p. 404ᵃ 3 memor fuit, unde tamen ἀήρ, si modo lectio sana, translatum esse non potest.

[3] p. 78 Antv. 179 Matth. οἱ δὲ γεωμέτραι κώνους τινὰς ἀναγράφουσιν ἐκ τῆς συνεμπτώσεως τῶν ἀκτίνων γινομένους τῶν ἐκπεμπομένων διὰ τῶν ὀφθαλμῶν. πέμπειν γὰρ ἀκτῖνας τὸν μὲν δεξιὸν ὀφθαλμὸν ἐπὶ τὰ ἀριστερὰ τὸν δὲ ἀριστερὸν ἐπὶ τὰ δεξιά, ἀπὸ δὲ τῆς συνεμπτώσεως αὐτῶν ἀποτελεῖσθαι κῶνον ὅθεν ὁμοῦ μὲν πολλὰ περιλαμβάνειν ὁρατὰ τὴν ὄψιν, βλέπειν δὲ ἀκριβῶς ἐκεῖνα ἔνθα ἂν συνεμπέσωσιν αἱ ἀκτῖνες. οὕτω γοῦν πολλάκις ὁρῶντες εἰς τοὔδαφος οὐχ ὁρῶμεν τὸ ἐν αὐτῷ νόμισμα κείμενον ἀτενίζοντες ἐπὶ πλεῖστον, ἕως ἂν αἱ συμβολαὶ τῶν ἀκτίνων ἐν ἐκείνῳ γένωνται τῷ μέρει ἔνθα κεῖται τὸ νόμισμα καὶ τότε τῇ θέᾳ προσπίπτομεν αὐτοῦ ὡς τότε πρῶτον ἀρξάμενοι προσέχειν. — οἱ δὲ Ἐπικούρειοι εἴδωλα τῶν φαινομένων προσπίπτειν τοῖς ὀφθαλμοῖς. — Ἀριστοτέλης δὲ οὐκ εἴδωλον σωματικὸν ἀλλὰ ποιότητα δι' ἀλλοιώσεως τοῦ πέριξ ἀέρος ἀπὸ τῶν ὁρατῶν ἄχρι τοῦ ὄψεως παραγενέσθαι.

Chrysippi de phantasia opinionem ex Aëtio ad verbum fere transcripsit p. 75 A. p. 172 Matth. eandem solus Plutarchus servavit IV 12, cuius comparatio non uno nomine est fructuosa. meliore quam illi exemplari usus videtur IV 8 1. 3. cf. infra p. 55.

Ex Nemesio liberiore ratione compilata sunt, quae Placitorum memoriae similia inveniuntur in Meletii de natura hominis synopsi, quam edidit Cramerus in Anecdotorum Oxoniensium volumine tertio p. 1—157. atque Epicureorum Aristotelis Platonis Galeni de visu opiniones p. 71, 7—14 ex Nemesii c. 7 p. 79 sq., Dinarchi [Dicaearchi] Galeni Aristotelis Pythagorae Xenocratis Manichaeorum Platonis Cronii Porphyrii de anima placita p. 145 sq. e diiunctis Nemesii locis p. 35 sqq. 28. 44. 29. 49. 51 neglegenter consuta sunt.

Haec fere Aëtii extra Plutarchum Stobaeumque excerpta. ad quae examinanda priusquam me convertam, paucis praefandum est de antiqui exemplaris, quo uterque diversis temporibus usus est, condicione. neque enim paucis illud neque levibus naevis inquinatus erat sive ipsius collectoris neglegentia sive librariorum supina socordia. etenim diu est, cum scribarum stupor incusari coeptus est neque Hyperidis Herculanensesque papyri ac ne Atticiana quidem exempla puerilibus erroribus libera sunt. quid igitur de scholicis eiusmodi atque humilibus scriptis cogitabis, qui multo minore religione quam praecipuorum scriptorum monumenta describebantur contra legebantur emendabantur? ergo ne compilatoribus fiat propter exemplaris pravitatem iniuria, hanc accipe antiquorum mendorum tabulam.

I 15 3 quattuor colores enumerantur λευκὸν μέλαν ἐρυθρὸν ὠχρόν. nec secus §§ 7 et 8. ὠχρόν corruptum esse multi viderunt, primus Burchardus Democrit. de sens. p. 22. unde Meinekeo in Stobaeo ter corrigere placuit. sed antiquum est vitium, quia in eodem ὠχρόν mendosus est Plutarchus § 7. Aëtiusne an librarius tam pertinaciter peccaverit nescio. fortasse in mente erant ἐρυθρόν et ὠχρόν humanae faciei colores oppositi.

I 3 3 Ἀναξίμανδρος . . . τὸ ἄπειρον. ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα φθείρεσθαι. διὸ καὶ γεννᾶσθαι ἀπείρους κόσμους καὶ πάλιν φθείρεσθαι εἰς τὸ ἐξ οὗ γίνεται. haec ambo fideli concordia. corruptum autem esse ultimum illud γίνεται non solum Heerenius intellexit sed etiam Plutarchi codicis B scriptor. uterque γίνονται scilicet promptissima medicina rescripsit. sed quis credat tam plana ab antiquo scriba corrupta esse? quare Meinekeus πάλιν mutavit in πᾶν cetera sana esse ratus. sed ea coniectura, ut aliquam multa in Stobaeo, infelici manu iacta est. nam cui bono illa πάντα φθείρεσθαι in novo enuntiato iterata putas? credo Aëtium scripsisse γίνεσθαι, ut eadem sane sententia quam qui γίνονται voluerunt restituatur. infinitivum in relativis structuris cane peius et angue odisse constat librarios. similiter quidem in Plac. V 16 1 ὅθεν . . . τρέφεσθαι bis in τρέφεται, tum iterum in τρέφονται ut supra, correctum est. verum ibi ex Galeno restitui.

I 5 4 ὅτι δὲ ἄπειρος κατὰ τὸ πλῆθος [mundus], δῆλον ἐκ τοῦ ἄπειρα τὰ αἴτια εἶναι. εἰ γὰρ ὁ μὲν κόσμος πεπερασμένος τὰ δὲ αἴτια πάντα ἄπειρα, ἐξ ὧν ὅδε [1] ὁ κόσμος γέγονεν, ἀνάγκη ἀπείρους εἶναι. ὅπου γὰρ τὰ αἴτια πάντα ἐκεῖ καὶ ἀποτελέσματα. αἴτια δὲ ἤτοι αἱ ἄτομοι ἢ τὰ στοιχεῖα. talia fere Stobaeus et Plutarchus nisi quod hic ὅπου γὰρ τὰ πάντα αἴτια collocat. sed syllogismi nervus exciditur nisi notionem principalem et efficacem addideris ἄπειρα. hoc nimirum vidit Reiskei acumen, qui constituit ὅπου γὰρ ἄπειρα τὰ αἴτια, ἐκεῖ καὶ τὰ ἀποτελέσματα. illud τὰ post καὶ expleverant iam Byzantini, fortasse scriptum erat τἀποτελέσματα. unde tamen ΠΑΝΤΑ in litteras parum similes ΑΠΕΙΡΑ conversum? explicatur, si duobus versibus superius τὰ δ' αἴτια πάντα ἄπειρα legi meminerimus, quod librarii oculos decepit. ergo in Aëtio olim fuit ὅπου γὰρ τὰ αἴτια ἄπειρα, ἐκεῖ καὶ τἀποτελεσμάτα.

I 7 33 de deo Stoicorum: καὶ πνεῦμα μὲν ἐνδιῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνον δι' ὅλης τῆς ὕλης δι' ἧς κεχώρηκε παραλλάξεις. talia Eusebius cum libris AC, nisi quod ille παρραλλάξεις cum quadrare neutiquam videret omisit. [2] aliter B corruptae sententiae medebatur. rescripsit παραλλάξ, quod ut grammaticae satis faciat sensum praebet nullum. paulo melius Stobaeus παραλλάξαν cui simili Stoicorum loco III 7 2 uti licuit οἱ Στωικοὶ πᾶν πνεῦμα ἀέρος εἶναι ῥύσιν, ταῖς τῶν τόπων δὲ παραλλαγαῖς τὰς ἐπωνυμίας παραλλάττουσαν. sed obstat et aoristi tempus et participium male priori μεταλαμβάνον coniunctum. praeterea utroque participio plane idem diceretur. quare a vero propius afuere Galenus Athenagorasque qui fortuito in idem inciderunt κατὰ τὰς τῆς ὕλης . . . παραλλάξεις. quod quomodo conciliandum esset cum tradita memoria, docuit Beckius optime rescriptis his διὰ τὰς τῆς ὕλης . . . παραλλάξεις.

I 3 8 μέχρι γὰρ τῶν δέκα πάντες . . . ἀριθμοῦσιν ἐφ' ἃ ἐλθόντες πάλιν ἀναποδοῦσιν ἐπὶ τὴν μονάδα. quid significet inauditum illud ἀναποδοῦσιν e conexu minime est dubium. utrum ἀναποδεῖν an ἀναποδοῦν sonet ambigi potest. at hoc alieno sensu Ioanni Laurentio de magistr. R. p. 72 est 'pedibus rursus instruere'. sollemne est in arithmeticis ἀναποδίζειν et ἀναποδισμός. nolo testimoniorum nubem omnem effundere. [3] satis constare mihi videtur ἀναποδεῖν nec vulgare nec Pythagoreis proprium fuisse. unde fuerunt qui ἀναποδίζουσι amplecterentur, quod parum habet

---

[1] ὅδε om. E B, Stobaei codices praebent δέ. fortasse hoc δέ corruptum extitit in Aëtio, ut coniectura in codices A C inlatum esse verum putemus.

[2] nam quod deesse in cod. B non notatur a Gaisfordio, nihil curo.

[3] cf. Nicomach. Ger. arithm. is. I 5 2 II 2 2. Theon. astron. p. 204. Mart. [Theon.] schol. ad Arat. phaen. 19. Achill. isag. in Arat. p. 132 Pet. Hippolyt. refut. p. 264, 26 Gott. Moderatus Pythag. ap. Stob. ecl. I 1 5. ἀναποδίζειν ἑαυτόν pedem referre Herodot. II 116 cf. Stein ad V 92. ἐπαναποδιστέον Aristoteles p. 317b 19. ἀναποδίζων εἰς τοὐπίσω Herodian. Histor. V 6 17 Lucian. merced. cond. 21. necyom. 7. Abd. c. 17. alii illo mathematico sensu habent verbum ἀναλύω Sext. adv. arithm. IV 2 vel ἀνακάμπτω Philo de opific. p. 10 Mang. Philopon. ad Arist. d. anima p. 404b 19. Hierocl. in carm. aur. p. 166.

veri similitudinis. Reiskeus si minus ad rem, ad litteras aptius ἀναπολοῦσι. sed Platonicae vocis elegantia, quam explicavit Wyttenbachius ad Plut. de ser. num. vind. p. 60, a sensu abhorret. Pythagoreis quoque ipsis ἀναπόλησις fuit cottidiana vitae actae commentatio. sed manum de tabula. nihil enim medicinae exputari posse videtur, qua litteris traditis consulatur. et alia mihi arrisit explicandi ratio. notum est ultimis ante Chr. saeculis floruisse Pythagoreorum librorum fabricam, quibus ne quid ad antiquitatis speciem deesset dorica loquela induebatur. quod quoniam non sine erroribus et fraudibus fieri solebat, suspicor Pythagoreum finxisse pro vulgari ἀναποδίζουσι ἀναποδέοντι quod Aëtius securus in vulgarem sermonem transponeret.[1] librarius autem Plutarchi — nam in Stobaeo hoc deest — prodigioso opinor verbo delectatus post tres versus ἀναποδῶν absurde inculcavit τὸ δὲ αἴτιον εἴ τις ἀπὸ τῆς μονάδος ΑΝΑΠΟΔΩΝ κατὰ πρόσθεσιν τιθείη τοὺς ἀριθμοὺς ἄχρι τῶν τεσσάρων προελθὼν κτλ. sensui satis facit Useneri ἀναλαβών, sed ubi oculi aliorsum aberrarunt erroris cogitari possunt viae multae.

I 12 5 Ἐπίκουρος δὲ ἀπερίληπτα εἶναι τὰ σώματα καὶ τὰ πρῶτα δὲ ἁπλᾶ, τὰ δὲ ἐξ ἐκείνων συγκρίματα βάρος ἔχειν. opponuntur elementa et rerum concretiones ut I 15 8. sed cum elementis gravitatem eximit, peccat Aëtius contra Epicuri doctrinam. simul ἀπερίληπτα ad σχήματα referenda esse docet Laertius X 42. accedit durior vocabulorum structura, ut sana verba nullo modo esse possint. forsitan alii luxata restituant, equidem spem deposui Aëtiumque Epicureis minus imbutum verba fortasse olim corrupta male coniunxisse credere malo.[2]

II 20 13 Ἐμπεδοκλῆς δύο ἡλίους. τὸν μὲν ἀρχέτυπον πῦρ ἐν τῷ ἑτέρῳ ἡμισφαιρίῳ τοῦ κόσμου, πεπληρωκὸς τὸ ἡμισφαίριον sic recte nostri codices. sed Stobaeus miro consensu cum Eusebio πεπληρωκότος. unde erit qui Aëtii antiquum mendum odoretur. cui ego libenter adstipularer, nisi tam vulgata esset syllabarum ος et οτος in libris confusio. accedit hoc loco, quod genetivus κόσμου praecedit. quare Byzantini Eusebii et Stobaei librarii in culpa esse videntur. Aëtio autem ipsi tribuendum, quod Empedoclis de sole doctrinam tantum non deliram proposuit. erroris causam neque prorsus recte perspexit Karstenius Emp. p. 428 sq. neque ipsius doctrinae quid subesset veri, probe explicavit Pythagorearum opinionum oblitus. quo magis mirandum est illum coniectando succurrisse ἀπὸ κυκλοτεροῦς τῆς αὐγῆς mutato pro τῆς γῆς, quae coniectura ultima

---

[1] constat eadem fraude Iadis imitatores et corruptores esse grassatos. velut 'scriptor rerum, inquit Stein praef. Herodot. ed. mai. p. L, quem ridet Lucian. quomodo histor. conscr. 18. Herodoti illa ἣν Κανδαύλης τὸν οἱ Ἕλληνες Μυρσίλον ὀνομάζουσι hunce in modum dum imitatur corrupit: ἣν Ὑσρόης τὸν οἱ Ἕλληνες Ὀξυρόην ὀνυμέουσι. corruptum esse ὀνυμέουσι ex ὀνυμαίνουσι [ὀνυμένουσι] mavult Usenerus.

[2] si verba non ad veritatem sed ad falsam Aëtii de atomis opinionem restituere velis, fortasse talia placebunt ἀπερίληπτα εἶναι τὰ σχήματα καὶ τὰ πρῶτα μὲν ἀβαρῆ κτλ. cf. Alex. ad metaphys. I 4. 985b 4 p. 27, 25 Bon.

verba ἀνταύγειαν εἶναι τοῦ περὶ τὴν γῆν πυρὸς τὸν ἥλιον neglexit neque tamen quidquam ad excusandum Aëtium profecit. praeterea eidem paragrapho turpissimus soloecismus antiquitus est inustus. quis umquam audivit ὡς βραχέως εἰρῆσθαι συντεμόντα? debebat certe συντεμόντι, quod Stobaeo suo iure restituit Meinekeus. sed accusativum praebent etiam Plutarchi codices cum Eusebio. nam etsi a vulgari more recedunt non solum Byzantinus Nicetas Chon. in praef. ὡς ἐπιτρέχοντά με εἰπεῖν sed etiam Hippolytus refut. VI 29 p. 270, 25 Gott. ὡς ἐν κεφαλαίοις εἰπεῖν ἐπελθόντα et Herodotus III 8 2 ἑνὶ δὲ ἔπει πάντα συλλαβόντα εἰπεῖν, tamen sine vitio illi quidem. sed passivum quomodo concilies cum accusativo? quare vide ne antiqua glossa συντεμ$^{\tau}$ον margini ad βραχέως adscripta corrupta irrepserit. qua remota simul orationi consulueris abundanti.

II 24 1 Θαλῆς πρῶτος ἔφη ἐκλείπειν τῆς σελήνης αὐτὸν ὑποτρεχούσης κατὰ κάθετον οὔσης φύσει γεώδους. βλέπεσθαι δὲ τοῦτο κατοπτρικῶς ὑποτιθεμένῳ τῷ δίσκῳ. talia Plutarchi codices. extrema insana videbantur non solum librariis, velut illi qui in C ὑποτιθεμένῳ signo in margine notavit, sed etiam editoribus. Wyttenbachius quidem rescripsit βλέπεσθαι δὲ ταύτην κατοπτρικῶς ὑποτιθεμένην τῷ δίσκῳ. et praebet ipsum illud ὑποτιθεμένην Eusebius. at Stobaeus ὑποτιθέμενον legit consentiens cum Plutarcho in τοῦτο. quare diu multumque leniorem rationem circumspexi. memineram veteres defectionem ne sol oculos perstringeret ex aquae oleive pleno vasculo repercussam contemplatos esse. cf. Laert. VII 146. Plato Phaed. p. 99D cum Wyttenbachii nota. clare Seneca N. Qu. I 12 1 quotiens defectionem solis volumus deprehendere, ponimus pelves quas aut oleo aut pice implemus. unde explicabam: conspici hoc [quomodo defectio fiat] tanquam speculo subdito vasculo. sed graecum erat ὑποτιθέντι τὸν δίσκον. praeterea refragatur δίσκος. quae vox ut alias vas significat, ita ter in hoc capite de orbe solis dicitur. tandem scholiasta Germanici p. 198, 4 Br. [Sueton. Prat. p. 213 R.], ubi plenilunium explicat, aliquid saltem lucis attulit: cum vero contra steterit [luna soli], toto feritur adverso et velut speculum non vim sed imaginem reddit. hinc Plutarchi sententiam sic intellegendam puto: quod luna defectionem solis efficiat, inde conspici, quod subiecti lunae orbis imago tanquam speculo soli impressa videatur. vocabulorum autem quae fuerit vera condicio, penes alios esto iudicium.

II 29 6 τὰς δὲ ἐκλείψεις εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἐμπίπτουσαν [efficere lunam], μεταξὺ μὲν ἀμφοτέρων τῶν ἀστέρων γινομένης [γενομένης male Stobaeus], μᾶλλον δὲ τῆς σελήνης ἀντιφραττομένης. active dicitur ἡ γῆ ἀντιφράττει τῇ σελήνῃ sc. τὸ φῶς, ergo dici potest ἡ σελήνη ἀντιφράττεται ὑπὸ τῆς γῆς et sententiam illam expressit Wyttenbachii interpretatio 'aut potius cum eius officitur illuminationi a terra'. sed et exempla passivi deficiunt et structurae continuatio isto modo invertitur. quod movit Reiskeum, ut τῇ σελήνῃ mutaret, ἀντιφραττομένης haud dubie medio genere

positum credens. nam quod Duebnerus Reiskeana coniectura recepta Wyttenbachii latina repetiit, hoc admodum miror. ceterum medium nusquam invenitur et scribendum erit utcunque cetera ordinaveris ἀντιφραττούσης. cf. Arii Didym. fr. 10. sed nondum dubitandi finis. tetigimus vulnus suppuratum. quid est enim μᾶλλον δέ? quo rem aut vocem minus apte redditam emendare solemus, id stare hic nullo modo potest, quia terram ἀντιφράττειν plane necessario consequitur ex eo quod μεταξὺ ἀμφοτέρων τῶν ἀστέρων [solis et lunae] γίνεται. iam mihi compara Hippolyti de Anaxagora locum I 8 9 ἐκλείπειν δὲ τὴν σελήνην γῆς ἀντιφραττούσης ... τὸν δὲ ἥλιον ταῖς νουμηνίαις σελήνης ἀντιφραττούσης. similiter Laert. Diog. VII 145 de Stoicis: ἐκλείπειν δὲ τὸν μὲν ἥλιον ἐπιπροσθούσης αὐτῷ σελήνης ... τὴν δὲ σελήνην ἐμπίπτουσαν εἰς τὸ τῆς γῆς σκίασμα. quare probabile mihi videtur opponi etiam illic (σελήνην τὰς ἐκλείψεις ποιεῖσθαι) εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἐμπίπτουσαν μεταξὺ [μὲν] ἀμφοτέρων τῶν ἀστέρων γινομένης, ἥλιον δὲ τῆς σελήνης ἀντιφραττούσης .. sed utrum librarii illud peccaverint an Aëtius antiquo mendo ΜΑΛΛΟΝ deceptus, non liquido constat. hoc ideo praestat quod solis defectio ad c. 29 non accurate quadrat.

III 4 5 στρογγυλαίνεσθαι τὴν χάλαζαν καὶ τὸν ὑετὸν ἀπὸ τῆς μακρᾶς καταφορᾶς ὑποπεπλασμένον. quae propono pariter exhibent Plutarchus et Stobaeus neque accusabo Aëtium librariosve sed explicabo, cum ὑποπεπλασμένον omnibus fere suspectum videam. praeiverat Galenus Reiskeo ἀποπεπληγμένον. nam tale quid ille legerat, si quidem variat ἀποπληττόμενον. Budaeus compactilem i. e. συμπεπιλημένον quod in Vossiano coniectum est. similiter πνεῦμα ἀποτελεῖν χάλαζαν πιλῆσαν III 4 5. alii aliter omnes sanissimam sententiam temere attrectantes. verte: propter cadendi diuturnitatem sensim conformatum.[1] ὑποπλάσσειν similiter usurpatum vix invenies. omnino rarissimum est verbum. sed nota sunt ὑποκαταβαίνειν sensim descendere ὑποσκιάζειν sensim obscurare alia. περιπλάττεσθαι de σχημάτων formatione dixit Theophrastus de sens. 66.

III 15 10 Πλάτων [de terrae motu] ... τὴν γῆν ... μένειν μὲν ἀκίνητον μηδὲν ἔχουσαν ἐξαίρετον εἰς τὸ ῥέψαι μᾶλλον, τόπους δ' αὐτῆς κατ' ἀραιότητα σαλεύεσθαι. sic Plutarchus et leviora si omittas Stobaeus. lacunam signavit post μᾶλλον Duebneriana, quod desperantis solet esse. tu vero vide num recte restituam: μηδὲν ἔχουσαν ἐξαίρετον εἰς ὃ ῥέψαι ⟨ἂν⟩ μᾶλλον. similiter quidem supra § 7 οὐκ ἔχουσαν αἰτίαν δι' ἣν δεῦρο μᾶλλον ἢ ἐκεῖσε ῥέψειεν ἄν. Platonica habes ex Phaedone p. 109 A οὐχ ἕξει μᾶλλον οὐδ' ἧττον οὐδαμόσε κλιθῆναι, ὁμοίως δ' ἔχον ἀκλινὲς μενεῖ. particula AN post AI ut sescentiens omissa infinitivum intellexerat Aëtii librarius.

IV 8 1 πολλαχῶς δὲ λέγεται ἡ αἴσθησις. ἥ τε γὰρ ἕξις καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ ἐνέργεια καὶ ἡ φαντασία ἡ καταληπτικὴ δι' αἰσθητηρίου γίνονται καὶ αὐτὸ τὸ

---

[1] cf. Isidor. d. nat. rer. 35. quod autem rotunda videtur hoc solis calor facit et mora refrenantis aeris dum per longum spatium a nubibus usque ad terras decurrit.

ἡγεμονικόν, ἀφ' οὗ * * * πάλιν αἰσθητήρια λέγεται πνεύματα νοερὰ ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐπὶ τὰ ὄργανα τεταμένα. ultima mire turbata esse et illico intellegitur et Stoicorum doctrina probatur. nam ex Laertio discimus quid illis placuerit VII 52 αἴσθησις δὲ λέγεται κατὰ τοὺς Στωικοὺς τό τ' ἀφ' ἡγεμονικοῦ πνεῦμα ἐπὶ τὰς αἰσθήσεις διῆκον καὶ ἡ δι' αὐτῶν κατάληψις καὶ ἡ περὶ τὰ αἰσθητήρια κατασκευή, καθ' ἣν τινες πηροὶ γίνονται. καὶ ἡ ἐνέργεια δὲ αἴσθησις καλεῖται. consentit qui Aëtium aut melius servatum adhibuit aut vitiatum ex sua doctrina emendavit Nemesius de nat. hom. p. 77 καλεῖται δὲ πολλάκις αἴσθησις καὶ τὰ αἰσθητήρια. ἔστι δὲ αἴσθησις ἀντίληψις τῶν αἰσθητῶν. δοκεῖ δὲ οὗτος ὁ ὅρος οὐκ αὐτῆς εἶναι τῆς αἰσθήσεως ἀλλὰ τῶν ἔργων αὐτῆς. διὸ καὶ οὕτως ὁρίζονται τὴν αἴσθησιν· πνεῦμα νοερὸν ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐπὶ τὰ ὄργανα τεταμένον. hinc sententiae satis lucis affertur, verbis non item. nam plane obscurum est quid post ἀφ' οὗ interciderit. nihili est quod Byzantini addunt συνίσταται, quod emblema et Galenus et Stobaeus ignorant. Galenus aliter lusit ἀφ' οὗ πᾶσα αἰσθητὴ βία γίγνεται. assumpsit enim verba πάλιν αἰσθητήρια λέγονται eodem modo a Stobaeo tradita. sed recte ille vidit αἰσθητήρια inepto loco commemorari. ac vereor vehementer ne ad proxima τὰ ὄργανα explicanda additum fuerit. hinc fortasse etiam ἀφ' οὗ rectius paraphrasi adscribetur et pristina sententia — nam verba non praestiterim — recuperabitur: καὶ αὐτὸ τὸ ἡγεμονικόν. πάλιν ⟨αἴσθησις⟩ λέγεται πνεύματα νοερὰ ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐπὶ τὰ ὄργανα τεταμένα. αἰσθητήρια autem illud quod scholiasta arripuit ex sententia plena quam Nemesius exhibet καλεῖται δὲ πολλάκις αἴσθησις καὶ τὰ αἰσθητήρια [cf. Laert. l. c.] residuum videtur.

Huic rei fidem facit quod ex corrupto loco IV 13 2 efficitur. notum est ex Herculanensibus voluminibus emendatas lectiones in antiquis antigraphis inter versus vel in oris addi solere. idem mos postea valet, unde innumerae nascuntur dittographiae et interpolationes. antiquum exemplum peto ex Aëtii exemplari. mirabamur olim haec Plutarchea καὶ κατά τινων ἀκτίνων ἔκκρισιν [coniunxi Galeni ἔχουσιν et codicum εἴσκρισιν] μετὰ τὴν πρὸς τὸ ὑποκείμενον ἔνστασιν πάλιν ὑποστρεφουσῶν πρὸς τὴν ὄψιν. lemma intercidisse cum pateret, Galenus prona coniectura scripsit ἕτεροι κατά τινων κτλ, idemque fecerunt codices vulgares praeter ABC. recentiores se torserunt philosophi nomen divinando. Gassendus Pythagoreos significaverat, G. Schneiderus Aristotelem. hanc omnem ariolationis nubem I. Damasceni florilegium dispulit, quod post illa eodem modo mutilata iam genuina haec exhibet τῶν Ἀκαδημαϊκῶν τινες κατά τινων [adde ἀκτίνων] ἔχουσιν [l. ἔκκρισιν] μετὰ τὴν πρὸς τὸ ὑποκείμενον ἔνστασιν πάλιν ὑποστρεφουσῶν πρὸς τὴν ὄψιν. ergo exciderat lemma in eo exemplo quod descripsit Plutarchus cuius vicem καὶ ex insequenti κατὰ natum expleverat. idem acciderat in Stobaeano exemplo. sed hoc ex meliore libro auctam lemmate opinionem in margine habebat. unde a supino scriptore in ordinem utraque lectio recepta est.

Tantum de Aëtii scribarumve antiquorum peccatis. nunc cum pro-

positum sit Aëtiani libri imaginem ex Stobaeo Plutarchoque instaurare, de ratione dicendum est qua uterque Placitis usus sit. ac librorum quidem divisio in Stobaeo, cui eclogarum aliena ratio obstabat, neglecta est. sed cum indiciis quibusdam [1] similem in Aëtio fuisse librorum partitionem eluceat, Plutarcheo ordine uti licebit, dum accuratiora de auctoris consilio doceam. in capitum numero paene consentiunt Plutarchus ac Stobaeus. illic si prooemia excipias CXXX sunt capita. vix duodecim e tanta multitudine in Stobaeo desiderantur, si Photii Damascenique indices in calculum voces. omittendi autem quae fuerit ubique causa, diligenter iam singillatim perquiramus. coniuncta est haec quaestio cum prooemiorum censura, quae ut est difficilior Stobaeo omnino deficiente, ita ad cognoscendum ipsius Aëtii ingenium gravissima. ac fuit cum a Plutarcho demum addita ea opinarer. movebat me primum quod epitomen se fecisse fatetur qui tertio libro praefatur: περιωδευκὼς ἐν τοῖς προτέροις ἐν ἐπιτομῇ τὸν περὶ τῶν οὐρανίων λόγον. quod neutram in partem valet. nam epitomator erat et is qui Aëtii copias coartaret et ipse Aëtius quippe qui materiam Placitorum undique collectam brevi summa comprehenderet. nec multo gravius est quod in alterius fronte τὸν περὶ τῶν ἀποτελεσμάτων λόγον promittit astrologorum voce abusus cum deberet περὶ μετεώρων. sed ne Aëtius quidem Chaldaeorum artem repudiavit [V 18 6]. verum ferenda non videbatur quarti libri praefatiuncula περιωδευμένων δὲ τῶν τοῦ κόσμου μερῶν διαβήσομαι πρὸς τὰ κατὰ μέρος utpote quae ineptissimum capitum ordinem perspicue confirmet. quartus enim liber in psychologia versatur. repugnat unum caput 1 de Nili inundatione, quod ut longissime distat ab animae disceptatione ita tertii extremis capitibus quodammodo coniunctum est. atqui prooemiator ipse fuit ineptiarum conscius. neque enim scripsit quod debebat πρὸς τὰ ἀνθρώπινα, sed alieno capiti consulturus latius et aliquanto ineptius πρὸς τὰ κατὰ μέρος. quid igitur dubitanti promptius erat quam Plutarchi inscitiam accusare cum praesertim etiam ultimum III 1. caput de halone consimili turba ex priorum capitum (III 1—6) vicinia transiectum esset? quis enim eundem qui reliqua bene partitus sit, in duobus capitibus turpiter lapsum facile credat? omnino prudenter factum, quod principia primus, caelestia alter, tertius sublimia, quartus humani animi, quintus corporis naturam comprehendit. nihilo minus Plutarchus certe iniuria accusatur. quotquot enim prooemia in librorum praeter quintum initiis, bis intra [I 8 1, III 8 2] leguntur, ea ab uno sunt auctore profecta. ac tanta est similitudo, ut non solum periodorum forma eadem semper utatur, sed etiam bis eodem verbo περιοδεύειν [prooem. II. III]. insignia vero inexercitati stili

[1] quartum certe et quintum simili librorum ambitu discriptos fuisse inde efficias, quod ordinem librorum transposuit Stobaeus, capitum servavit similem. sed titulos aliquot ex alienis inculcavit. unde fit ut c. περὶ τῆς γενέσεως τῶν ζῴων et ἐν πόσῳ χρόνῳ διαρθροῦται τὸ ἔμβρυον et ἀπὸ ποίου ἄρχεται μορίου μορφοῦσθαι τὸ ἔμβρυον [c. 42] ex Aëtio similiter sed alio ordine iterentur.

exempla in libri fronte. ubi quod prooemiatur μέλλοντες τὸν φυσικὸν παραδώσειν λόγον ἀναγκαῖον ἡγούμεθα εὐθὺς ἐν ἀρχαῖς διελέσθαι τὴν τῆς φιλοσοφίας πραγματείαν, c. 1 1 imitatur ἐπειδὴ πρόκειται ἡμῖν τὰ φυσικὰ θεωρῆσαι ἀναγκαῖον ἡγοῦμαι δηλῶσαι κτλ. ergo cum unus sit idemque prooemiorum tenor aut Plutarchea omnia aut Aëtiana sunt, nisi forte omnia ab interpolatore quodam inter utriusque aetatem furtim addita et cum ceteris coniuncta putas. Plutarcho ego olim Aëtio nimis cupiens tribueram. nunc edoctus Aëtiana ea non credo sed certissime probabo. quo facto simul duplex libelli origo suapte sponte aperietur, [1] qua nisus infra gravissimam de Aëtii fontibus quaestionem aggrediar. nunc videamus singula.

Primi libri prooemium non extat in Stobaeo. quod cave ob eam causam dubites quin genuinum sit. nam Stobaei eclogarum prooemium cum laude philosophiae eiusque partitione lacuna absorptum est; praeterea generalia illa Stobaeo impune licebat neglegere. est autem Placitorum exordium sane humile, oratio incompta, argumenta scholica. continetur physicorum qui sit in philosophia locus. testes Stoici et ab Aristotele Theophrastoque Peripatetici. iam c. 1 physica ipsa explicantur secundum Aristotelis opinionem. Placitorum mos ferebat, ut omnem deinceps philosophorum de natura varietatem effunderet. at nemo hic Aristotelem excipit. immo extremo libro I 30 Empedoclis atque Anaxagorae de natura decreta tamquam mantissa adiecta sunt, id quod prudentis scriptoris non videtur. deinde Placitorum lemmata summa constantia a philosophorum nomine incipiunt. prooemianti vero libuit ἔστιν κατὰ τὸν Ἀριστοτέλη. nonne alterum diversae originis testimonium adgnoscis? optime, inquies, at cur dubia haec capita et a Stobaeo neglecta non recidisti? audio. sed tamen hanc mihi vide capitum continuationem. incipit a naturali philosophiae parte, tum ipsius explicat naturae vim: φύσις ἀρχὴ κινήσεως καὶ ἠρεμίας, quae verba graviter in extremis repetuntur. qua de causa? nempe ut c. 2 artissime cohaereat τίνι διαφέρει ἀρχὴ καὶ στοιχεῖα. coniunctionis signum habes in principio: οἱ μὲν οὖν περὶ Ἀριστοτέλη, quae eadem verba Stobaei testimonio confirmantur. hinc sequitur Aëtium consilium cepisse Placitorum non solum capita colligere, sed etiam collecta inter se continuationis quodam vinculo conectere. ceterum c. 2 ut praecedentia arido planissima quaeque explicandi studio excellit. clausula vero [2] tam inconcinna est, ut ad coniecturam confugerent aliquot viri docti rescripto quod sane aptum erat λέγων τὸ αὐτό. quos Aëtii inscitum artificium latuit, quo ad proximum enuntiatum I 3 1 Θαλῆς . . . ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ tanquam digitum intendebat. sequitur amplissimum iam caput de principiis, quod ex optimis plerumque fontibus petitum ipsius

---

[1] hanc primus perspexit Beckianae editionis censor [Götting. Biblioth. d. alten Litterat. d. Kunst 1788 p. 700 sq.] qui tamen perverse iudicavit de utriusque partis pretio atque indole.

[2] ἁμαρτάνει οὖν ὁ Θαλῆς στοιχεῖον καὶ ἀρχὴν λέγων τὸ ὕδωρ.

tamen supplementis non caret. sed de his infra dicetur. quis vero credat post principia mundi fabricam expositum iri, cum cosmologiae alter liber destinatus sit? at libuit Aëtio c. 4, ut elementa quomodo coirent in mundum doceret. conectendi studium apparet initio ὁ τοίνυν κόσμος et in extremis τὰ μὲν οὖν κυριώτατα μέρη τοῦ κόσμου τὸν τρόπον τοῦτον ἐγεννήθη. quae interiacent neque ab Aëtio ipso profecta neque ex genuina Placitorum consuetudine dicta sunt. inest enim unius Epicuri ex Democrito conformata doctrina, quam simulatque Lucretio conlato adgnovit Corsinus [dissert. ad Plutarchi de plac. p. III] non sine fructu compararunt philosophiae graecae enarratores cf. Zeller I⁴ 794¹ 798² III 1, 380².

Pergit scriptor unusne an plures mundi sint disceptare I 5 εἰ ἓν τὸ πᾶν. adnexuit caput prioribus incipiens οἱ μὲν οὖν ἀπὸ τῆς Στοᾶς, eademque servavit Stobaeus ut ne hic quidem Aëtii consilium lateat. materia §§ 1. 2. 4. 5 Placitorum speciem praebet, discrepat § 3 de Platone. quod cum Stobaeus illa careat, Plutarcheam eam quispiam iudicet. sed ille Platonicorum omnino parcior est excerptor, cum ipsum Platonem creberrime adire soleat. velut illic ecl. I 22 p. 498 Timaeum quam Aëtium transcribere recte praetulit. de fonte eius paragraphi mox dicetur.

I 6 πόθεν ἔννοιαν ἔσχον θεῶν ἄνθρωποι. transitum a mundo ad architectum mundi non inscite paravit. nam eclogam Stoicorum selegit, qua deum esse primum ex mundi pulchritudine demonstratur. quam arta sit coniunctio e principio elucet quod est ὁρίζονται δέ. tractatio a Placitorum ratione plane abhorret. nam solos audimus Stoicos neque Platonis Arati Hesiodi loci quidquam sunt nisi lumina orationis, quem morem illorum sat novimus. oratio non excerpta, sed ad verbum expressa est ut I 4. plena est Stoicorum disputatio erga deos pietatis. iam mirare, quam festive compilator studeat varietati.

I 7 1—10 (tantum a vetustis Placitis alienum) continet superstitionis irrisionem, qua acerbior vix umquam ex Epicuri hortis retinniit. Epicureus enim fuit qui ab atheis nobilibus exorsus contra Anaxagoram [cf. Zeller I⁴ 895¹] ac Platonem divinam providentiam vehementissime impugnavit. nimirum quod Plutarchus Non posse suav. viv. sec. Epic. c. 21 11 p. 1102 aliique Epicureis exprobrant ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιὲς ἀλλὰ πᾶν πέριξ eos proferre, id huic quidem minime aptum est. qui dempta vel simulationis vel cautionis persona deorum vanitatem atque imbecillitatem libere fatetur. atheorum indicem Epicureus ex Clitomacho hausisse videtur [1], unde cum Ciceronis de deor. natur. I 42 series tum Sexti Empirici amplior adv. mathem. IX 50 excerptio pendent. neque enim nomina tantum Diagorae Prodici Theodori Euhemeri invenies § 51 [cf. Philodem. de piet. p. 85 G.] sed etiam Callimachi de Euhemero versum, quem duobus auctum rettulit Aëtius. contra in Sexto Critiae versus, quos ille rapida

[1] haec veri similis est Hirzelii opinio, quam in subtili libro Untersuchungen zu Cic. philos. Schriften I 1877 p. 39 probare studuit.

manu collegit, religiosius descripti. omnino huic ut ex fonte propiore haurienti maior habenda fides. Aëtii enim de deo eclogae ex anthologia αὐτῇ λέξει [cf. φησίν § 3] translatae videntur, unde utriusque opinionis exempla collecta transferre commodissime licebat. anthologi enim ut Stobaeus argumentorum oppositione delectantur. atque similiter προνοίας et ἀπρονοησίας capita continuit illud florilegium quod Commodi aetate Theophilus, postea ipse Stobaeus adiit [cf. Mus. Rhen. XXX 172]. quid? quod idem de impiis locus apud Theophilum III 7 recurrit, ubi tamen Critiae Protagorae Euhemero Clitomachus Pythagoras Plato adduntur non sine gravibus ut solet erroribus.[1] sed ut ad Epicureum illum revertar, haud me paenitet observasse consimilem esse quam supra dixi contra Platonem mundum male unum esse opinantem disputationem I 5 3. nam a Placitorum certe instituto distat oratio et dialectica confutatio, quae Epicurei inimicitias spirat mundorum infinitatem tutati. nec qui genus refellendi cum I 7 1—10 [cf. § 8] contulerit, summam similitudinem non advertet. adde insolentioris orationis exempla, illic τὸ δοκοῦν quo Wyttenbachius immerito offendebatur, hic I 7 4 ἀτενίζειν ἑαυτῷ, quod graecum non est, sed barbarorum qui novum testamentum scripserunt. neque alia auctoritate defenditur I 7 10 μοιχαλίδος (μοιχάδος) vocis usus qua nemo ante illos quippe quae obscena esset uti voluerat. quod excusat schol. ad Gregor. Naz. in Iul. I 73 ed. Mont. hoc addens: ἡ μοιχὰς (ἡ μοιχαλίς) οὐκ εἴρηται· χρῶνται δὲ ἀντὶ τοῦ ὀνόματος τῇ μετοχῇ οἱ συγγραφεῖς οἷον ἡ μοιχευομένη. sed talia sibi indulserunt Epicurei. ceterum orationi satis est lacertorum, multum etiam perspicuitatis iudicii memoriae. quis fuerit ille Epicureus non sperare licet patefactum iri. credo tamen eum Philodemo aliquanto fuisse inferiorem.

Quanto intervallo c. 7 prior pars ab altera distet neminem fugere debet. hinc forsitan aliquis Aëtio illa, priora a Plutarcho addita crediderit. cui Stobaei testimonium videtur gratificari, qui § 11—34 copiose expressit in c. 1(2) de dei potentia, priora § 1—10 plane omisit. sed Stobaei silentium illico diluetur, ubi eius c. 2 περὶ τῶν νομιζόντων μὴ εἶναι

---

[1] nam quam ille Pythagoream venditat sententiam, Epicurea est et quae de Euhemero ariolatur πολλὰ γὰρ περὶ θεῶν τολμήσας φθέγξασθαι ἔσχατον καὶ τὸ ἐξόλου μὴ εἶναι θεούς, ἀλλὰ τὰ πάντα αὐτοματισμῷ διοικεῖσθαι βούλεται, ea lemmate correcto referenda potius ad Diagoram, de quo Sextus l. c. Διαγόρας δὲ ὁ Μήλιος διθυραμβοποιός, ὥς φασι, τὸ πρῶτον γενόμενος ὡς εἴ τις καὶ ἄλλος δεισιδαίμων ὅς γε καὶ τῆς ποιήσεως ἑαυτοῦ κατήρξατο τὸν τρόπον τοῦτον 'κατὰ δαίμονα καὶ τύχην [l. τύχαν ex Philodem. d. piet. p. 85 32 G] πάντα τελεῖται', ἀδικηθεὶς δὲ ὑπό τινος ἐπιορκήσαντος καὶ μηδὲν ἕνεκα τούτου παθόντος μεθηρμόσατο εἰς τὸ λέγειν μὴ εἶναι θεόν. uter tam turpiter falsus sit Theophilusne an florilegium perinde est. sed uno certe loco florilegii culpa explorata est. cf. Mus. Rh. l. c. 178. quare intelleges cur ex tali potissimum florilegio Plutarchi excerpta petita credam. nam quod Plutarchus bis c. 6 7 et 7 2 Critiae versus Euripidi adscripsit qui in Sexto genuino lemmate praediti sunt, unde facilius quam ex eiusmodo florilegii errore explicari potest? gratum vero fecisse mihi videor cum aliis tum Wilamovitzio [Analect. Euripid. p. 166], cui ut Euripidis nomen eliminaret molestior erat pugna non solum cum Plutarcho sed etiam si dis placet cum Galeni H. ph. c. 35.

πρόνοιαν καὶ ἑπομένας ταύτῃ θείας ἐπὶ τῇ τοῦ παντὸς διοικήσει δυνάμεις, cui ecloga Epicurea inserenda erat, in codicibus intercidisse cognoris.[1] ergo nihil obstat ne duplicis rationis auctorem, ut in prioribus, Aëtium perhibeamus. qui de deis ad daemones et heroes filum deducit haec praefatus I 8 1 παρακειμένως δὲ τῷ περὶ θεῶν λόγῳ τὸν περὶ δαιμόνων καὶ ἡρώων ἱστορητέον. materiam capitis ex vetusto Placitorum thesauro transtulit.

Atque hic quidem substitit compilatoris aliena excerpendi industria, sive quod materia praeter Placita nulla iam suppetebat sive quia volumina varia volvere pigebat. simplex igitur et una est hinc usque ad finem primi libri natura. nec tamen suum ingenium abscondidit. nam quam in prooemiis invenimus disserendi exilitatem, eadem iam in brevissimis et scholastico more conceptis definitionibus c. 9. 10. 11. 12. 14. 15 enitescit. consentit in universum Stobaeus nisi quod ultimum caput de natura in nostris saltem exemplis non iam legitur. idoneus erat locus in c. 41 [35] περὶ φύσεως καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς συμβαινόντων αἰτίων.

Simplex est alterius de meteoris libri condicio. nihil extrinsecus adscitum, nihil perverse collocatum, nihil a genuina ratione discrepans. Placitorum igitur verus color facile adgnoscitur.

Verum tertio libro edocebitur, si quis vetustam Placitorum materiam ab Aëtio tanquam mangone alienis capitibus fucatam esse nondum sibi persuaserit. genuina sunt III 1—4 et 5 10—12. plane diversae farinae est eiusdem capitis initium. neque enim placitorum est enarratio, sed ipsius doctrinae, cui Platonis Homerique nomina dumtaxat decoris caussa interponuntur. accedit alterum turbarum vestigium. agitur III 1 de circulo lacteo, 2 de cometis, 3 de tonitribus, 4 de nubibus. vides τὰ μετάρσια (quae *sublimia* vertit Seneca) explicari. sed quid de initio c. 5 dicendum: τῶν μεταρσίων παθῶν τὰ μὲν καθ' ὑπόστασιν γίνεται οἷον ὄμβρος χάλαζα, τὰ δὲ κατ' ἔμφασιν. . . . ἔστιν οὖν κατ' ἔμφασιν ἡ ἶρις. nonne prooemiantem deprehendis quasi sublimia nondum attigerit? quis autem scriptor tanta est pravitate ut illud caput quo introducimur quinto loco collocet? quis porro tam suae rationis oblitus, ut τὰ καθ' ὑπόστασιν et τὰ κατ' ἔμφασιν nullo ordinis discrimine collocet? quid multa? accersita est prior de iride disputatio et ex alieno conexu divulsa, limpidus autem Placitorum fons in extremis paragraphis adgnoscitur. uter interpolaverit Plutarchus an Aëtius nulla est dubitatio, quia Stobaeus extremis omissis emblema illud insitum conservavit. suspicor Aëtio hic praesto fuisse quoddam de meteoris enchiridion, quod in opinionibus minus quam in rebus ipsis explicandis versabatur. neque dubito quin eiusdem originis sit c. 6 περὶ ῥάβδων. nihil inest opinionum diversitatis, at commemorantur iterum notiones ὑποστάσεως καὶ ἐμφάσεως. indidem fluxit III 18 περὶ ἅλω quod importuno loco post terrestria collocatur, cum finis τῶν μεταρσίων ab ipso

[1] nam quod frustum superstes naufragii esse olim conieceram (2 40 p. 100 H. p. 26 22 M.), ne id quidem necessario illuc referendum.

scriptore antea c. 8 2 indicetur. quibus turbis num illud quoque factum sit, ut quarti principium (de Nili inundatione) e cognatorum tertii capitum vicinia transiceretur, hoc conicere magis quam probare possum. tantum hinc quoque elucet, quod supra ex quarti prooemio demonstravi, eundem prooemia praefixisse et diversissima genuinae Placitorum materiae admiscuisse. quamobrem etsi Stobaei quae quidem nunc servantur exempla ignorant brevissima capita III 6 et 18 itemque IV 1, tamen Aëtiana sunt non Plutarchea.

Haud secus iudicabimus de quarti supplementis plerumque Stoicis. quorum doctrina de sensu IV 11 enucleate exponitur, de phantasia est Chrysippi doctrina c. 12. utrumque caput omisit Stobaeus. eo pluris faciendum Nemesii testimonium, quod supra commemoravi. neque enim illuc confugere quispiam possit, ut a Nemesio Aëtii Placita IV 2. 3. 8 excerpta, accersitum autem IV 12 e communi quodam fonte velut Chrysippo ipso opinetur. hoc enim fortunae nimium tribueret neque similitudinem excerptorum, quae est summa, satis explicaret. Stoicorum ille liber etiam in proximis [IV 20 2. 21] ab Aëtio adhibitus videtur. Stobaei testimonia mutilata illa libri parte conferri non possunt. sed extant tituli.

Eadem titulorum ope quintum Aëtii librum a Stobaeo excerptum constat. nam ex tanto volumine miseri panni naufragium superarunt. V 1. περὶ μαντικῆς probabiliter cum ecl. II 13 περὶ μαντικῆς comparabis. num eodem pertineat V 2 πῶς ὄνειροι γίνονται nec affirmare nec negare possum. incertum non minus, quid sit cur c. 3. 25. 29 ne tituli quidem cogniti sint; utique ex vetustis Placitis compilata sunt quotquot capita in Plutarchi quinto extant.

Omnino igitur, ut dicam quod consequitur, Plutarchi epitome veram Aëtii imaginem reddit sed in angustiorem multo formam redactam. diffiteri tamen nolo breviuscula quaedam a breviatore interpolata esse. de I 3 18 εἶναι δ' αὐτὰ — σχήματα λόγῳ θεωρητά ambigo. nam et inest quaedam doctrina et ipse error de Democriti gravitate carentibus atomis repetitur I 12 6, ubi Aëtii auctoritas addubitari nequit. sed deest in Stobaeo et Theodoreto et aliquanto melior fieret, si eximerentur illa, oratio. ultima vero ὥστε — ἡ μονάς tam sunt otiosa et inepta ut haud cuncter Plutarchi aut librarii notam eam iudicare. eiusdem formae sunt addita haec I 3 11 I 11 3 II 1 7. graviora sunt haec.

I 3 1 Stobaeus simpliciter Θαλῆς ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ, ἐξ ὕδατος γάρ φησι πάντα εἶναι καὶ εἰς ὕδωρ πάντα ἀναλύεσθαι. Plutarchus ut principio statim suam sapientiam ostentaret importune post ὕδωρ haec interpolavit: δοκεῖ δὲ ὁ ἀνὴρ οὗτος ἄρξαι τῆς φιλοσοφίας καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἡ Ἰωνικὴ αἵρεσις προσηγορεύθη. ἐγένοντο γὰρ πλεῖσται διαδοχαὶ φιλοσοφίας. φιλοσοφήσας δ' ἐν Αἰγύπτῳ ἦλθεν εἰς Μίλητον πρεσβύτερος. arguitur fraus maxime inde quod ἐξ ὕδατος γάρ post tam longum embolium non habet quo referatur. quod callide dissimulaverunt posteriores. Eusebius inepte

δέ correxit, audacius Byzantini ὃς ἐξ ὕδατος. verum γάρ unus Iustinus servavit sententiarum conexu restituto qui post Μιλήσιος addit ὁ πρῶτος τῆς φυσικῆς φιλοσοφίας ἄρξας ἀρχὴν — τὸ ὕδωρ ἀπεφήνατο· ἐξ ὕδατος γάρ κτλ. de genuina lectione Aëtii conlatis I 3 3. 4. 11 dubitari nequit. ceterum confirmavit ipse Plutarchus fraudem § 7 circumcisa, ut quae antea praeceperat ne moleste repetere videretur. similiter Metrodori ex I 5 4 mentionem in II 1 3 repetiit, ubi Stobaeus ac Theodoretus veram Aëtii lectionem servarunt.

Plutarchi igitur emblemata pauca sunt, certe multo minora quam librariorum ante Eusebium et post eum licentissime grassatorum. quantum breviator omiserit non semper accurate potest dispici. neque idem in omnibus consilium. saepe dimidia pars omissa videtur, alias nihil, prorsus neglecta sunt pauca capita. sic a Stobaeo I 11 6—8 capiti περὶ αἰτίων adiunctum est περὶ τοῦ πρώτου αἰτίου omissum ab illo. post I 15 περὶ χρωμάτων in Stobaeo continuatur quaestio num φύσει sint colores ac quae his sunt confinia §§ 8—11. in Plutarcho ea interciderunt. haec capita in Stobaeo titulis carent sed codices omnino parcius ea lemmata tradiderunt. quare non constat num iustis titulis in Aëtio praedita fuerint an corollarii instar maioribus adnexa. at unum certe caput post II 4 14 neglexit epitomator, quod Stobaei codices inscriptum testantur ποῦ ἔχει τὸ ἡγεμονικὸν ὁ κόσμος. post III 9 περὶ γῆς nihil in Plutarcho sequitur quod respondeat Stobaei extremo titulo: περὶ γῆς εἰ μία καὶ πεπερασμένη καὶ ποίου μεγέθους. ergo de magnitudine caput, quod simile invenitur de sole et luna II 21 II 26, excerpentis socordia omissum est.

Cognatus est locus de capitum falso ordine. mitto eas turbas quas Aëtius ipse alienis admixtis in Placitorum conexu ediderit. at Plutarchus I 16 περὶ τομῆς σωμάτων absurde a c. 12 περὶ σωμάτων diremit. consentaneum ordinem servat Stobaeus. sed etiam intra capita similes turbae, quas saepe haereas utrum Aëtii an Plutarchi an librariorum errore attribuas.

III 11 4 Parmenidis de zonis opinio inepte additur extremo capiti περὶ θέσεως γῆς. releganda est ad c. 14 περὶ διαιρέσεως γῆς. cum hoc caput in fine truncatum sit, veri simile est laciniam folii cuiusdam scissi casu illuc translatam esse.

II 23 4 Diogenis de solis exstinctu placitum inseritur capiti περὶ τροπῶν ἡλίου. ambiguum non est quin transferendum sit post c. 24 4. talia fuerint Plutarchi. est tamen ubi Aëtius quoque dormitaverit.

II 26 2 Παρμενίδης ἴσην τῷ ἡλίῳ [lunam] καὶ ἀπ' αὐτοῦ φωτίζεται. Stobaeus addit γάρ, idem fortasse habuit Eusebius [codd. D E F G], sed parum fidei Gaisfordianae editioni et caret particula Galenus cum vulgatis. de absurditate opinionis nihil dico.[1] nec sanior efficitur sensus

[1] omnino contraria concluserunt Stoici Laert. VII 144 μείζω δὲ τῆς γῆς [solem] τῷ πᾶσαν ὑπ' αὐτοῦ φωτίζεσθαι.

si Karstenio credis aequalem cursum lunae intellegenti. probabile est ex maioribus Placitorum vetustorum capitibus de quibus infra dicetur Aëtium placita in minutiores loculos distribuisse. illic coniuncta fuisse olim suspicor Παρμενίδης τὴν σελήνην ἴσην τῷ ἡλίῳ καὶ ἀπ' αὐτοῦ φωτίζεσθαι, [1] quae oblivione quadam collectoris una traderentur. melius autem ultima in c. 28 περὶ φωτισμῶν collocasset. hinc fortasse lux loco antiquitus turbato affulget.

II 31 1 Plutarchus: περὶ τῶν ἀποστημάτων τῆς σελήνης. Ἐμπεδοκλῆς διπλάσιον ἀπέχειν τὴν σελήνην ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἤπερ ἀπὸ τῆς γῆς. Stobaeus: περὶ τῶν ἀποστημάτων. Ἐμπεδοκλῆς διπλάσιον ἀπέχειν τῆς σελήνης ἀπὸ τῆς γῆς ἤπερ ἀπὸ τοῦ ἡλίου. utriusque lectio, etiamsi ut vulgo in Stobaeo refeceris τὴν σελήνην, graviore vulnere laborat. nam quod Karstenius Emped. p. 433 [126] scite monuit intervalla solis et lunae a terra ut medio mundi computari solere, verissimum est. atque huc spectant §§ 2. 3. praeterea inepte a Plutarcho inscribitur τῆς σελήνης, nam solis quoque distantia affertur. error proclivis, quia lunae capita praecesserunt. atque cum Eusebius variet ἀποστημάτων αὐτῆς, ne certum quidem est, num Plutarchus peccaverit. sed lunae memoria etiam cetera utrobique turbasse videtur, quae feliciter Karstenius sic refinxit Ἐμπεδοκλῆς διπλάσιον ἀπέχειν τὸν ἥλιον ἀπὸ τῆς γῆς ἤπερ τὴν σελήνην. titubandi vero causa explicatur, si Aëtium festinantius ex longiore de Empedoclis sole disputatione talia excerpsisse conicias Ἐμπεδοκλῆς διπλάσιον ἀπέχειν ἀπὸ τῆς γῆς ἤπερ τὴν σελήνην. nam etiam contractius § 2 οἱ ἀπὸ τῶν μαθηματικῶν ὀκτωκαιδεκαπλάσιον. audi ἀπέχειν τὸν ἥλιον ἀπὸ τῆς γῆς ἤπερ τὴν σελήνην. nam mathematicus intellegendus est Aristarchus Samius, qui de magnitud. et intervall. prop. 8 Wallis. opp. math. III p. 581 dicit: τὸ ἀπόστημα ὃ ἀπέχει ὁ ἥλιος ἀπὸ τῆς γῆς τοῦ ἀποστήματος οὗ ἀπέχει ἡ σελήνη ἀπὸ τῆς γῆς μεῖζον μέν ἐστιν ἢ ὀκτωκαιδεκαπλάσιον, ἔλασσον δὲ ἢ εἰκοσαπλάσιον. cf. Plut. de fac. in orb. lun. 10 p. 925 c. [2]

In excerpendi negotio Stobaeo neglegentior et liberior est Plutarchus. nolo verborum mutationes vel leniores vel audaciores recensere quod et infiniti est laboris neque semper ad diiudicandum facile. lemmata autem vitiose contracta silentio praeterire non possum quippe quae parum caute observata esse videam. hoc modo Kirscheus [Forsch. p. 157] egregie erravit. qui cum apud Plutarchum I 7 16 legisset Δημόκριτος νοῦν τὸν θεὸν ἐν πυρὶ σφαιροειδεῖ τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν Stobaeo τὴν τοῦ κόσμου

---

[1] φωτίζεσθαι G (A) B, sed contra Eusebium et Stobaeum recipere non ausus sum.

[2] alii magnitudinem solis illo numero metiebantur ut Cicer. Lucull. 26 82, ubi pro duodeviginti temere duodetriginta Goerenzius et Roeperus coniecerunt. nam praeter alterum Ciceronis locum § 128 confer Posidonii, opinor, excerptum [schol. Arat. p. 99, 19B.] ὁ ἥλιος παρὰ τοῖς μαθηματικοῖς ἐπιστεύθη τῆς γῆς ὀκτωκαιδεκαπλασίων ὧν καὶ ἡ πᾶσα γῆ τοῦ μεγέθους αὐτοῦ ὀκτωκαιδέκατόν ἐστι καὶ ὅμως ἡ περιφέρεια αὐτοῦ οὐ πάνυ δοκεῖ μεγάλη εἶναι, ἐπειδὴ σφόδρα αὐτοῦ ἐσμεν κεχωρίσμενοι. cf. Cram. An. Par. I 373 ὁ μὲν οὖν Σεραπίων [? Antiochenus, Cic. ad Att. II 4 1, II 6 1. Plin. ind. II IV V] ὀκτωκαιδεκαπλασίονα εἶναι τῆς γῆς τὸν ἥλιον.

ψυχήν tamquam neglegenter omissa intulit pessimo scilicet eventu. neque enim vidit orationem minime concinnam evasuram, cum supra § 11 similia sic exprimerentur Θαλῆς νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεόν, τὸ δὲ πᾶν ἔμψυχον. certe exspectes καὶ τοῦ κόσμου ψυχήν. terrere eum illud quoque debebat quod II 3 2 contraria docentur. sed rem apertissimam ille non vidit: τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν deum credidit non Democritus, sed qui secuntur philosophi. in Stobaeo quidem § 17 Διογένης καὶ Κλεάνθης καὶ Οἰνοπίδης τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν. plura exempla epitomatoris socordiam illustranto.

I 9 4 Ἀριστοτέλης καὶ Πλάτων τὴν ὕλην σωματοειδῆ . . . . δεξαμενὴν δὲ τῶν εἰδῶν οἷον τιθήνην καὶ ἐκμαγεῖον καὶ μητέρα γενέσθαι. ecce Aristoteles contentionis immemor [de gen. II 1 p. 329ª 13 sq.] Platonica amplexus. omisit Stobaeus Ἀριστοτέλης καὶ. sed Aëtiana servavit integra Theodoretus qui Platoni addit: Ἀριστοτέλης δὲ αὐτὴν σωματικὴν κέκληκεν. [cf. V. Rose Ar. pseud. p. 381].

I 11 3 absurdissime Aristotelis et Pythagorae opiniones uno lemmate copulantur. errorem patefacit Stobaeus § 4.

I 20 1 Stoici et Epicurei coaluerunt. sed enim sententiae quas integras habet Stobaeus §§ 1. 2 consimiles sunt.

II 4 1 comprehendit Pythagoram Platonem Stoicos, quibus singulas opiniones §§ 1. 2. 3 tribuit Stobaeus. quod p. 11 propter testimonia mirum quantum fluctuantia secundaria lemmata in margine adscripta esse dixi, idem adhiberi potest Platonis Stoicorumque lemmatis V 1 1.

II 20 6. 7. 8 Anaxagorae Democriti Metrodori decreta apud Stobaeum tria capitula implent, unum propter similitudinem apud Plutarchum.

III 3 14 Aristotelis una vulgo opinio exhibetur, quae dimidiata est Stratonis. sed cum summa sit capitulorum similitudo Plutarchusne an librarius aberrarit ambigitur.

IV 13 5 Empedoclis sententia in epitome extat, quae Stobaeo composito potius Hestiaeo Perinthio adscribenda est. Empedocle praecedente erroris causa patet. simili neglegentia factum ut in Galeni excerptis Empedocles et Hipparchus [§ 9] in Plutarcho contigui coalescerent.

Satis exemplorum esto ad epitomatoris levitatem notandam, quem tandem aliquando dimittamus, si pauca quis fuerit quandoque vixerit addiderimus.

Plutarchum Chaeronensem neque eum fuisse qui grandioris Placitorum corporis colligendi consilium caperet neque hercle eum qui illa in breve compendium coartaret, hodie nemo dubitare potest. nam ille quem iam suo nomine Aëtium vocamus a Plutarchi dicendi elegantia, hiandi raritate, rerum ubertate, philosophiae et cognitione et studio quam maxime abhorret. epitomen vero si quis quocunque modo ad Plutarchum voluerit referre, summo iure delirus videbitur. neque hisce diutius immoror. quaerendum potius unde nobilissimum illud nomen tam abiecto opusculo inhaeserit. Volkmannus quidem elegantissimus Plutarchi biographus I 169 explicare se illud posse negat. terret enim Eusebii auctoritas, qua quarto

saeculo superiorem esse fraudem demonstratur. atque primum ea via obstructa est, ut anonymum libellum propter generis similitudinem Plutarcheis additum, tum inde nomen traxisse dicamus, id quod de Vitis X oratorum aliquis coniciat. sed singularem librum ex antiquitate traditum acceperunt Byzantini, quod ex archetypi condicione supra evici. at homonymum fortasse Plutarchum afferent. sunt enim quibus haec explicandi ratio perplaceat, postquam Hercherus Arabibus fisus ab altero aequali Plutarcho libellum de fluviis conscriptum coniecit esse.[1] at quis tandem Πλουτάρχου φιλοσόφου titulum ad alium rettulerit quam Chaeronensem? nam Neoplatonicum ne Byzantini quidem confudissent. porro ut ignotum quendam Plutarchum illa aetate scripsisse largiar (neque enim rarum est nomen), quis tot ac tam variae doctrinae fetus ab uno tenebrione consutos esse sibi persuadeat? apage fraudis ista lenocinia ac velamenta! tenemus epitomatorem summae levitatis convictum nec ab interpolatione alienum. quid tergiversamur ne titulum ab eo interpolatum credamus? scilicet ea demum fraus lucrum adlatura erat, quae pittacii splendore interiorem exilitatem celaret. neque profecto eum ratio fefellit.

Huic suspicioni mire favet aetas qua confectum esse illud compendium veri simile est. nam ne ultra annum 177 descendamus obstat Athenagoras. contra illo saeculo priorem originem vix quisquam suadebit, qui Plutarchi inepta additamenta velut I 3 11 3 18 11 4 13 1 II 1 8 III 17 6 18 1 et varias lectiones [velut I 13 1 πρὶν στοιχείων, Stob. πρὸ τῶν στοιχείων] consideraverit. neque vero tam impudentem facile credam furem ut vivo Plutarcho miserrimam epitomen sub illius nomine venditare ausus sit. immo post eius mortem cum laudes magis in dies celebrari coeptae sunt ac plurimi scriptores ut Favorinus Taurus Gellius Galenus Apuleius Aristides Polyaenus in laudando illo et excerpendo inter se certaverunt, tum fraudulenti quidam homines ut legendi et discendi ardori quo tum maxime omnes flagrabant consulerent, ex libris plerumque bonis compendia corradebant nulla alia novitatis gratia nisi fallacis tituli commendata. inter hos libros Plutarchi ferebantur Stromata, de musica, de vita Homeri, fortasse apophthegmatum collectiones, unde variae postea excerptae sunt [cf. Schneidewin. praef. ad Corp. Paroem. I xxxv], paulo impudentius conficta Parallela minora et de fluviis.[2] eadem fraude Apollodorum tum praefigebant mythologico compendio, quod C. Robertus nuper evicit [de

[1] quis fuerit Πλούταρχος ὁ νεώτερος quem de sirenis affert Tzetz. Chiliad. I 343 [cf. Heraclit. incred. 14] ad Lycophr. 653 nescio. Hercheri rationibus adversatus est C. Muellerus G. G. M. II p. LII. nam qui συναγωγὴν ἱστοριῶν παραλλήλων ἑλληνικῶν καὶ ῥωμαικῶν composuit, ne ille Plutarchi parallelorum scriptoris personam fraude manifestissima induit.

[2] neque enim quidquam impedit ne istum compilatorem, cuius aetas inter Iubam Libycorum scriptorem, Augusti aequalem et Clementem circumscripta est, Antoninorum potius quam Traiani vel Hadriani temporibus scripsisse arbitremur.

Apollod. biblioth. 1873. cf. Mus. Rhen. XXXI 8. H. de Rohden de mundi miraculis Bonn. 1875 p. 46]. huic impostorum sectae Placitorum quoque epitomator addendus est, quem calculis ad verisimilitatem subductis circa medium alterum saeculum compilavisse dicimus.

Stobaeus Aëtium ita divisit inter quattuor anthologii sui libros ut primo physico paene omnia, alteri ethico unum fortasse alterumve capitulum, tertio (florilegii priori parti) nihil, quarto (florilegii alteri parti) paucas eclogas tribueret. physicis Placitorum librum pro fundamento subiecit servatis etiam capitum plerumque titulis, sed ordine, ut anthologii ratio ferebat, saepe mutato. quod ut accuratius perspicias, conferas velim indices, quos Aëtii libro praefiximus. inde apparet ordinem saepe mutatum esse, ubi causam frustra quaesiveris. nam Plutarchi ordo licet subinde turbatus sit, in universum tamen pro Aëtiano recte adhiberi poterit. vix vituperabis capita περὶ θεοῦ et similia praecipuo loco posita esse. nam et ipse antiquae fidei studiose addictus erat Stobaeus et filium Septimium, cui anthologiam destinaverat, praeceptis et doctrina ad similem pietatem ducere cupiebat. nec latet causa cur quartum Aëtii librum quinto postposuerit, quippe unde ad ethicas suas eclogas facilior fieret transitus.

In ipsis capitibus concinnandis maiore licentia grassatus est. quod in florilegio Bernhardtii [Quaest. Stob. p. 24—31, Mus. Rhen. XVII 465] et Hensei [Ritschelii Act. Ph. L. II 1 sqq.] opera luculenter patefactum est Stobaeum poetarum flores omittendo traiciendo interpolando ad titulorum similitudinem totumque libri institutum transformasse [1], idem in physicis multo audacius et constantius persecutus est. primum cum ad hanc normam excerpta ordinaret ut primo poeticas, tum pedestres eclogas excerperet, non semel factum est, ut versus ab Aëtio citatos ex pristina sede evulsos poeticis insereret. ita ex Aëtii I 3 2 Homeri versum et ex § 11 Heracliti opinionem quasi versum alieno loco proposuit. accidit tamen interdum ut ab instituto suo recederet. tum vero maximam difficultatem nobis peperit, quod singula philosophorum placita non genuino ordine sed caeco quodam casu ductus collocabat. quid enim retulit, cur IV 2 ut hoc utar opiniones sic perverteret 1. 3. 4. 2. 7. 8. 6? an qui illa primus composuit eum temere atque incomposite tanquam talos opiniones proiecisse arbitratus est? fateor me aliquamdiu in eodem errato fuisse. mox accuratius intuenti consilium patuit. de prioribus capitibus velut I 3 infra accuratius videro. sed Aëtius dum procedit ac magis magisque purum Placitorum fontem sequitur, paulatim certa quaedam ratio constitit. rectissime enim non ex philosophorum nominibus, sed ex opinionum cognatione continuationem quandam instituit. proponam e. g. II 13 περὶ οὐσίας ἄστρων.

1 Θαλῆς γεώδη . . . ἔμπυρα

[1] nonnulla etiam olim interpolata invenit cf. Mus. Rhen. XXX 180[2].

2 Ἐμπεδοκλῆς πύρινα . . .
3 Ἀναξαγόρας αἰθέρα πύρινον . . . πέτρους καταφλέξαντα ἠστερωκέναι.
4 Δημόκριτος πέτρους
5 Διογένης κισηροειδῆ . . . διάπυρα
6 Ἀρχέλαος μύδρους . . . διαπύρους
7 Ἀναξίμανδρος πιλήματα . . .
8 Παρμενίδης καὶ Ἡράκλειτος πιλήματα . . .
9 Διογένης συμπεριφέρεσθαι . . . ἀφανεῖς λίθους . . .
10 Ἀναξιμένης . . . γεώδη σώματα συμπεριφερόμενα . . . ἀόρατα
11 Ἐμπεδοκλῆς . . . ἀπλανεῖς . . . συνδεδέσθαι . . ., πλανήτας ἀνεῖσθαι.

Totum caput vides in tres partes divisum. una astrorum naturam tractat, altera stellas invisibiles, tertia fixas errantesque. tum vero intra hanc partitionem ex opinionum externa similitudine singulae singulis aptantur, ut paene artificii eius commone fias, quo Theognidis elegiae pleraeque a collectore conexae sunt. neque enim aequum est, interiorem quandam philosophiae cognitionem ab eo postulare, cuius una laus in excerpendo partiendo ordinando posita est. Theophrastus quidem similiter opiniones enumeravit et composuit, sed generatim capita comprehendit et ex intima magis quaestionum subtilitate partitiones repetivit. Aëtium contra iuvit opinionum diversitatem ad minutissima quaeque capitula persequi. quid mirum est Stobaeum putidiorem istam diligentiam fastidisse et *dissociata locis concordi pace ligasse?* nempe cum anthologii ratione capitum numerus circumscriptus esset [cf. p. 44[1]], abundantem Aëtii copiam in sui libri exiguitatem artare debebat. quod audaciore conatu ita aggressus est ut philosophorum opiniones primo quoque loco notatas ex cognatis Aëtii capitibus augeret conflaretque. ita Placitorum capita II 20 περὶ οὐσίας ἡλίου 21 περὶ μεγέθους ἡλίου 22 περὶ σχήματος ἡλίου 23 περὶ τροπῶν ἡλίου 24 περὶ ἐκλείψεως ἡλίου uno eclogarum capite comprehenduntur, cuius titulus omnia indicat περὶ οὐσίας ἡλίου καὶ μεγέθους σχήματός τε καὶ τροπῶν καὶ ἐκλείψεως (καὶ σημείων καὶ κινήσεως). quo melius rem intellegas ad Aëtium restituendum gravissimam, Stobaei caput aliquod isto modo ferruminatum cum Plutarcheis componam.

Stob. I 25 p. 526H.	Plutarchus
Ἡράκλειτος καὶ Ἑκαταῖος ἄναμμα νοερὸν τὸ ἐκ θαλάττης εἶναι τὸν ἥλιον,	II 20 16 omissum
σκαφοειδῆ δ' εἶναι ὑπόκυρτον.	II 22 2 Ἡράκλειτος σκαφοειδῆ ὑπόκυρτον
γίγνεσθαι δὲ τὴν ἔκλειψιν κατὰ τὴν τοῦ σκαφοειδοῦς στροφὴν ὥστε τὸ μὲν κοῖλον ἄνω γίγνεσθαι, τὸ δὲ κυρτὸν κάτω πρὸς τὴν ἡμετέραν ὄψιν.	II 24 3 Ἡράκλειτος κατὰ τὴν τοῦ σκαφοειδοῦς στροφήν, ὥστε τὸ μὲν κοῖλον ἄνω γίνεσθαι, τὸ δὲ κυρτὸν κάτω πρὸς τὴν ἡμετέραν ὄψιν
τὸ δὲ μέγεθος ἔχειν εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου	II 21 4 Ἡράκλειτος εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου.

Quantum laboris frustra consumpti! nam non solum exsecanda erant

minuta illa capitula ac frustillatim suo quaeque philosopho adiungenda, sed dissimulandae etiam explendo commissurae. velut supra a Stobaeo addenda erant haec γίνεσθαι δὲ τὴν ἔκλειψιν et τὸ δὲ μέγεθος ἔχειν, quae quidem in Aëtio ex capitum titulo suapte sponte intellegebantur.[1] hinc semel gravior ortus est error.

II 20 1 Ἀναξίμανδρος κύκλον εἶναι ὀκτωκαιεικοσαπλασίονα τῆς γῆς. haec recte[2] Plutarchus et Stobaeus. iam ille novo capite 21 1 Ἀναξίμανδρος ... τὸν κύκλον ... ἑπτακαιεικοσαπλασίω τῆς γῆς. at Stobaeus prioribus continuatis numerorum similitudine falsus neglegenter scripsit τὸν δὲ κύκλον ... εἶναι τοῦ προειρημένου μεγέθους. atque erroris socios habuit cum recentiores viros doctos quos fugit Roeperi ingeniosa explicatio [Zeitschr. f. Alterth. 1852 p. 442, qui tamen non omnia recte expedivit], tum Eusebii codices deteriores BE.

Has igitur interpolationes aperiunt Plutarchus et Theodoretus. sed ipsius quoque Stobaei inconstantia factum est, ut pristina forma pelluceat. nam Placitorum II 25 περὶ οὐσίας σελήνης 26 περὶ μεγέθους 27 περὶ σχήματος eodem modo quo capita de sole comprehendit. at tandem infiniti laboris pertaesus integra capita Aëtiana 28 περὶ φωτισμῶν σελήνης 29 περὶ ἐκλείψεως 30 περὶ ἐμφάσεως αὐτῆς 31 περὶ τῶν ἀπροστημάτων proposuit. idem tamen mirabili artificio continuationi consuluit. unicuique enim titulo δέ illud suppletorium addidit, quo singula quoque membra placitorum copulare solet.

Interdum contrarium accidit ut continentia discerperet. sic Plac. II 4 sqq. partim ecl. I 20 partim 21 inveniuntur. quo in genere etiam graviorem interpolationem non reformidavit.

II 5 3 legerat in Aëtio Φιλόλαος διττὴν εἶναι τὴν φθοράν, τὸ μὲν ἐξ οὐρανοῦ πυρὸς ῥυέντος, τὸ δ' ἐξ ὕδατος σεληνιακοῦ περιστροφῇ τοῦ ἀέρος ἀποχυθέντος· καὶ τούτων εἶναι τὰς ἀναθυμιάσεις τροφὰς τοῦ κόσμου. iam cum et φθοράν et τροφάς commemorata videret, in c. 20 περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς priora usque ad ἀποχυθέντος descripsit, quae supererant ficto principio c. 21 sic exhibuit Φιλόλαος ἔφησε τὸ μὲν ἐξ οὐρανοῦ πυρὸς ῥυέντος τὸ δὲ ἐξ ὕδατος σεληνιακοῦ περιστροφῇ τοῦ ἀέρος ἀποχυθέντος εἶναι τὰς ἀναθυμιάσεις τροφὰς τοῦ κόσμου. perspexit anthologi ineptias Boeckhius Philolai fr. p. 111.

Nobis Aëtium restituturis fraude aperta sic agere placuit ut luxata

[1] quod hic factum est ut gemino lemmati Ἡράκλειτος καὶ Ἑκαταῖος Heracliti solius alia capitula adnecterentur, id saepe viros doctos fefellit. sic Stobaei culpa est quod II 26 1 sub lemmate Ποσειδώνιος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν Στωικῶν opinio minime Posidoniana [cf. Hirzel untersuch. z. Cic. I 193[2]] apparet.

[2] nam Teichmuelleri et Zelleri dubitationem non intellego. qui dum Hippolyti lectionem I 6 5 τὸν κύκλον τοῦ ἡλίου ἑπτακαιεικοσαπλασίονα τῆς σελήνης tuetur I[4] 207 dicit: *dass die letztere [Sonnenbahn] bloss 28mal so gross sein sollte als die Sonnenscheibe, widerstreitet dem Augenschein zu auffallend, als dass wir Anaximander diese Vorstellung zutrauen koennen.* at solis orbis non quantus appareat sed quantus re vera sit (nimirum terrae ambitum aequat) intellegendus. ergo si offendisset illud philosophum, — quod non erat cur faceret — tamen eadem offensio in lunae orbita Zellero adgnoscenda erat, quae undevicies tantum solis orbem (nam terra solem aequat) superat.

ac male conglutinata membra colligeremus et in rectum ordinem reduceremus, Stobaei supplementa et figmenta geminatis uncinis ([ ]) notaremus, lemmata omissa utcumque reficeremus. atque hoc quidem remedio illius est audacia sine noxa. restabat aliud munus ut gravius multo ita periculosius. secernenda erant Aëtiana ex electorum aliorum simili turba. nam etsi singularum eclogarum lemmata (nisi quae librariorum pigritia omissa sunt) sedulo marginibus aut continuae scripturae adpicta sunt, de ipsis fontibus unde tam larga flumina fluxerunt, altum silentium. immo ipse scriptor contaminando et mutando vestigia consulto delevit. similiter Florilegium quod vocatur composuit, quo quae collectiones confluxerint, tu ex uno Stobaeo numquam enodabis. nimirum compilatorum eaedem sunt ubique fraudes ac strophae. confidamus igitur oportet nostro iudicio, quo nisi inter anonyma physicorum placita, quae adhuc indiscreta uni scriptori adscribebantur, tres scriptores dignovimus. unus et copiosissime excerptus est Aëtius, alter Arius Didymus, tertius Plutarchus de vita Homeri personatus.

V DE ARII DIDYMI EPITOME

Singulare ac splendidum est Meinekei meritum quod coniecturam de Didymi Arii libro ab Heerenio [Stob. ecl. II 2 p. 189—192] et Caro [Nachgel. Werke IV p. 34 cf. Brandis Mus. Rh. III 1829 p. 111] affectam et incohatam gravissimis argumentis ita muniit et amplificavit [Muetzell zeitschr. XIII 563 adnot. ad Stob. ecl. p. CLV], ut nemo iam dubitare possit quaecunque de Peripateticorum ac Stoicorum morali philosophia alteri Stobaei libro sine scriptoris nomine inserta sunt ex una Didymi Epitome excerpta esse. summa ratiocinationis in eo versatur quod inter complura capita ex eclogis ethicis in florilegio repetita [t. 46 50 44 12 ex ecl. II p. 190 192 H.] unum ἐκ τίνων ἡ εὐδαιμονία II p. 276 iteratur flor. t. 103 28 addito lemmate ἐκ τῆς Διδύμου Ἐπιτομῆς. de eclogis igitur ethicis verissime ille. sed etiam in physicis Didymea repperit. nam Platonis de ideis opinio I 12 p. 330 H. eisdem verbis eisdemque nonnullis mendis descripta est ab Eusebio P. E. XI 23 ἐκ τῶν Διδύμῳ περὶ τῶν ἀρεσκόντων Πλάτωνι συντεταγμένων. ex Arii autem Didymi Epitomis etiam XV 15 18—20 de Stoicorum physicis amplae et probae eclogae servantur, indidem laciniam sane minutam etiam Stobaeus tacito auctore in physicis I 19 p. 414 arripuit. id quod nullo modo fugere debebat vel Meinekeum vel qui postea illius sententiam amplexi sunt. ergo illud quoque dubium non est quin Arii Didymi opus Stoicorum Platonis Aristotelicorum non tantum ethica sed etiam physica explanaverit. sed Meinekeus inventi gaudio elatus quaecunque nos iam Aëtio adsignavimus ea pleraque Ario quasi vacuam possessionem adscripsit. erravit vir doctissimus ac sua auctoritate non-

nullos in eiusdem erroris communionem traxit. quare rem denuo diligenter perpendamus.

Priusquam autem ad incerta progrediamur, in certis aliquantisper subsistamus, quo melius scriptoris consilium et ratio cognoscatur. certa ego fragmenta usurpo eclogas ethicas c. 7 [vulgo 6] insertas, tum Eusebiana fragmenta. e Stobaeo apparet Prolegomena eum praemisisse ethicae libri parti, quae ex omnium philosophorum ac sectarum opinionibus miscuit. primo p. 33—38 H. ponuntur variae definitiones moralium principiorum. initio anonymae, tum Platonicorum Stoicorum Aristotelis Zenonis, omnia leviter impressa nec certa ratione composita. sequitur p. 38—46 διαίρεσις ἠθικοῦ τόπου, quam uni debet Philoni Larisaeo Academico. is philosophiae sex partes divisit

1 ὁ προτρεπτικὸς λόγος
2 ὁ θεραπευτικός
3 ὁ περὶ τελῶν
4 ὁ περὶ βίων
5 ὁ πολιτικός
6 ὁ ὑποθετικός.

hac partitione proposita Arius pergit p. 46 H. ἐγὼ δ' εἰ μὲν ἀργοτέρως διεχείμην, ἀρκεσθεὶς ἂν αὐτῇ συνεῖρον ἤδη τὰ περὶ τῶν ἀρεσκόντων, τῇ τῆς ἐξαμερείας ἐπικουφιζόμενος περιγραφῇ· ἡγούμενος δ' ἐμαυτῷ πρέπειν πρὸ παντὸς τὴν οὐσίαν δεῖν ἐπισκοπεῖν οὗ τις πραγματεύεται, κἄπειτα ποιότητα τὴν περὶ αὐτὴν καὶ ποσότητα, καὶ τούτοις ἐφεξῆς τὸ πρός τί, νομίζω προσεπιπονητέον [τε] εἶναι καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἐπισκοπεῖν, καθάπερ οὐ πάντων, οὕτως τῶν περὶ ταῦτα διενεγκάντων. excerpitur igitur Εὐδώρου τοῦ Ἀλεξανδρέως Ἀκαδημικοῦ φιλοσόφου διαίρεσις τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου, βιβλίον ἀξιόκτητον, ἐν ᾧ πᾶσαν ἐπεξελήλυθε προβληματικῶς τὴν ἐπιστήμην, ἧς ἐγὼ διαιρέσεως ἐκθήσομαι τὸ τῆς ἠθικῆς οἰκεῖον. tripertitae philosophiae moralis pars dividitur in θεωρητικὸν ὁρμητικὸν πρακτικόν.[1] hae partes deinceps singillatim disponuntur plane Stoicorum more et ratione. sed Arius neutrius partitione contentus ipse problematum tabulam proponit. c. περὶ τέλους p. 54—78 vis vocis τέλος philologorum magis more explicatur Homero Euripide Cratino citatis, tum Epicuri Platonis Socratis Platonis Pythagorae Eudoxi ex Aristot. Nicomach. X [2 p. 1172ᵇ 9] Democriti opiniones sermone solito elegantiore disceptantur, ut ea quoque ab Ario non conscripta sed descripta videantur. porro c. περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν p. 80—88 varias definitiones continet, nominatim Stratonis Platonis Aristotelis. extremum est c. εἰ πᾶν τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν cum Platonis et Aristotelis sententiis. tantum ex ethicis prolegomenis Stobaeus, num plura illa comprehenderint nescimus.

Sequitur altera ecloga ex Arii epitome. inscribitur p. 88 Ζήνωνος καὶ τῶν λοιπῶν Στωικῶν δόγματα περὶ τοῦ ἠθικοῦ μέρους τῆς φιλοσοφίας. Περὶ δὲ τῶν ἠθικῶν ἑξῆς ποιήσομαι τὸν ὑπομνηματισμόν, τὰ κεφάλαια

---

[1] hanc rationem sequitur etiam Seneca epist. 89 14.

τῶν ἀναγκαίων δογμάτων ἀναλαβών. Stoicorum de moribus notiones hae explicantur: bona et mala p. 90, boni definitiones et divisiones p. 96, virtutes p. 102, earum finis p. 108, virtutum communitas p. 112, sapientis persona p. 120, expetenda ac fugienda p. 124, aliae bonorum divisiones p. 126, iterum finis p. 132, ἀδιάφορα p. 142, προηγμένα p. 146, officium p. 158, appetitio p. 160, perturbatio p. 166, amicitia p. 186, sapientis persona et varia praecepta p. 188, definitio κατορθώματος et ἁμαρτήματος p. 192, peccata aequalia p. 218. quam non legitimo ac simplici ordine haec capita procedant sed delectu quodam fortuito arrepta sint, nec latere potest quemquam et recte vituperatum est a Madvigo [Cic. de fin.[2] 827]. molestius est ad nostram cognitionem, quod Zenonis ac Zenoneorum placita nullo discrimine mixta sunt. crebro continuam expositionem singularibus discipulorum opinionibus interpellat velut Panaetii p. 112, Diogenis p. 114, Cleanthis p. 116. uberior est tabula Stoicorum p. 134, ubi Zeno Cleanthes Chrysippus Diogenes Archedemus Antipater deinceps excitantur atque sic saepius. quin etiam poetarum flosculi e Chrysippi opinor libris p. 220 et 242 translati sunt. finem imponit Stoicorum ethicis p. 242: ἐγὼ δ' ὁπόσα προὐθέμην ἐπελθεῖν ἐν κεφαλαίοις [sic F, vulgo κεφαλαίῳ] τῶν ἠθικῶν δογμάτων ⟨τῶν?⟩ κατὰ τὴν τῶν Στωικῶν φιλοσόφων αἵρεσιν διεληλυθὼς ἱκανῶς, ἤδη τοῦτον τὸν ὑπομνηματισμὸν [de Stoicis cf. p. 90 H.] αὐτόθι καταπαύσω.

Tertiam eclogam excerpsit Ioannes p. 242—334. superscripsit Ἀριστοτέλους καὶ τῶν λοιπῶν Περιπατητικῶν περὶ τῶν ἠθικῶν. non solum inscriptionis forma, sed etiam disputationis tenor et excerpendi ratio eundem compilatorem prodit Arium Didymum. nam ut in Stoicis similiter, ita non Aristotelis doctrina sed Aristoteleorum explicatur. commenticium enim esse quod Heerenius narrat: haec praecipue ex ipsis Aristotelis scriptis quae nobis adhuc supersint hausta esse, docuerant Madvigus et Trendelenburgius atque nunc omnes, praeterquam quod extremam de politicis partem p. 322—334 ab Aristotele proximam esse concedunt [1], cetera noviciae originis esse consentiunt et ultimum depravationis per Eudemea ac Magna moralia quasi per gradus gliscentis testimonium. sed ne haec quidem unius sunt aetatis. antiquior et Theophrasto vindicanda videtur ecloga p. 292—306 περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς ὅτι μεσότητες, quia et nomen illius bis citatur et doctrina apprime Theophrasteo mori convenit. reliqua ad ultimam scholae aetatem referenda sunt, quia Stoicae disciplinae non guttae sed flumina immissa sunt, vix ut Aristotelea subinde adgnoscantur. itaque veri quodam sensu ductus Madvigus olim [de fin.[2] III 1 p. 547 [1]] ex Antiocho confusionis acerrimo propugnatore Stobaeana excerpta esse asseveravit Ciceronisque inde in quinto de finibus similitudines ad c. 12 34, 13 36. 37. 38 sagaciter explicavit.

---

[1] Spengel über die Polit. d. Aristot. p. 45. Zeller III 1 547[1], Henkel stud. z. gesch. der griech. lehre vom staat p. 101[5], id. zur Polit. d. Aristot. Stendal 1875 p. 10.

at est ubi cum Antiocho pugnent, quod non fugit Zellerum Madvigianae opinionis alioqui patronum. quare vereor ne nimium sibi sumpserint illi, ex Antiocho illud Arii compendium ductum qui putent. nec magis Trendelenburgio album calculum adiciam, qui post Arcesilaum fontem quaerendum esse conlatis p. 266 H. cum p. 56 negavit [monatsber. d. Berl. Akad. 1858, 155]. maxime arridet Meureri sententia, qui medium quodammodo feriens priora Antiocho adscripsit cetera ex variis variae aetatis scriptoribus consuta esse existimavit [Peripatetic. philos. mor. sec. Stob. Weimar 1859 p. 10]. citra Antiochum vix quoquam usus est. nam *esotericorum* scriptorum ab Andronico vulgatorum quae in physicis ad verbum saepe expilat, in ethicis nullus fere est usus.

Constat ex Eusebii fragmentis etiam physica Arium attigisse. Stoicorum certe ac Platonis opiniones eodem filo quo ethica tractantur, ut eiusdem libri varias partes adgnoscere summopere necesse sit. iam vero bipartitum compendium nacti sumus, physicam priorem partem, moralem alteram. .nam hic est vulgaris ordo. de tertia dialectica parte nihil traditur. sed quis sibi persuaserit, aequabilitati usu receptae tam non consuluisse compilatorem, ut illa omitteret, unde maxime Andronicus philosophiae Aristoteliae initium capiendum esse censuerat? quare non quaeritur num dialectica tetigerit, sed quo loco. de qua re videro. sectarum successio vix alia fuit quam vulgaris Platonicorum, Aristotelicorum, Stoicorum. de Epicureis nihil constat. sed illud ambiguum utrum sectarum logica physica ethica deinceps singularum persecutus sit an tres partes aliam post aliam sectarum diversitate illustraverit. illud suadet Stobaei locus quem apposui p. 70 περὶ δὲ τῶν ἠθικῶν ἑξῆς ποιήσομαι τὸν ὑπομνηματισμόν. quis enim ethicis ceterarum sectarum absolutis, isto modo ad Stoicos transiisset? nonne pergere debebat περὶ δὲ τῶν Στωικῶν κτλ.? huic opinioni favet Eusebii lemma περὶ τῶν ἀρεσκόντων Πλάτωνι quod quamvis non sit accuratum tamen Platonicam partem seorsum eximit. atque peculiares eiusmodi libellos Arianae Epitomes alias citatos et excerptos videbimus. universo volumini Prolegomena praefixa erant item tripartita, unde exstat ethicae philosophiae pars. nam si ut Stobaeus facit prolegomenis continuasset ethicas Stoicorum ceterorumque eclogas, eadem statim repetendo lectores credo enecuisset. hanc igitur habe Epitomes dispositionem:

προοίμιον περὶ φιλοσοφίας
1 λογικὸν μέρος
2 φυσικὸν μέρος
3 ἠθικὸν μέρος
I Πλάτωνος καὶ τῶν λοιπῶν Ἀκαδημαϊκῶν δογμάτων ἐπιτομή
1 λογικόν
2 φυσικόν
3 ἠθικόν

II Ἀριστοτέλους καὶ τῶν λοιπῶν Περιπατητικῶν δογμάτων ἐπιτομή
1 λογικόν
2 φυσικόν
3 ἠθικόν
III Ζήνωνος καὶ τῶν λοιπῶν Στωικῶν δογμάτων ἐπιτομή
1 λογικόν
2 φυσικόν
3 ἠθικόν
IV Epicureorum?

Praemisi hanc tabulam, cuius ratio reliqua disputatione planius comprobabitur cuiusque titulos exempli gratia explevi, ut uno obtutu quid intersit inter Arium et Aëtium patescat. hic physicorum opiniones minutissimorum capitum carceribus inclusit neglectis scholarum terminis, Arius non singulorum philosophorum, sed principalium sectarum generalem doctrinam liberiore partitione et uno potissimum tenore percurrit. hic antiquos praecipuo amore amplexus est, ille nisi in prolegomenis nullos nisi illarum familiarum participes. hinc orationis cognatae quaedam discordia. Arius remissior verbosior planior, maiores periodos complexus, alter contractior, in breviando saepe nimius, commata minutim conserens.

Sed illud quod coepimus videamus. quicunque Placitorum formam bene informatam habet, Meinekei temeritatem ne punctum quidem temporis defendet. quare candido iudicio R. Volkmannus, qui antea eum calidius secutus erat, causa recognita patrocinium susceptum deseruit [Fleckeisen jahrb. 1871 p. 683 sq.]. sed tamen sic erravit Meinekeus ut viri subacti ingenii errare solent, non sine magno ad veri cognitionem emolumento. nam verissime vidit etiam in physicis Stobaei eclogis Arianae originis aliquantum insertum esse. quantum lateret quibusque indiciis ea ab Aëtii Placitis discernenda essent, non pervidit. nam etsi qui in Ioannis musivo opere varios variorum scriptorum lapillos sensu ac divinatione quadam dignoscere didicerit, non nulla recte haud dubie expiscabitur (velut Meinekeus in florilegii t. 28 14. 15 Ariana verissime cognovit), tamen sensui soli fidere periculosum. quare qui aliis persuadere voluerit sibique cavere a Stobaei artificiis, ei certa sunt circumspicienda indicia, qualia huc quam brevissime congessi. numeri sunt nostrae physicorum fragmentorum sylloges.

I Arii est maior fere capitum ambitus, vid. fr. 3. 10. 11. 12. 13. 14. 21. 26. 27. 28. 29. 31. 37. 38

II eclogae ut ex Arii ampliore conexu divulsae incipiunt a δέ particula, ut fr. 1 περὶ δὲ τῶν ἰδεῶν . . ., 2 ἐπειδὴ δ' ἡ μὲν φύσις, 3 ταύτας δὲ τὰς ἀρχάς et sic fr. 5. 6. 8. 9. 11. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 25. 27. 28. 29. 31. 32. 35. 38

III conclusiones apparent ampliorum capitum fr. 12 περὶ μὲν οὖν τούτων διετάττετο οὕτως. fr. 13 καὶ περὶ μὲν τῶν σεισμῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ τὴν γῆν παθημάτων ἐπὶ τοσοῦτον. cf. fr. 11

IV nomina philosophorum si non omittuntur, saepe secundarium locum obtinent ut fr. 3 ταύτας δὲ τὰς ἀρχὰς ποτὲ μὲν εἶναί φησιν Ἀριστοτέλης. sic fr. 18. 20. 22. 25. 29. 31. 32. 35. cf. 39

V lemmata anepigraphis capitibus suo more margini adscripsit genetivo usus Stobaeus fr. 2 Ἀριστοτέλους fr. 4 Ἀριστοτέλους καὶ τῶν ἀπ' αὐτοῦ [ecce titulus Arii!]. item fr. 6. 14. 15. 20. 21. 22. 23. 30. 40 [1]

VI Arii excerpta fere post Placita extrema collocavit

fr. 3. 1. 40	post I 10 2	
2. 20	post I 9 4	[interpositis §§ 6. 7.]
4. 38. 28. 27	post I 17 4.	
6. 7. 26.	post I 22 6	[inserto Hermae loco]
10. 33	post II 24 9	
11. 35	post III 4 5	
12	post III 3 12	
15	post IV 10 2	
17	post IV 13 12	
18	post I 11 4	[sequitur peculiare capitulum]
19	post I 13 4	
21	post I 2 2	
22. 23. 24	post I 23 2	[Platonis excerptis-mixtis]
25	post I 19 1 II 9 4	[cum Platonis loco]
32	post II 19 3	
36	post I 24 3	

VII pugnant cum Aëtii vel sententiis vel ordine. conferas

fr. 2	cum Plac. I 9 5
3	I 3 22
5	I 12 3
8	II 16 4. 7 5
9	II 7 5
10	II 20 11
13	III 15 5
15	IV 8 6. 10 2
18	I 11 5
19	I 12 1
20	I 9 7
25	I 18 5 20 1
26	I 22 7
33 } 34 }	II 20 4 II 25 5

λ

[1] augebitur genetivi numerus si ἀριστοτέ in libris scriptum finxeris (cf. fr. 15) in quo explicando fluitant librarii. semel quod sciamus Stobaeus in unum contraxit lemma, quod fusius erat in illo fr. 36.

VIII Stoicorum formulae immixtae sunt Aristoteleis velut fr. 4 τοὺς δ' ἀσωμάτους λόγους εἴ τινές εἰσι λόγοι cf. ecl. ethic. p. 60H. 19, 31 Mein., fr. 5 τὰς τῶν δραστικῶν καὶ τὰς τῶν παθητικῶν φύσεις, fr. 9 θεὸν ... συνεκτικὸν καὶ προνοητικὸν τῶν οὐρανίων cf. [Arist.] de mund. p. 397ᵇ 9

IX in meteorologicis fr. 11. 12. 13. 14 Aristotelis libros ad verbum plerumque compilavit

X in Stoicis loquax est cum illis, molestissimus fr. 21 [1].

Hac indiciorum decade (quorum rationem ex Ariani libri instituto Stobaeique compilandi more explicare supersedeo lectoris iudicio confisus) non difficile est velut hamo Epitomes fragmenta expiscari. neque tantum vereor ne quid falso in syllogen receperim quantum ne omnia. curavi tamen in notis ad Aëtium ut legentes saltem monerentur. [2]

Fragmentis perlustratis mirum alicui videatur quod Stobaeus non plus semel Platonem citavit ex Ario. atqui constat ut qui maxime eum esse φιλοπλάτωνα [cf. supra p. 58]. sed inde fortasse rem explicaveris. primum Aëtii Platonica excerpsit, tum ipse Platonem studiosissime legit et αὐτολεξεὶ compilavit, cui bono igitur easdem res ex Epitome petiturus erat? quanto autem studio Platonis monumenta volverit, non solum ex excerptorum multitudine elucet vel inde quod eius testimonium aliis eclogis ipse adiunxit p. 318H. [3], sed etiam quod ex illis locis opinionem excerptam quasi titulum praemittit. velut p. 438 ὅτι δὲ τὸ πᾶν ἀίδιον δηλοῖ σαφῶς. λέγει γοῦν ἐν τῷ Τιμαίῳ οὕτως. cf. 498. 812 et plenius p. 438 Πλάτων τὸν κόσμον ἔφησε ζῷον ἔμψυχον ἔννουν τε ὅτι τε ἀφ' ἑαυτοῦ τρέφεται, τὸ δὲ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου ἐν οὐρανῷ τίθεται. parili ardore Pythagoreis, quos ille credebat, libris studebat. unde eaedem formulae apparent p. 418 Φιλολάου Πυθαγορείου ἐκ τοῦ περὶ ψυχῆς. Φιλόλαος ἄφθαρτον τὸν κόσμον εἶναι. λέγει γοῦν οὕτως ἐν τῷ περὶ ψυχῆς vel p. 428 Ἀρισταίων ἔφησεν ἄφθαρτον εἶναι τὸν κόσμον. λέγει γοῦν ἐν τῷ περὶ ἁρμονίας οὕτως vel p. 422 Ὄκελλος ἀίδιον τὸν κόσμον· ὡδὶ γὰρ ἐν τοῖς περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσιος λέγει. cumulavi exempla non invitus, quippe unde falsissimam opinionem explosum iri spero, quam vulgo de Stobaei labore finxerunt. quorum iudicio a scriba ille nihil distat. neque Meinekeo [4] cito credemus talia prooemia Ario tribuenti. immo constat certo consilio Platonicum illius librum sprevisse.

---

[1] Chrysippi videlicet garrulitate perfusus, quod excusat Galenus de Plac. Hipp. et Plat. p. 318 K. ἔγωγε οὖν ἠναγκάσθην ὑπὸ τοῦ [l. τῆς] Χρυσίππου προσχυθεὶς ἀδολεσχίας ἐξηγεῖσθαι.

[2] frustula ex Didymo admixta credo I 7 31 18 6 23 2 III 1 7 2 3 7 4.

[3] talibus fere formulis usus λέγει γὰρ ἐν τῷ Τιμαίῳ οὕτως p. 390 vel λέγει γοῦν καὶ ἐν τῷ Παρμενίδῃ p. 330. 492. 354.

[4] errat enim Meineke [Muetzell. Zeitschr. XIII 564]: Stobaeus ist nichts als ein fingerfertiger Compilator und weder in dem florilegium noch in den Eclogis physicis findet sich auch nicht [l. nur] ein einziges excerpt das von ihm selbst redigiert wäre. sic ei quoque peccare solent adulescentes qui quotannis in historicorum fontium venationem mittuntur. explorato enim scriptoris stupore quidvis facile persuadere solent.

Sed aliunde nobis insperata quaedam lux affulsit. nam idem caput quod et Eusebius et Stobaeus solum ex illa parte excerpserunt, in Alcinoi ἐπιτομῇ τῶν Πλάτωνος δογμάτων c. 12 [Plato ed. Herm. VI p. 166] servatur.[1] qui qua ratione in excerpendo versatus sit e fr. 1 elucet, ubi excerpta iuxta posui. apparet tribus exemplis minimum unum mendum commune esse, Eusebium accuratissime, Stobaeum paulo neglegentius, liberrime Alcinoum exemplar expressisse. sed cur hic substitisse credamus breviatorem? quidni plura, fortasse omnia transcripta putamus? neque desunt, quae huic coniecturae faveant. non dico illam sectarum confusionem Stoicorum Platonicorum Peripateticorum, quam non minus in Alcinoi quam in Arii Epitome obtinere vides [cf. Zeller III 1 p. 725. Prantl gesch. d. log. I 610]. sed apparet aperta Stoici confessio c. 4 p. 155, 23 H. ἡ τότε λεγομένη νόησις νῦν ἐλέχθη φυσικὴ ἔννοια, simili vocabulo utitur Arius fr. 2 κατ' ἐπίνοιαν Aristoteleam sententiam explicans cf. fr. 40. omnino ista consuetudo ut Stoicorum formulas apponat Arii est. sic fr. 17 in Aristotelis opinione: τοῦ δὲ κινητικοῦ κατὰ τόπον ὃ δὴ προσείπομεν ὁρμητικόν. ex Chrysippi imitatione poetarum versus adduntur c. 24 et 26 cf. Galen. de plac. Hipp. et Plat. p. 307. 408 K. similiter Arius ecl. II p. 170. 220. 254 H. deinde Peripateticae partitioni philosophiae θεωρητικῆς et πρακτικῆς tertia pars διαλεκτική additur c. 3[2], quo Stoicorum tripartita φυσικὴ ἠθικὴ λογική exaequetur. eandem divisionem sequitur Arius. sed hoc vulgare est. memorabilius quod moralis locus in ἠθικὸν οἰκονομικὸν πολιτικὸν ab Alcinoo dividitur c. 3. videlicet ipse postea oblitus quae promiserat οἰκονομικὸν omisit. sed adhibuit eam partitionem Arius in Aristotelis ethicis cf. p. 322. atque similis capitum ordo in Alcinoo c. 27 ἀγαθόν c. 28 τέλος c. 29 ἀρετή c. 30 ὅτι μεσότητες ἂν εἶεν c. 31 ὅτι ἀκούσιον τὸ ἀγαθόν c. 32 πάθη c. 33 φιλία, in Ario ecl. eth. p. 262 τρία γένη τῶν ἀγαθῶν p. 272 περὶ ἀρετῆς etc. p. 276 πόσα μέρη τοῦ ἀγαθοῦ καὶ περὶ σκοποῦ p. 286 ποσαχῶς τὸ ἀγαθόν p. 292 ὅτι μεσότητες p. 306 περὶ παθῶν p. 308 περὶ φιλίας. deinde capita tantum se tangere inculcat Arius

p. 90 τὰ κεφάλαια τῶν ἀναγκαίων δογμάτων ἀναλαβών
p. 242 ἐγὼ δ' ὁπόσα προὐθέμην ἐπελθεῖν ἐν κεφαλαίοις
p. 322 τῶν πλείστων ἀνειλημμένων κεφάλαια
p. 326 περὶ δὲ πολιτικῆς ταῦτ' ἂν εἴη κεφάλαια
p. 334 καὶ τῶν μὲν πολιτικῶν τὰ κεφάλαια ταῦτα

idem monet Alcinous c. 7 p. 161 προχείσθω ἡ τοῦ μαθηματικοῦ θεωρία ἐπὶ κεφαλαίων

c. 27 p. 179 ἑξῆς δ' ἐπὶ κεφαλαίων περὶ τῶν ἠθικῶς . . . εἰρημένων.[3]

---

[1] titulum sequor neque vulgarem Ἀλκινόου φιλοσόφου εἰσαγωγὴ τῶν δογμάτων Πλάτωνος neque quem finxit C. F. Hermann l. c. XVIII, sed quem subscriptum habet cod. Vindobon. 87 [Lambec. VII p. 17] a. 925 scriptus.

[2] aliter Laert. III 49 θεωρητικόν τε καὶ πρακτικόν. καὶ τῶν ὁ μὲν θεωρητικὸς εἰς τὸν φυσικὸν καὶ λογικόν, ὁ δὲ πρακτικὸς εἰς τὸν ἠθικὸν καὶ πολιτικόν. item V 28.

[3] transitionis Arii p. 90 περὶ δὲ τῶν ἠθικῶν ἑξῆς ποιήσομαι τὸν ὑπομνηματισμόν . . .

Sed omnia haec quae contuli non sufficiunt, quibus opinio nostra extra omnem dubitandi aleam ponatur. nam cum liberiore quadam paraphrasi Ariana verba circumscriberet, quod ex illo fragmento discimus, quid impedivit, quominus suae aetati inserviret? Zellerus quidem III 2 p. 191 pythagorissantis Platonici vestigia aperta sibi invenisse videtur. idem mihi non contigit. ceterum ipse III 1 p. 725 eclecticam tantum modo rationem Alcinoi taxavit. [1] quantum igitur peculiaris doctrinae illuc affluxerit peritioribus relinquo ad diiudicandum. [2] mihi vero non leve testimonium videbatur originis, quod Ariani tituli similis est Alcinoi inscriptio Ἐπιτομὴ τῶν Πλάτωνος δογμάτων, quam supra ex Vindobonensi antiquissimo protuli.

Stoicorum libello largissimam messem fragmentorum [fr. 18—40] ex Stobaei physicis restituimus, quae egregie Eusebianorum paucitatem complent. citantur Stoici Zeno Cleanthes Chrysippus Panaetius Mnesarchus Apollodorus Posidonius. insignis est consensus fr. 31 de mundo cum Aristotelis personati de mundo c. 2 qui verbis aliquantum, rebus et ordine fere nihil distat. hic enim frigidis ampullis eadem Posidoniana [cf. p. 21 Zeller III 1, 572] exornavit, quae servata orationis simplicitate compilavit Arius.

Aristotelica physica [fr. 2—17] Stoico colore tincta, sed[1] ex Aristotelis meteorologicis plerumque libris satis accurate excerpta esse supra dixi. propter hanc meteorologicorum enarrationem etiam separatim is libellus tradebatur aut certe citabatur. Priscianus quidem Lydus quaestionibus suis ad Chosroem regem, dum electorum scriptorum multitudinem se adhibuisse vana iactatione simulat [3], p. 553 Plotini Didotiani: *usi quoque sumus,* inquit, *utilibus quae sunt ex Strabonis geographia, Lavini* [l. Albini] *ex Gaii scholis exemplaribus Platonicorum dogmatum. adhuc etiam commento Gemini Posidonii de* μετεώρων *et Ptolemaei geographia de climatibus et siquid utile nobis ex Astronomicis apparuit, Marcianique periegesi et* μετεώρων ***Arriani, Didymoque de Aristotele et ipsius scriptore***

ἄρξομαι δ' ἐντεῦθεν simile est apud Alcin. c. 11 ἐπὶ δὲ τὸν καλούμενον φυσικὸν τόπον ἑξῆς χωρητέον ἐντεῦθέν ποθεν ἀρξαμένοις.

[1] quae c. 15 de daemonibus disputantur plerumque Stoicorum sunt. nam quod dicit ἀφ' ὧν κληδόνες καὶ ὀττεῖαι καὶ ὀνείρατα καὶ χρησμοὶ καὶ ὅσα κατὰ μαντείαν ὑπὸ θνητῶν τεχνιτεύεται, similiter docuerat Posidonius apud Cic. divin. I 30 64 nec secus ipse Arius ecl. II p. 122 εἶναι δὲ τὴν μαντικήν φασιν ἐπιστήμην θεωρηματικὴν σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον συντεινόντων cf. p. 238.

[2] amicitiae διαίρεσις c. 33 convenit aliquo modo cum Diogene III 81 cf. ecl. eth. p. 308. sed cetera diversa sunt.

[3] cf. de ventis Rose anecd. graecolat. I 58 hec enim sunt ex multis scriptoribus accepta approbatione nobis sollicita de ventorum generacione et in quantum moventur et quomodo aera commovent proprio motu. cum his confer Roseum p. 26 nichts destoweniger gibt er bis auf ein paar kleine zusätze die reine aristotelische lehre bloss aus Meteor. II 4—6 in auszügen wieder. doleo Arii capita de ventis non exstare.

dogmatum et Dorothei Naturalium Aristotelis commento. constat Prisciani commentarium medio aevo latine versum servari. barbarus igitur ut intellegatur, graeca sunt refingenda: κεχρήμεθα δὲ . . . . . . καὶ Διδύμῳ τῷ περὶ Ἀριστοτέλους καὶ τῶν αὐτοῦ γεγραφότι δογμάτων, quae cum molestiora sint, fortasse propius ad Didymi titulum licet accedere rescripto περὶ Ἀριστοτέλους καὶ τῶν ἀπ' αὐτοῦ δογμάτων. sed utut latina interpretabere, Arium Didymum significari mihi est persuasissimum.

Ultimo huic loco Stobaei testimonium reservavi, unde generaliorem titulum περὶ αἱρέσεων nancisci videmur. ecce totum caput [ecl. II 1 17. 18 cf. flor. t. 80 1] quemadmodum in Damasceni (D) archetypique (A) exemplari communi scriptum fuisse videtur. [1] priores 5 versus ibi extremam paginam aversam complevisse, cetera folium novum incepisse ex posterioribus fatis concludi potest.

Ξενοφάνους — Ξενοφάνους πρώτου λόγος ἦλθεν εἰς τοὺς Ἕλληνας
ἄξιος γραφῆς ἅμα παιδιᾷ τάς γε [2] τῶν ἄλλων τόλμας ἐπι
πλήττοντος καὶ τὴν αὐτοῦ παριστάντος εὐλάβειαν ὡς ἄρα
Διδύμου ἐκ τοῦ — θεὸς μὲν οἶδε τὴν ἀλήθειαν δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.
περὶ αἱρέσεως — ἡ μὲν γὰρ φιλοσοφία θήρα τῆς ἀληθείας ἐστὶ καὶ ὄρεξις.

fol. rect. — τῶν δὲ φιλοσοφησάντων ἔνιοι εὑρεῖν φασι τὸ θήραμα
τῆς σοφίας ὡς Ἐπίκουρος καὶ οἱ Στωικοί, οἱ δὲ ἀκμὴν ἔτι
ζητεῖν ὥς που παρὰ θεοῖς ὂν καὶ τῆς σοφίας οὐκ ἀνθρωπί
νου χρήματος ὄντος· οὕτως ἔλεγε καὶ Πύρρων.

Quantum Didymi stilum cognovimus, talia abhorrent. nam sophistam sapiunt periodorum artificia ac lumina orationis aucupantem velut παιδιᾷ ἐπιπλήττοντος, quod Roethius corrigendo παιδείᾳ oratoris ornatu exuit. insignis est etiam flos Platoni surreptus θήρα τῆς ἀληθείας et θήραμα, de quo dixit Wyttenbachius ad Eunap. p. 57. quare nisi obstaret lemma, inferioris aetatis scriptorem excerptum crederem. sed ne constat quidem de lemmate. nam quis spondet codice lacerato alienum lemma imprudenter arreptum et tanquam supplementum lacunae additum non esse? certe in codicibus illud Διδύμου ἐκ τοῦ περὶ αἱρέσεων post τέτυκται apparet. sed ut recte se habeat lemma paulo inferiore loco olim descriptum, ubi tandem illam eclogam collocabimus? an peculiare caput fuit Didymi de Eleatis, quod Meinekeo olim infeliciter in mentem venit? [3] at multa sunt quae extra principales posteriorum sectas vagari dissuadeant. rectius prolegomenon aliquis meminerit. nam ibi miscellanea materia coacervavit ut in ethico fragmento atque alios quoque scriptores κατὰ λέξιν excerpsit, ut Philonem Eudorum alios. [4] nec ab re fuit

---

[1] cf. Fleckeisen jahrb. CV 1872 p. 193. C. Wachsmuth Mus. Rh. XXVII 73 sqq.

[2] sic A D. rectum est τε. in lemmate habet D Διδύμου περὶ αἱρέσεως. verum est αἱρέσεων.

[3] excusatur eo quod posterior pars τῶν δὲ — Πύρρων nondum restituta tum erat.

[4] secundum hanc rationem fortasse quod prooemium nominavi [p. 72], περὶ αἱρέσεων peculiari titulo inscriptum fuisse opineris. nam singulae singillatim inscriptae fuerunt partes.

Scepticum quoque vel Academicum inducere, qui *Empedoclen Anaxagoran Democritum Parmeniden Xenophanem Platonem etiam et Socratem* haesitantes de vero proferre solebant [Cic. Lucull. 5 14 Laert. IX 71—73]. talis igitur explicatio si cui probabitur non repugnabo. interea illo περὶ αἱρέσεων titulo quamvis aptissime [1] Ariano libro praeponatur, pro genuino uti nolo.

Brevissime Meinekei perdubiam opinionem tango, quam displicuisse Volkmanno video [N. Jahrb. f. Phil. 1871 p. 684 sqq.]. apud Clementem enim est Strom. I 14 61 p. 361 Pott. πάλιν αὖ Χίλωνι τῷ Λακεδαιμονίῳ ἀναφέρουσι τὸ μηδὲν ἄγαν. Στράτων δὲ ἐν τῷ Περὶ εὑρημάτων Στρατοδήμῳ [cf. Nietsche Mus. Rh. XXV 228] τῷ Τεγεάτῃ προσάπτει τὸ ἀπόφθεγμα, Δίδυμος δὲ Σόλωνι αὐτὸ ἀνατίθησιν ὥσπερ ἀμέλει Κλεοβούλῳ τὸ μέτρον ἄριστον. haec Ario Didymo vindicabat Meinekeus, Symposiacis Chalcenteri sive quod M. Schmidtio [Didymi fr. p. 372] magis placet Didymi Heraclidis f. Neronis aequalis Volkmannus. utrius sit verior coniectura, ex hoc uno loco dirimi nequit. nam etsi Meinekeus haud dubie erravit universam a Thalete philosophiam decucurisse Arium opinatus, quid impedit quominus in prooemio leviorem istam apophthegmatum memoriam tamquam rudioris philosophiae testimonium tactam credamus? Apollodorum quidem Epicureum ἐν τῷ Περὶ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεων simillima proferre non paenituit cf. Diog. I 60 τοῖς τε ἀνθρώποις συνεβούλευσεν (Solo) ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ Π. τ. φ. αἱρ. τάδε· καλοκἀγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχε· μὴ ψεύδου κτλ. at ipse Clemens cum de philosophis mulieribus Didymum ἐν Συμποσιακοῖς citet Strom. IV 19 123 p. 620 Pott. et a libelli indole VII sapientum memoria haudquaquam abhorreat, illud quoque fragmentum Symposiacis addere magis consentaneum est. nec dubiae rei fidem auxit Meinekeus, cum Clementis locum tertium qui de Theano ex Didymo

---

in simili argumento, dividendi studio autem etiam maiore versatur Varro in libro de philosophia Aug. d. c. d. XIX 1—3 qui ex tripertita finium bonorum et malornm partitioni CCLXXXVIII sectas inepte effecit.

[1] unde Volkmannus (N. jahrb. f. cl. phil. 1871 p. 685, qui illum titulum ad Arium pertinere negat) didicerit tales libros historica non dogmatum ratione conscriptos fuisse, frusta quaero. Theodori quidem Clitomachi Panaetii Eratosthenis περὶ αἱρέσεων utrum omnino philosophiae historiam an ipsam philosophiam tetigerint, dubitatur. cf. Nietsche Mus. Rh. XXIV 194. exstat Galeni περὶ αἱρέσεων compendium non temporum ratione compositum. Nec Pseudo-Galeni hist. phil. c. 7 περὶ αἱρέσεων inutiliter comparabitur. imprimis Varronis satura περὶ αἱρέσεων conferenda cuius fragmentum 3 Buech. [1 Ries.] Ariani prooemii simillima tractat. cf. Sesculixes fr. 23 [24] et 25 [26]. cf. supra p. 78[4]. praecipue huc facit Apollodori Epicurei περὶ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεων [cf. supra], quae eadem videtur atque eiusdem συναγωγὴ τῶν δογμάτων, Laert. VII 181. qui cum Epicuri et Chrysippi memorias illic testetur, Leucippi patrocinium [Laert. X 13] indidem petitum coniecit Hirzelius Untersuch. I 184[1], qui 'sophistae' illius studia bene explicavit. num Theophrasti exemplo dogmata omnium philosophorum comprehenderit an Ario proluserit principales sectas potissimum exponenti, in medio relinquam, praesertim cum Philodemi τῶν φιλοσόφων σύνταξις [Laert. X 3] parum sit nota. Apollodori libros περὶ τοῦ Ἐπικούρου βίου [Laert. X 2 cf. X 10 Nietsche Mus. Rh. XXIV 199] recte Hirzelius videtur seclusisse.

ἐν τῷ Περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας [Didymi fr. coll. Schmidt p. 381 [1]] translatus dicitur Ario suo attribuit. neque enim probabile peculiarem fuisse Epitomes de Pythagoreis librum neque temere Schmidtius Didymum Heraclidis filium, quem Pythagoreum et ipsum fuisse statuit Fabricius [B. G. VIII 355], libri istius auctorem credidit. ergo istis quidem fragmentis Arii Epitomen beare nolumus.

Sed quidquid Meinekeus coniectando peccavit, verissima illa coniectura satis rependit, quam de Arii Didymi aetate proposuit. docuit enim breviter in adnot. critic. ad Stob. ecl. p. CLV eundem esse Arium, quem Augusti praecipuo amore usum esse proditum est. quod ille paucis verbis significavit peritis, id explicatius exponendum et quoniam fuerunt quibus rem certam incertam reddere luberet, res acta iterum agenda ac profliganda est.

Inclutus est Arius ex narratione celebrata apud veteres, quam Plutarchus sic rettulit praec. reipubl. ger. 18 p. 814 Ἀρειόν τε Καῖσαρ ὅτε τὴν Ἀλεξάνδρειαν εἷλε διὰ χειρὸς ἔχων καὶ μόνῳ προσομιλῶν τῶν συνήθων συνεισήλασεν, εἶτα τοῖς Ἀλεξανδρεῦσι τὰ ἔσχατα προσδοκῶσι καὶ δεομένοις ὁ Αὔγουστος ἔφη διαλλάττεσθαι διά τε τὸ μέγεθος τῆς πόλεως καὶ διὰ τὸν οἰκιστὴν Ἀλέξανδρον καὶ τρίτον, ἔφη, τῷ φίλῳ μου τούτῳ χαριζόμενος. [cf. apophthegm. reg. Caes. Aug. 3 p. 207] idem V. Anton. 80 αὐτὸς δὲ Καῖσαρ εἰσήλαυνεν εἰς τὴν πόλιν Ἀρείῳ τῷ φιλοσόφῳ προσδιαλεγόμενος καὶ τὴν δεξιὰν ἐνδεδωκώς, ἵνα εὐθὺς ἐν τοῖς πολίταις περίβλεπτος εἴη καὶ θαυμάζοιτο τιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ διαπρεπῶς. εἰς δὲ τὸ γυμνάσιον εἰσελθὼν καὶ ἀναβὰς ἐπὶ βῆμά τι πεποιημένον ἐκπεπληγμένων ὑπὸ δέους τῶν ἀνθρώπων καὶ προσπιπτόντων, ἀναστῆναι κελεύσας ἔφη πάσης αἰτίας τὸν δῆμον ἀφιέναι πρῶτον μὲν διὰ τὸν κτίστην Ἀλέξανδρον κτλ. tum pergit ταύτης δὴ τῆς τιμῆς ἔτυχε παρὰ Καίσαρος Ἄρειος καὶ τῶν ἄλλων ἐξῃτήσατο συχνούς. ὧν ἦν καὶ Φιλόστρατος ἀνὴρ εἰπεῖν μὲν ἐξ ἐπιδρομῆς τῶν πώποτε σοφιστῶν ἱκανώτατος, εἰσποιῶν δὲ μὴ προσηκόντως ἑαυτὸν τῇ Ἀκαδημείᾳ. διὸ καὶ Καῖσαρ αὐτοῦ βδελυττόμενος τὸν τρόπον οὐ προσίετο τὰς δεήσεις. ὁ δὲ πώγωνα πολιὸν καθεὶς καὶ φαιὸν ἱμάτιον περιβαλόμενος ἐξόπισθεν Ἀρείῳ παρηκολούθει τοῦτον ἀεὶ τὸν στίχον ἀναφθεγγόμενος

σοφοὶ σοφοὺς σῴζουσιν ἂν ὦσιν σοφοί.

πυθόμενος δὲ Καῖσαρ καὶ τοῦ φθόνου μᾶλλον Ἄρειον ἢ τοῦ δέους Φιλόστρατον ἀπαλλάξαι βουλόμενος διῆκε.

Similiter ut ex eodem fonte narrat Cassius Dio LI 16 3 τῶν τε Ἀλεξανδρέων πάντων ἐφείσατο ὥστε μὴ διολέσαι τινά, τὸ μὲν ἀληθὲς ὅτι οὐκ ἠξίωσε τοσούτους τε αὐτοὺς ὄντας καὶ χρησιμωτάτους τοῖς Ῥωμαίοις ἐς πολλὰ ἂν γενομένους ἀνήκεστόν τι δρᾶσαι. πρόφασιν δὲ ὅμως προὐβάλλετο τόν τε θεὸν τὸν Σάραπιν καὶ τὸν Ἀλέξανδρον τὸν οἰκιστὴν αὐτῶν καὶ τρίτον Ἄρειον τὸν πολίτην ᾧ που φιλοσοφοῦντί τε καὶ συνόντι οἱ ἐχρῆτο. Plutarcho videtur uti nescio quid de Thrasyllo falso admiscens Themistius or. VIII p. 129, 14 Dind. [1]

---

[1] cf. XIII p. 212, 21. X p. 155, 19. XXXIV p. 451, 5. V p. 75, 23. XI p. 173, 3. Iulian. ad Themist. p. 265 C. epist. 51 p. 96 Heyl. Caes. 21.

Ex Plutarchi Dionisque narrationibus certissime patria Alexandria cognoscitur. ex eis, quae de Philostrato tradit Plutarchus Academicum fuisse Arium suspicatus erat Zellerus quem recte refutavit O. Heineus [n. jahrb. f. class. phil. 1869, 613]. sophista ille fuit philosophorum habitum falso affectans, quo philosophus philosophi misericordiam facilius excitaret. sed nihil efficit quod Academicum potissimum se dixit ad Arii sectam indicandam. neque enim Xenarchus Peripateticus propter sectae diversitatem ab Arii familiaritate exclusus erat.[1] et de secta nulla potest esse dubitatio. nam quod ex Stoico colore Epitomes suspicari licebat, id nunc ex Laertii Diogenis libri VII indice Laurentiano LXIX 35 [ed. Rose Herm. I 370][2] liquido constat. Stoicorum enim schola inde a Panaetio maximeque Posidonio multum a pristino rigore remiserat, quo eclecticae rationi postea ab Antiocho maxime commendatae facilius se applicaret.[3] Arius autem Alexandriae natus, qua in urbe philosophiae studia mature ex sectarum gyro in latiorem litterarum campum educta fuere ubique primum *quae philosophia fuit*, ut ait Seneca, *philologia facta est*, Alexandriae[4] inquam laxiorem illam philosophandi rationem imbibit. num Antiochum ipsum audiverit nescimus. sed novit sine dubio Alexandrinum Eudorum aequalem, cuius Διαίρεσιν τοῦ κατὰ φιλοσοφίαν λόγου in prooemio cum laude commemoravit et iuxta Philonem excerpsit. exemplar vero Eudorus est eclectici philosophi. qui Stoicus est germanus, si Διαίρεσιν inspexeris vel meteorologica, quae ex Diodoro mathematico Alexandrino excerpta esse dixi p. 22 sq. at Academici nomen professus est, quod non solum Achilles p. 153c [cf. supra p. 22] sed etiam Simplicius testatur. quid? quod Aristoteli quoque explicando operam navavit, quam commentarii in categorias non raro laudant.[5] hinc aetas inter Andronicum Aristo-

---

[1] Strabo XIV p. 670 Ξέναρχος δὲ [supra Peripateticus dictus] οὗ ἠκροασάμεθα ἡμεῖς ἐν οἴκῳ μὲν οὐ πολὺ διέτριψεν, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ Ἀθήνησι καὶ τὸ τελευταῖον ἐν Ῥώμῃ τὸν παιδευτικὸν βίον ἑλόμενος χρησάμενος δὲ καὶ τῇ Ἀρείου φιλίᾳ καὶ μετὰ ταῦτα τῇ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ διετέλεσε μέχρι γήρως ἐν τιμῇ ἀγόμενος.

[2] eundem indicem in Parisino 1759 nuper repperit M. Bonnetus Mus. Rhen. XXXII p. 579.

[3] quam fluctuaverit ista aetate sectarum discrimen, docet illud de Antiocho ὅτι ἐν Ἀκαδημίᾳ φιλοσοφεῖ τὰ Στωικά [Sext. Hyp. I 235].

[4] non casu factum est quod Alexandrinus Potamo eclecticam sectam invenisse dicitur Laert. I 21. ceterum non rem, sed nomen novasse videtur, cum antea vox συμπεφορημένος in usu esset. cf. ad Theophrasti phys. fr. 2. Potamonis doctrina est Stoica, quantum dispici potest, sed Aristotelis categoriis admixtis. cf. Arius ecl. eth. p. 46 H. supra p. 70. libri titulus στοιχείωσις ad Posidonii exemplum [cf. supra p. 21] fictus videtur. ex his omnibus Arii Eudori Aristonis socium adgnoscas. vixit enim ut ait Suidas πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτόν [malim κατ' αὐτόν]. tenebras quas olim ex Laertii verbis ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος offuderunt, sagaciter dispulit Nietscheus Mus. Rh. XXV 226, de Diocle tamen falsus.

[5] Simplic. in cat. θ' 3 a [p. 61ᵃ 25 Br.] τοὺς παλαιοὺς τῶν Κατηγοριῶν ἐξηγητὰς αἰτιῶνται Βοηθὸν καὶ Ἀρίστωνα καὶ Εὔδωρον καὶ Ἀνδρόνικον καὶ Ἀθηνόδωρον. κ 4^b [p. 66^b 17] Εὔδωρος δὲ τῷ περὶ τῆς οὐσίας λόγῳ τὸν περὶ τῆς ποιότητος λόγον καὶ μετὰ τοῦτον τὸν περὶ

telis sospitatorem scholasticaeque philosophiae principem atque Arium Augusto aequalem certo definitur, ut iam dubitationis nihil relinquatur, quin eundem Eudorum Strabo coniunctum cum Aristone Peripatetico sua memoria vixisse dicat.[1] Aristonis societatem etiam scholia quae dixi passim commemorant ut in categ. p. 61^a 25. 63^b 10. quem popularem fuisse Eudori et Arii ex Apulei de dogm. Plat. III p. 277 Hild. et ind. Academic. Hercul. c. 35 8 discas. hinc illud quoque docemur olim Academicum fuisse Aristonem [cf. Cic. Lucull. 4 12], tum fortasse Andronici auctoritate permotum [cf. Mus. Rh. XXXI 11 [1]] Peripateticos amplexum esse. cf. Diog. VII 164. Brandis abh. d. Berl. Akad. 1833 p. 274.

Ex hac Alexandrinorum eclecticorum societate Arius in contubernium Augusti vocatus est, quem iam non tantum varia eruditione replebat, sed consilio quoque et solacio amice ac familiariter adiutabat. sic Suetonius Aug. 89: magistro usus Apollodoro Pergameno quem iam grandem natu Apolloniam quoque secum ab urbe iuvenis adhuc eduxerat, deinde eruditione etiam varia repletus per Arei philosophi filiorumque eius Dionysi et Nicanoris contubernium.

Platonis enim insigne exemplum non deterrebat philosophos quominus itentidem aulicae vitae splendorem scholarum umbris praeferrent. neque solum doctoris ipsorum vel liberorum, sed etiam consiliarii internuntii ducis vices explebant, denique cum in intimam familiaritatem se insinuare solerent animorum moderatores extiterunt gravissimi. simili munere christiani sacerdotes fungebantur, quibus cum aurium secreta confiderent, haud raro imperium quoque concedebant principes. apud Macedones praecipue, tum Alexandrinos et Pergamenos hic mos invaluerat, unde mature Romani principes receperunt.[2] neque consuetudinem Augustus

---

τοῦ ποσοῦ συνεζεῦχθαί φησιν. cum hoc categoriarum ordine ab Aristotelio absono cf. Arii Didymi locum ante Eudori mentionem ecl. eth. p. 46 H. praeterea nominatur ι′ 5^a 8^b [p. 70^b 26] μ′ 4^b [71^b 22] μ′ 8^b, ν′ 3^a [73^b 18] ν′ 5^a [74^b 2]. Academicus nominatur ι′ 5^a [63^a 43] Εὔδωρος ὁ Ἀκαδημαϊκός. vel metaphysica attrectavit, unde emendationem eius adnotavit Alexander ad 988a 7 [p. 44, 23 Bon.] veri simile est etiam Διαίρεσιν Peripatetico eum exemplo scripsisse. nam Aristotelis ferebantur variae διαίρεσεις. cf. Alexand. in top. p. 126. V. Rose Ar. Pseud. p. 127. 677 et Andronici liber de divisione apud Boethium de divis. init. p. 638. sed omnino in dividendo illius aetatis nimii fuere philosophi. nemo studiosior Varrone in Antiquitatum libris et de lingua latina. etiam putidior in l. de philosophia Augustin. d. C. D. XIX 1—3 cf. supra p. 78[4]. Eudorus etiam Pythagorae sive potius recentiorum Pythagoreorum doctrinam explanavit Simplic. phys. f. 39a 26—40.

[1] Strabo XVII p. 790 ἀλλ' ἐῶ ταῦτα πολλῶν εἰρηκότων ὧν ἀρκέσει δύο μηνῦσαι τοὺς ποιήσαντας καθ' ἡμᾶς τὸ περὶ τοῦ Νείλου βιβλίον Εὔδωρόν τε καὶ Ἀρίστωνα τὸν ἐκ τῶν περιπάτων.

[2] post Aristotelis aetatem nobiliores fuerunt aulici: Persaeus Stoicus, quem Zeno, qui frustra invitaretur, Antigono petenti misit, Antigoni filium Halcyonea erudivit, tum exercitui praefuit 'τὸν αὐλικόν, οὐ τὸν φιλόσοφον ᾑρημένος βίον' ind. Stoicor. ed. Comparetti c. 13, 5. cf. Zeller III 1, 34. — Sphaerus Stoicus apud Cleomenem infelicem Lacedaemoniorum regem, tum ut videtur apud Ptolemaeum Philopatorem Diog. VII 177, sed cf. ibid. 185. — Hecataeus Pyrrhonis discipulus Πτολεμαίῳ τῷ Λάγου συγγενόμενος Ioseph.

novam invexit cum Arium et Athenodorum Stoicos in familiaritatem recepit.[1] quanto honore eum Alexandriae dignum haberet, ex Plutarcho aliisque vidimus. idem postea consilio de Caesarione interimendo eum adhibitum esse narrat.[2] cum principatus instituta ad Ptolemaeorum partim normam dirigi coepta essent, Arii aliquas partes fuisse, conicere magis quam probare possumus. [cf. Lumbroso recherch. sur l'écon. polit. de l'Egypte, Turin. 1870 p. 308. G. Boissier la rélig. rom. I p. 124 sqq.]

Omnino Augusti rationibus eclectica ac mitis Arii philosophia imprimis probata est. Caesar autem ut ceterarum artium sic philosophiae haudquaquam ignarus haberi volebat. nam Hortationes ad philosophiam Tulliano fortasse exemplo conscripsit [Sueton. 85], quibus Arium manum commodasse non veri dissimile est. nec vehementer reluctabor si quis Epitomen in Augusti usum confectum suspicabitur. hinc explicatum quendam haberet, quod eclogae sunt minore labore factae nec ad publicum saporem limatae.[3] neque subitarii commentarii morem dedecet de-

c. Ap. I 22. — Theodorum Ptolemaeus Lagi f. adamavit et legationi ad Lysimachum praefecit. — de Diodoro Crono et Stilpone apud Sotera fabulatur quaedam Diog. II 111 ex Callimachi fr. 70. — de Timarcho cf. Callim. ep. 10. Diog. VI 95. — Panaretus Arcesilai discipulus ab Euergete alebatur [Athen. XII p. 552c = Ael. V.H. X 6.] — — Heraclides Lembus Ptolemaeo Philometori pacem cum Antiocho Epiphane conciliavit [Mueller F. H. G. III 167]. — Pergameno Attalo tam acceptus erat Crates Mallotes [Wachsmuth de Crat. M. p. 5] ut sub mortem Ennii Romam legatus mitteretur. Pergamenorum in Academicos studia illustrat C. Wachsmuth die Stadt Athen I 636 cf. Koehler C. I. A. II 1 p. 183. — Romanorum Aemilius Paulus Perse devicto Metrodorum quendam ad erudiendos liberos arcessivit Plin. 35 135. — Ti. Gracchus C. Blossio Antipatri discipulo familiariter usus est [Plut. Ti. Gr. 8. 17. 20]. — Panaetii cum P. Scipione Africano nota est consuetudo. — Posidonii discipulos Athenodorum Tarsensem et Cordylionem Cato Pergamo Romam secum duxit. — Cicero eodem modo Diodotum Stoicum in contubernium recepit. — Lucullo Antiochus familiaris erat, Pisoni Philodemus, alii Graeculi aliis. — de Nicolao Peripatetico Herodis amico cf. Mueller F.H.G. IV p. II. — imperatorum ab intimis consiliis philosophos enumerat C. F. Hermann de Thrasyllo Gott. 1852 p. 6. Friedlaender Sittengesch. I³ 408 III 592.

[1] Cass. Dio LII 36 4 in Maecenatis ad Augustum oratione: Ἀρείου καὶ Ἀθηνοδώρου καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν πεπείρασαι κτλ. Marc. Aurel. VIII 31 συγγενεῖς οἰκεῖοι φίλοι Ἄρειος Μαικήνας ἰατροὶ θύται. mire Ael. VH XII 25 Λεύκολλος Ἀντιόχου τι ὤνατο τοῦ Ἀσκαλωνίτου καὶ Μαικήνας Ἀρείου καὶ Κικέρων Ἀπολλωνίου καὶ ὁ Σεβαστὸς Ἀθηνοδώρου. unde erraverit, satis patet. callido studio Arii memoriam fovit Themistius or. V p. 75, 23 D. οὕτω καὶ οἱ πατέρες τῆς σῆς βασιλείας [Ioviani] τοὺς προγόνους ταύτης τῆς τέχνης προῆγον τὸν Ἄρειον ἐκεῖνον ὁ Σεβαστός, ὁ Τιβέριος τὸν Θρασύλον, Τραιανὸς ὁ μέγας Δίωνα τὸν χρυσοῦν τὴν γλῶτταν, τὸν Ἐπίκτητον τὼ δύο Ἀντωνίνω cf. or. XXXV p. 451, 5 et XI p. 173, 3 καλὰ μὲν δὴ καὶ τὰ Φιλίππου εἰς Ἀριστοτέλην καὶ τὰ Ἀλεξάνδρου εἰς Ξενοκράτην καὶ τὰ τοῦ Σεβαστοῦ εἰς Ἄρειον καὶ ὅσα Τραιανὸς εἰς Δίωνα ἐπεδείξατο καὶ ὅσα Τιβέριος εἰς Θρασύλον καὶ ὁπόσα Μάρκος εἰς Σέξτον· ἔναυλα δὲ ἔτι καὶ τὰ τοῦ ἐπωνύμου [Ioviani] πρὸς τὸν τηνικαῦτα φιλοσοφοῦντα ἐν Βυζαντίῳ. cf. X p. 155, 19.

[2] Anton. 81 βουλευομένου δὲ Καίσαρος Ἄρειον εἰπεῖν λέγουσιν 'οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη'.

[3] conferri tamen potest Alexandri Polyhistoris industria, qui et ipse dum aliorum eclogas fere innumeras colligit suo iudicio vel orationis ornatu uti nolebat cf. I. Freudenthal hellen. Stud. I 21 sq.

finitionum incomposita enumeratio [ecl. eth. p. 34. 84]. cognatum huic generi est Theonis Stoici qui Ario successit ὑπόμνημα τῆς Ἀπολλοδώρου φυσιολογικῆς εἰσαγωγῆς [Suid. s. v. Θέων Ἀλεξανδρεύς].[1] de physicorum studio tum pervulgato nota omnia [cf. Horat. epist. I 12 Propert. IV 5, 23]. addo moralibus quoque disputationibus eisque trivialibus Augusteae aetatis homines mirum quantum tribuisse. atque ipsius Caesaris amicus Horatius *noctes cenasque deum* celebrans [cf. Usener Mus. Rh. XXIV 349] disputavit Serm. II 6, 73 *utrumne*

divitiis homines an sint virtute beati,
quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos,
et quae sit natura boni summumque quid eius.

eius generis sermonibus Arii compendio commodissima materia parata erat. simul eclectica philosophandi ratio apparet, qua vel Epicurei qui fuerant delectari coeperant.

De Arii vita accuratiora vix effici possunt. Suetonio credimus post Apollodorum rhetorem philosopho Ario operam dedisse, incertum utrum Apolloniae, ubi Apollodorum certe audiit (Quint. III 1 17)[2] an Romae, ubi aliquamdiu eum cum Ario vixisse inde colligas, quod anno 724 cum Alexandriam iugressus est, summa iam auctoritate ille florebat. fuerit igitur si minimum sumas quadragenarius. admodum autem senex erat, cum de Druso filio acerba morte abrepto Liviam consolatus est. orationis tum habitae exordium vertit Seneca ad Marc. de consol. 4. 5: *illa* [Iulia Augusta] *in primo fervore cum maxime inpatientes ferocesque sunt miseriae, consol⟨atori se⟩ Areo philosopho viri sui praebuit et multum eam rem profuisse sibi confessa est* . . . orationem sic orsus est 4 3 '*usque in hunc diem, Iulia, quantum quidem ego sciam, adsiduus viri tui comes, cui non tantum quae in publicum emittuntur nota sed omnes sunt secre-*

[1] Nicolaus Herodis et Archelai filii magister et familiaris inter alia philosopha compendium Aristoteliae philosophiae fecit quod labente saeculo VII Iacobus Edessenus [Wenrich p. 7] et postea Hunain Isaaci f. syriace vertit [Abulfarag. H. D. 140 [88] Roeper lect. Abulf. p. 27 Wenr. p. 294, arabice ap. Mohammed. Fihrist p. 254, 3 [Müller die griech. philos. i. d. arab. ueberl. p. 26. Wenrich p. 294] cf. Simplic. d. cael. p. 180^b 40 Karst., 493^a 23 Brand. περὶ Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας. hoc compendium non dubito quin Herodi gratificaturus conscripserit. nam praeclare de suis studiis ipse narrat F. H. G. III 350 fr. 4 Ἡρώδης πάλιν διαμεθεὶς τὸν φιλοσοφίας ἔρωτα ὃ φιλεῖ τοῖς ἐν ὑπεροχῇ οὖσι συμβαίνειν διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐξαλλαττόντων αὐτοὺς ἀγαθῶν ἐπεθύμησε πάλιν ῥητορικῆς καὶ Νικόλαον ἠνάγκαζε συρρητορεύειν αὐτῷ καὶ κοινῇ ἐρρητόρευον. αὖθις δ' ἱστορίας αὐτὸν ⟨ἔρως⟩ ἔλαβεν ἐπαινέσαντος Νικολάου τὸ πρᾶγμα καὶ πολιτικώτατον εἶναι λέγοντος . . . καὶ ἐπὶ τοῦτο ὁρμήσας προὔτρεψε καὶ Νικόλαον πραγματευθῆναι τὰ περὶ ἱστορίαν. . . . ἐκ τούτου πλέων εἰς Ῥώμην ὡς Καίσαρα Ἡρώδης ἐπήγετο τὸν Νικόλαον ὁμοῦ ἐπὶ τῆς αὐτῆς νηὸς καὶ κοινῇ ἐφιλοσόφουν. vides hominem versabilem patroni nutu ad quodlibet scribendi genus paratum.

[2] Sueton. Aug. 89 (Apollodorum) iam grandem natu Apolloniam quoque secum ab urbe iuvenis adhuc eduxerat. vixit LXXXII annos teste Pseudo-Lucian. Macrob. 23. sed accuratiora sciri non possunt, quia Hieronymi nota (clarus habetur ad a. abr. 1953 = 691) dumtaxat ex Augusti natali pendere videtur.

tiores animorum vestrorum motus, dedisti operam ne quid esset quod in te quisquam reprehenderet. cetera omitto quae in tritis versantur praeceptis. quae vero exhibui, dilucide ut nihil possit melius Arii munus et familiaritatem circumscribunt. ac fuit is, cui tam blanda severitate nimium Iuliae luctum castigare concessum erat, ipsa aetate gravissimus. nam si calculos subducas, vigentem a. 724 non minus sexaginta annorum habes a. 745. ante Augustum obiit, qui successorem constituit Theonem Stoicum, quem supra commemoravi. num filii Dionysius et Nicanor etiam post patris mortem in contubernio fuerint plane incertum. quid vero dicam de Letronnei[1] invento, quo sibi Arii nepotem invenisse visus est? epigramma in insula Philis repertum acrostichidis et telostichidis coniuncto artificio ornatum est Κατιλίου τοῦ Νικάνορος.

Κά μὲ τὸν εὐτέχνου φωτὸς στίχον, ὦ φίλε, βῆμ α
τί μιον ἀμπαύσας ἔγμαθε καὶ χάρισα ι
λι ταῖς ἱστορίαις λιτὸν πόνον οἷα πέπαιγμα ι
οὐ κενά, μηνύων οὗπερ ἔφυν γενέτο υ
'τοῦ δὲ καλοῦ πλώσας, φησί, ξένε, χεύματα Νεῖλ ου
και ρὸν ἔχω φωνεῖν· χαίρετε πολλά, Φίλ αι
νι κῶμαι πέτραις τε καὶ οὔρεσιν ὦ καταράκτα ι
κἀ γὼ ἔχω τεύχειν ἱστορικὴν σελίδ α
νο στήσας καὶ ἰδὼν Νικάνορα καὶ γένος ἄλλ ο
ρος καταλοιπον ἔχω. τοῦτο γάρ ἐστι τέλ ος'.

idem Catilius qui et Nicanor Nicanoris filius alia duo fecit epigrammata in eadem insula reperta [C. I. G. 4923. 4924]. iam cum primum scriptum sit L κγ Καίσαρος φαμενώθ ιβ [a. d. VIII id. mart. a. 747], Letronneo Nicanorem Catilii patrem cum Arii filio componere placuit. temporum rationes non obstant. nam sexagenarius adulescentem habere potest nepotem. et fuit admodum adulescentulus, qui pueriles istos lusus in saxo insculpsit. at quomodo Nicanoris filium Aegyptum translatum putas, cum pater Augusti contubernio Romae uteretur? neque enim quidquam Aegyptium Nicanora non fuisse suadet.[2] ibi pervulgare illud nomen a Macedonibus Alexandriam transvectum. quare tantum abest, ut *doctam et valde probabilem* Letronnei coniecturam praedicem, quod est Hauptii iudicium Herm. V 21, ut ne umbram quidem veri similitudinis inesse existimem.

---

[1] Syllog. inscript. Graec. et Lat. Aegypt. t. II p. 155. Kaibelii epigr. 979 — acrostichidis artificium non incognitum Alexandrinis. commentario astronomico annis ante Chr. 193—190 composito Εὐδόξου τέχνη praescribitur. nota est Dionysii Calliphontis filii astutia. cf. praeterea Laert. V 93 Anthol. Pal. IX 385 Kaibelii epigr. p. 679. nec minus caverunt qui oracula antiquitus finxerunt. cf. Cic. de divin. II 54. Dionys. Halic. Ant. IV 62. Phleg. mir. 10. — Br. de Presle (Not. et extr. d. man. XVIII 2 p. 43) eam consuetudinem a Iudaeis psalmographis Alexandriam transvectam suspicatur.

[2] quare recte in epigr. 978, 6 Kaib. Alexandriae patriae memoria suppleta est. Κατίλιος ἁγνὸν ἔθηκε | [γρ]άμμ' ἀπ' [Ἀλεξάνδρου δ]εῦρο μο[λ]ὼν πόλιος. quod Augusti hoc epigramma laudes celebrat, Letronneum maxime movisse videtur. sed quis credat nepotis pietatem avi cum principe familiaritatem omissuram fuisse?

Consulto per totam hanc disputationem Suidam neglexi, a quo vulgo exordium capiunt pessime auspicatum. en ipsum:

Δίδυμος Ἀτήιος [ἢ Ἄττιος] χρηματίσας φιλόσοφος ἀκαδημαϊκός. πιθανῶν καὶ σοφισμάτων λύσεις ἐν βιβλίοις β καὶ ἄλλα πολλά.

Haec omnibus machinis ad Arium Augusti amicum transferre conantur grammatici. ac multi laudaverunt Ionsium H. Ph. III 1 Δίδυμος Ἄρειος rescribentem. quid ita? nonne recte traditur Atei romanum nomen? dubitasse videtur etiam Toupius Αἴτιος vel Ἀέτιος ludens. neque aliter Byzantinus is qui coniecturam ἢ Ἄττιος Suidae inscripsit, a qua tamen Eudocia libera est. at, obsecro, quid est, cur non Ateium Didymum fuisse putemus? porro academicus fuit ille philosophus. quid hoc cum Ario, quem Stoicum ex indice Laertiano demonstravimus? an iterum lapsum esse Suidam vel Hesychium credent? iam cedo scripta! num πιθανῶν [intercidit numerus] libros vel σοφισμάτων λύσεις scripsit Arius? nescimus. at scripsit πιθανὰ alius Didymus, de quo idem Suidas: Δίδυμος νέος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ. ἔγραψε πιθανά, περὶ ὀρθογραφίας καὶ ἄλλα πλεῖστα καὶ ἄριστα. inde coniectum est Ateium et iuniorem Didymum solito more a Suida confusos esse. recte an secus, non diiudico. Arius certe Didymus in Hesychii catalogo non invenitur.

Eo magis miranda est Ottonis Heinei ratio [n. jahrb. f. class. phil. 1869, 613] qui Suida, quid dico, Ionsii coniectura nisus Didymum Arium Academicum ab Ario Stoico Augusti familiari prorsus disiungendum esse asseveravit. summa disputationis — nam cetera leviora sunt — in eo versatur, quod hic Arius simpliciter, Epitomes scriptor Arius Didymus nominetur, unde Eusebius et Stobaeus — addo Priscianum — singulis locis Didymi nomen elegerint. neque tamen quidquam hic latet difficultatis. nam ultimo a. Chr. saeculo a Latinorum consuetudine similis mos in eis invaluisse videtur quibus frequentior usus cum Romanis intercesserat, ut patris nomen suo per nominativum adderent [cf. Lehrs quaest. epic. p. 23**]. hinc Ἀπίων ὁ Πλειστονίκης et Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων et ut hoc utar Κατίλιος ὁ καὶ Νικάνωρ ὁ Νικάνορος. hoc exemplum servat legitimam formam. sed liberior usus. nam a Plutarcho nominatur ille Ἀπολλώνιος ὁ Μόλωνος [Cic. 4. Caes. 3], a Iosepho adv. Ap. II 14 36 Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων [cf. Quintil. III 1 16, XII 6 7], ab eodem vero simpliciter Μόλων adv. Apion. II 2 34. 41. neque aliter Dionysius de Dinarcho 8 Μόλωνα. item patris nomine Molonem constanter in Bruto vocat Cicero, qui in libro de inventione Apollonium. ad hanc similitudinem Romani [1] ex gemino nomine, cum Didymi sescenti Arii pauci [2] essent,

[1] inde Tertullianus romanus homo Arii nomine uti maluit [de anima c. 54]: *Itaque apud illum* (Platonem) *in aetherem sublimantur animae sapientes, apud Arium in aerem, apud Stoicos sub lunam* [cf. c. 55], quod spectare videtur ad Didymi fr. 39 p. 471, 13.

[2] nomen antiquis non nimis usitatum fuisse videtur. cognovi hos Arios:

1) Ἄρειος Ἡρακλεοπολίτης Philo Bybl. ap. Euseb. P. E. I 10 49

2) Ἄρειος ὁ Αἰγύπτιος Luc. Ver. hist. II 22

hoc potissimum elegisse et usu sanxisse videntur. ipse autem scriptor sollemnem titulum 'Αρείου Διδύμου inscripserat, unde suo iure epitomatoribus posterius nomen ut principale exhibere licuit. nam Graecorum more primarium nomen ultimo loco apparet ut in his Φλάυιος 'Ιώσηππος, Κάσσιος Δίων, Οὐαλέριος 'Αρποκρατίων, Λαέρτιος Διογένης, Τιβέριος Κλαύδιος 'Αττικὸς Ἡρώδης. hinc Didymus legitimum nomen, Ἄρειος patris adscitum cognomen videtur. cui rationi ne Romanorum quidem usus ut dixi repugnaret. at repugnat Etymologic. M. p. 139, 1 Ἄρειος ὁ 'Αλεξανδρεὺς φιλόσοφος ἐν ἑορτῇ Ἄρεος ἐτέχθη. διὸ οὕτως ὠνόμασται. quanta fides etymologo habenda sit, ignoro. moneo autem ne hoc loco ad Heinei rationem, qui tamen eius rationem habere noluit, abutaris, ex genetivo 'Αρείου Διδύμου non certo effici posse utrum nomen fuerit Ἄρειος Δίδυμος i. e. Δίδυμος ὁ καὶ Ἄρειος an Ἄρειος Διδύμου quemadmodum Herodes Atticus — licet enim repetere, quia eiusmodi gemina nomina sunt rarissima — praeter sollemnem formam vocatur etiam Ἡρώδης 'Αττικοῦ, quod paulo plenius legitur etiam Ἡρώδης τοῦ 'Αττικοῦ.[1] utut de hac re viri docti statuent — et vehementer cupio accuratiora ex inscriptionibus doceri — Meinekei

---

3) Λικίνιος Ἄρειος Ταρσεὺς Asclepiadeus Andromach. ap. Gal. XIII 480 [ubi vulgatur Λεκανίου 'Αρείου]. Licinii Bassi fuit amicus, eidem enim Dioscorides materiam medicam dedicavit cf. Gal. XIII 587 ὡς δὲ Διοσκορίδης ὁ Ταρσεὺς ἔδωκεν 'Αρείῳ τῷ 'Ασκληπιαδείῳ. Gal. XII 829, XIII 182 ubi ἐκ τῶν 'Αρείου 'Ασκληπιαδείου pro vulgato 'Ασκληπιάδου legendum. Tarsensis vocatur Gal. XIII 247, XII 636. [Soran.] V. Hippocr. 1 p. 449, 5 West. quem Herodoti medici patrem credit Haas de phil. scept. success. p. 76. at Diogenes IX 116 habet 'Αριέως. praeterea multo erat aetate inferior

4) Areus rhetor a Quintiliano III 1 16 [cf. II 15 36] inter Apollonium Molonem et Caecilium enumeratus

5) Ἄρειος ὁ ψάλτης Stratonico aequalis Athen. VIII p. 352 B

6) Ἄρειος ἐν τοῖς ἔπεσιν Paus. I 13 18

7) 'Ασκληπιάδης ὁ τοῦ 'Αρείου ἐν τῷ περὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως συγγράμματι Athen. XIII 567 D

8) Ἄρειος δυναστεύων ἐν τῇ Τευθρανίᾳ Paus. I 11 2

9) Ἄρειος Δωρίωνος Παιανιεὺς archon Atheniensis post a. 27 a. Chr. C. I. G. 478

10) Ἄρειος romanus centurio Ioseph. arch. XVII 10 7, bell. Iud. II 4 3 5 1

11) Ἄρειος notus haereticus

12) Αὐρηλία Συλλεῖνα 'Αρείου C. I. G. 3419 inscr. Philadelphiae inventa

13) Ἄρειος ibid. 3823. Cotyaeae reperta

14) Ἄρειος 'Ομηρικὸς ποιητὴς ἐκ Μουσείου Orelli-Henzen III p. 124, Kaibel epigramm. n. 1009 p. 425

15) Ἄρηος = Ἄρειος papyr. aegypt. Notic. et extr. d. manuscr. XVIII 2 p. 331.

[1] de variis formis egit postremus Dittenberger Archaeol. Z. XXXIV 59 et Herm. XIII 67. antea Roeper Z. f. Alterthumsw. 1852 434 sq. qui tamen falsa admiscuit. quod in elogio a Philostrato servato V. S. p. 566 'Αττικοῦ Ἡρώδης transpositum est, versu effectum videtur, nisi 'Αττικὸς Ἡρώδης rescribere praestat. cf. exempla Dittenbergeri. hoc inter omnes constat Ἡρώδη 'Αττικόν Graecum neminem dixisse. in ridiculum errorem Buttmannum Gr. Gr. II 436 induxit Suidae stupor Διονύσιος 'Αλεξανδρεύς, Θρᾷξ δ' ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου Τῆρος τοὔνομα κληθείς, ubi Τῆρος (debebat saltem Τήρης) dudum obelo notatum erat ab Hemsterhusio.

palmare inventum istiusmodi dubitationibus non tangi nedum refutari posse confido.

VI DE PLUTARCHI VITA HOMERI

Praeter Ariani libri reliquias, cuius quae ad physica pertinent seorsum collegi, rara natant in Stobaei oceano Homerici commentarii fragmina, quae Placitis tam sunt cognata, imperitum ut facile possint fallere. velut si Empedoclis placitum I 3 20 cum Stobaeanis ecl. I p. 288 conferes, primo obtutu fieri non poterit quin eandem memoriam subiectam rearis. alia docebit accuratior comparatio.

Plut. de plac. I 3 20	Stob. I 10 11	Heraclit. alleg. 24.
Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος Ἀκραγαντῖνος τέτταρα μὲν λέγει στοιχεῖα, πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν, δύο δὲ ἀρχικὰς δυνάμεις φιλίαν τε καὶ νεῖκος ὧν ἡ μέν ἐστιν ἑνωτική, τὸ δὲ διαιρετικόν. φησὶ δὲ οὕτως.		
τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀιδωνεύς, Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.	Ἐμπεδοκλέους τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀιδωνεύς Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον τῶν δὲ συνερχομένων ἐξ ἔσχατον ἵστατο νεῖκος.	Τί δ' ὁ Ἀκραγαντῖνος Ἐμπεδοκλῆς; οὐχὶ τὰ τέτταρα στοιχεῖα βουλόμενος ἡμῖν ὑποσημῆναι τὴν ὁμηρικὴν ἀλληγορίαν μεμίμηται; Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀιδωνεὺς Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.
Δία μὲν γὰρ λέγει τὴν ζέσιν καὶ τὸν αἰθέρα, Ἥρην δὲ φερέσβιον τὸν ἀέρα, τὴν δὲ γῆν τὸν Ἀιδωνέα, Νῆστιν δὲ καὶ κρούνωμα βρότειον οἱονεὶ τὸ σπέρμα καὶ τὸ ὕδωρ.	Ἐμπεδοκλῆς Δία μὲν λέγει τὴν ζέσιν καὶ τὸν αἰθέρα, Ἥρην δὲ φερέσβιον τὴν γῆν, ἀέρα δὲ τὸν Ἀιδωνέα, ἐπειδὴ φῶς οἰκεῖον οὐκ ἔχει ἀλλ' ὑπὸ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἄστρων καταλάμπεται. Νῆστιν δὲ καὶ κρούνωμα βρότειον τὸ σπέρμα καὶ τὸ ὕδωρ. ἐκ τεσσάρων οὖν στοιχείων τὸ πᾶν, τῆς τούτων φύσεως ἐξ ἐναντίων συνεστώσης ξηρότητός τε καὶ ὑγρότητος καὶ θερμότητος καὶ ψυχρότητος ὑπὸ τῆς πρὸς	Ζῆνα μὲν εἶπε τὸν αἰθέρα, γῆν δὲ τὴν Ἥραν, Ἀιδωνέα δὲ τὸν ἀέρα, τὸ δὲ δακρύοις τεγγόμενον κρούνωμα βρότειον τὸ ὕδωρ. Plut. Vit. Homer. c. 99. τῆς δὲ τῶν στοιχείων φύσεως ἐξ ἐναντίων συνεστώσης ξηρότητός τε καὶ ὑγρότητος καὶ θερμότητος καὶ ψυχρότητος, ὑπὸ δὲ τῆς πρὸς ἄλληλα ἀναλογίας καὶ

ἄλληλα ἀναλογίας καὶ κράσεως ἐναπεργαζομένης τὸ πᾶν καὶ μεταβολὰς μὲν μερικὰς ὑπομενούσης, τοῦ δὲ παντὸς λύσιν μὴ ἐπιδεχομένου. λέγει γὰρ οὕτως	κράσεως ἐναπεργαζομένης τὸ πᾶν καὶ μεταβολὰς μὲν μερικὰς ὑπομενούσης, τοῦ δὲ παντὸς λύσιν μὴ ἐπιδεχομένης, Ἐμπεδοκλῆς ἔφη τὰ ὅλα συνεστάναι οὕτως·
ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμενα τάδε πάντα, ἄλλοτε δ' αὖτε ἕκαστα φορούμενα νείκεος ἔχθει.	ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα ἄλλοτε δ' αὖτις ἕκαστα φορεύμενα νείκεος ἔχθει.
Ὅμηρος δὲ τὴν φιλίαν καὶ τὸ νεῖκος τῶν τοῦ παντὸς μερῶν ἐν τούτοις αἰνίττεται ἐν οἷς φησιν ἡ Ἥρα·	c. 100. πρὸ δὲ τούτου Ὅμηρος τὴν φιλίαν καὶ τὸ νεῖκος αἰνίσσεται ἐν οἷς φησιν ἡ Ἥρα παρ' αὐτῷ·
εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης, Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν· τοὺς εἶμ' ὀψομένη καί σφ' ἄκριτα νείκεα λύσω.	εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν τοὺς εἶμ' ὀψομένη καί σφ' ἄκριτα νείκεα λύσω.

Placitorum consuetudinem tuetur Plutarchus Empedoclis patre patriaque praemissis, quae omisit cum reliqua explicatione τέτταρα — φησὶ δὲ οὕτως Stobaeus. praeterea ex placitorum serie evulsos Empedoclis versus cum interpretatione addere maluit. sed hinc nihil suspicionis, cum quanta ille usus sit in ordinandis excerptis licentia constet. sed hoc dubitationem tollit. Plutarchus Ἥρην φερέσβιον rectissime explicat aera, Aïdonea terram. contra Stobaeus Ἥρην δὲ φερέσβιον τὴν γῆν, ἀέρα δὲ τὸν Ἀιδωνέα, ἐπειδὴ φῶς οἰκεῖον οὐκ ἔχει ἀλλ' ὑπὸ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἄστρων καταλάμπεται. contraria ut conciliaret, lusit olim Krischeus Forschung. p. 126 Stobaei verbis transpositis Ἥρην δὲ φερέσβιον τὸν ἀέρα, τὴν δὲ γῆν τὸν Ἀιδωνέα. frustra ille. nam quod defendit, argumentum istuc ἐπειδὴ — καταλάμπεται nisi de terra intellegeretur sensu carere, fugit eum allegoriarum scriptorum similitudo, qui ad Iliadis O 189 sqq. talia produnt:

Heraclit. alleg. 41	Plut. Vit. Hom. 97. 98
πᾶς γὰρ ὁ μῦθος ἠλληγόρηται περὶ τῶν ἀπ' ἀρχῆς τεττάρων στοιχείων ... καὶ τῇ μὲν πυρώδει φύσει τόπον ἔνειμεν οὐρανόν, τὴν δ' ὑγρὰν οὐσίαν Ποσειδῶνι προσέθηκε, τρίτον δ' Ἀΐδην τὸν ἀφώτιστον ἀέρα δηλοῖ. κοινὸν δὲ πάντων καὶ ἑδραιότατον ἀπεφήνατο στοιχεῖον εἶναι τὴν γῆν.	καὶ ὅτι ἐν τῇ τοῦ παντὸς νομῇ Ζεὺς μὲν ἔλαχε τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν, Ποσειδῶν δὲ τὴν τοῦ ὕδατος, Ἅιδης δὲ τὴν τοῦ ἀέρος. τοῦτον γὰρ λέγει 'ζόφον ἠερόεντα' [O 191], ἐπειδὴ φῶς οἰκεῖον οὐκ ἔχει ἀλλ' ὑπὸ ἡλίου καὶ σελήνης καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων καταλάμπεται. τετάρτη δὲ κατελείφθη καὶ κοινὴ πάντων ἡ γῆ.

his locis comparatis corruat necesse est Krischei opinio. nam Stobaeum quae de Homerico Aide dicta erant ad Empedoclis Aidonea transtulisse in propatulo est. quem errorem utrum ipse commiserit dubium est an ex suo allegoriarum exemplo transtulerit. nihil enim certius est quod pridem lectores intellexisse opinor quam ex communi commentario Homerica allegoriae ratione explicante Plutarchi personati Vitam Stobaeumque et maiore licentia Heraclitum hausisse. hinc vero — ut ad Empedocleum locum redeam — mira illa erroris constantia explicatur, qua isti Ἥρην φερέσβιον terram interpretantur. nam cum Homerica cuivis philosopho substructa opinarentur, eundem lusum, quo Iliadis locum ad elementorum doctrinam accommodabant, in Empedoclea transtulerunt. accedit γαῖα φερέσβιος Hesiodi [Theog. 693] et hymnorum cf. p. 22. noli igitur mirari, si eadem perversitas non solum in Heraclito Plutarchi Vita Stobaeo, qui pro uno nobis sunt libro, sed etiam in aliis scriptoribus invenitur, qui Homericis allegoriis usi sunt.[1] velut Athenagoras c. 22 'Ζεὺς ἀργὴς — βρότειον.' εἰ τοίνυν Ζεὺς μὲν τὸ πῦρ, Ἥρα δὲ ἡ γῆ καὶ ὁ ἀὴρ Ἀιδωνεὺς καὶ τὸ ὕδωρ Νῆστις, στοιχεῖα δὲ ταῦτα [τὸ πῦρ τὸ ὕδωρ ὁ ἀήρ[2]], οὐδεὶς αὐτῶν θεός κτλ. omnia coniuncta et uberrime explanata habes apud Probum ad Vergilium

p. 11, 4 sqq. τέσσαρα -- βρότειον[3], *ut accipiamus* Ζεὺς ἀργὴς *ignem qui sit* ζέων *et candens, quod ignis est proprium, de quo Euripides* 'ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ — Ζῆνα' *et Ennius 'aspice ... Iovem* [cf. Cic. d. d. nat. II 25 65]. ἀργής *autem id est* λαμπρὸς καὶ ταχύς. *nam et Homerus* 'καὶ κύνας ἀργούς' ... Ἥρη *autem* φερέσβιος *terram tradit quae victum ferat, de qua Homerus* ζείδωρος ἄρουρα, *unde* τὴν Ἥραν *quidam* ἔραν *appellarunt.* ἠδ' Ἀιδωνεύς: *Ditem quidem patrem glossa significat, sed accipere debemus aera, quem Euripides in Cadmo* χάος *appellavit ... quia quibusdam videtur aera qui et summa montium et ima terrarum saepius lateat reliquo qui desuper incubat esse obtusiorem atque ita vicem inferorum obtinere* ... Νῆστις *aquam significat quae scilicet sincero habitu cuncta confirmet. nam creditur id eundem habitum quem acceperit servare.* tum excerpto Cicerone de deor. nat. II § 66 pergit p. 12, 23: *Idem hoc Homerus significat sic* [O 181—193] ... *quod ad Iovem aether pertineat, mare ad Neptunum, [terra] ad Ditis imperia, [in aere]*

---

[1] perversam interpretationem praeter allegoriarum scriptores profert Laertius VIII 76. de Achille supra p. 22 dixi. verum intellexit praeter Aëtium Menander in Walzii rhet. IX 141 καὶ περὶ Ἥρας ὅτι ἀὴρ καὶ Ζεὺς τὸ θερμόν ... καὶ χρῶνται δὲ τῷ τοιούτῳ τρόπῳ Παρμενίδης τε καὶ Ἐμπεδοκλῆς ἀκριβῶς.

[2] scholium expunxi. aliter ἡ γῆ addendum erat. praeter hanc allegoriam novit aliam Athenagoras ibid. Ζεὺς ἡ ζέουσα οὐσία κατὰ τοὺς Στωικοὺς Ἥρα ὁ ἀὴρ καὶ τοῦ ὀνόματος εἰ αὐτὸ αὑτῷ ἐπισυνάπτοιτο [nimirum αηρ αηρ] συνεκφωνουμένου, Ποσειδῶν ἡ πόσις. ex eodem scriptore (non Apollodoro ut credit Hirzel Unters. I 216) Cicero sua petivit de deor. nat. II 26 66. qui locus etiam Euripidis versum habet. quem ex eodem fonte noverunt Athenagoras c. 5 Heraclit. c. 23. insignis est locus Probi ad Verg. 11, 7K. cf. supra.

[3] additur extremo versiculo γένος. latet γόνος i. e. σπέρμα, quod est antiquum scholium ad κρούνωμα βρότειον cf. Plac. supra p. 88.

terram remansisse [1]. *in quo animadvertendum quod Homerus consentiat Empedocli et Heracleoni Ciceronis diversa opinione.* Empedoclis cum Heracleone coniunctio inepta est [cf. Didymi fr. coll. Schmidt p. 48 [1]], nisi ut fieri assolet citati scriptoris memoriae notam originis adhaesisse credis.

In Heracleonis igitur commentario loci Homeri et Empedoclis arte coniuncti erant, quo facilius sententiarum similitudo lecturis occurreret. sed latius patuit ambitiosa illa comparatio. accidit enim forte fortuna, ut duplex ex Heracleone — hunc enim fontem statuo [2] — servata sit memoria, quam hic ex Probo quem dixi et Sexto composui.

Sextus adv. mathem. X 313—318.	Probus ad Verg. p. 21, 14K.
Ἐξ ἑνὸς δὲ καὶ ποιοῦ γεγενῆσθαι τὰ πάντα θέλουσιν οἵ τε περὶ τὸν Ἵππασον καὶ Ἀναξιμένη καὶ Θαλῆ· ὧν	*Sunt qui singulis elementis principia adsignaverunt Parmenides Eleates terram (?),*
Ἵππασος μὲν καὶ κατά τινας Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος ἐκ πυρὸς ἀπέλιπον τὴν γένεσιν	*Hippasus Metapontinus et Heraclitus Ephesius qui* σκοτεινὸς *appellatur ignem*
Ἀναξιμένης δὲ ἐξ ἀέρος	*Anaximenes Lampsacenus qui primus existimatur physica induxisse aerem*
Θαλῆς δὲ ἐξ ὕδατος ...	*Thales Milesius magister eius aquam.*
	Hanc quidem Thaletis opinionem ab Hesiodo putant manare qui dixerit ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα.
	Nam Zenon Citieus sic interpretatur aquam χάος *appellatam* ἀπὸ τοῦ χέεσθαι. *quamquam eandem opinionem ab Homero possumus intellegere, quod ait*
... ὁ ποιητὴς Ὅμηρος ... λέγων· Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.	Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

[1] ex proximis apparet librarium, non Probum, haec interpolasse ut Tullianis diversam Homeri sententiam aptaret. nam si Empedoclea (scilicet istorum interpretatione) pugnant cum Cicerone l. c., consentiant necesse est cum Homericis. inde Probi verba haec fere restituam: *aer ad Ditis imperia, ... terram remansisse.* cf. Heraclit. 41 Plut. vit. 98 supra p. 89 im.

[2] Heracleonem Glauci filium Aegyptium Augusto ut videtur [cf. Beccard. de schol. Homer. Il. I Berol. 1850 p. 76] supparem intellego, qui ἔγραψεν ὑμόμνημα εἰς Ὅμηρον κατὰ ῥαψῳδίαν καὶ εἰς τοὺς λυρικούς, περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ προστακτικῶν ῥημάτων [Suidas]. ex Schol. Apollon. I 769 III 37 conclusit Schmidtius l. c. Antiaristarcheum eum fuisse. allegoriae, quas excerpsit Probus, in commentario Homerico infuisse videntur. ubi ordo rhapsodiarum longius digredi eum non magis prohibuit quam Heraclitum qui c. 6 profitetur τάξις δέ μοι γενήσεται τῶν λόγων ἡ τῶν Ὁμηρικῶν ἐπῶν τάξις. quomodo promissis steterit, vides ex Mehleriano indice Homerico p. 153 sq. ex Heracleone haud scio an fluxerit scholion Iliad. H 99, quod infra p. 92 [2] exhibebo.

Ξενοφάνης[1] δὲ κατ' ἐνίους ἐκ γῆς·

ἐκ γαίης γὰρ πάντα καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.

ἐκ πλειόνων δὲ καὶ ἀριθμητῶν, δυοῖν μὲν γῆς τε καὶ ὕδατος .... κατ' ἐνίους καὶ ὁ Κολοφώνιος Ξενοφάνης· φησὶ γὰρ

πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα

⟨Ὅμηρος δ'⟩[2]

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

ἐκ γῆς δὲ καὶ αἰθέρος Εὐριπίδης ὡς πάρεστιν ἐκδέξασθαι ἐκ τοῦ λέγειν αὐτόν

* * *

αἰθέρα καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω

ἐκ τεσσάρων δὲ ὁ Ἐμπεδοκλῆς

Prob. p. 21, 3

Sunt qui binis principiis mundum discriminent.

nam Xenophanes Colophonius terram et aquam prodidit.

quamquam haec antea ab Homero tractata sit opinio

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

consentit in numero Euripides sed speciem discriminat. terram enim et aerem inducit principia rerum esse in Antiopa [fr. 935 N.]

⟨ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα
καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.⟩

p. 10, 33

Ex his (quattuor elementis) ***omnia esse postea effigiata Stoici tradunt Zenon Citieus et Chrysippus Solaeus et Cleanthes Assius qui prin-***

[1] Sextiana apposui non qualia ipse scriptor mira socordia descripsit, sed qualia in exemplari invenisse putandus est. nam § 314 ἐκ πλειόνων δέ, inquit, καὶ ἀριθμητῶν, δυοῖν μὲν γῆς τε καὶ ὕδατος ὁ ποιητὴς Ὅμηρος ὁτὲ μὲν λέγων 'ὠκεανόν — Τηθύν'. quid potest absurdius coniungi? pertinet enim versus Homericus ad confirmandam Thaletis opinionem § 313, quod ex Probo Plutarchi Vita c. 93 Aëtio I 3 2 satis constat. tum Euripidi versum αἰθέρα καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω non solum propter metrum sed etiam dicendi genus spuriis potius quam incertis fragmentis [Nauckii fr. trag. p. 534, Eurip. fr. p. 282] adiungendum censeo. pessime factum ut versus genuinus, quem praeteriit Sextus, etiam in Probo intercideret. sed cum notissimi versus ὁρᾷς κτλ. apud Probum p. 11, 8 sententiae conveniant, haud dubito Schneidewino et Nauckio adstipulari, qui Probi alterum ex altero loco suppleri iubent. cf. supra p. 90. Sexti memoria quam Hippolyti excerptis [refut. omn. haer. X 6. 7] testatam habemus (nisi quod ille fortasse recte Θαλῆ τὸν Μιλήσιον, Ἵππασος μὲν ὁ Μεταποντῖνος, contra invito scriptore Platonis sententiam ex primo libro p. 32 Gotting. et minutiora quaedam supplementa addidit) sic turbata est: § 313 Θαλῆς δὲ ἐξ ὕδατος, Ξενοφάνης δὲ κατ' ἐνίους ἐκ γῆς — § 314 γῆς τε καὶ ὕδατος ὁ ποιητὴς Ὅμηρος ὁτὲ μὲν λέγων 'ὠκεανόν τε — Τηθύν', ὁτὲ δὲ 'ἀλλ' ὑμεῖς — γένοισθε'. συμφέρεσθαι δ' αὐτῷ δοκεῖ κατ' ἐνίους καὶ ὁ Κολοφώνιος Ξενοφάνης· φησὶ γὰρ 'πάντες — ἐκγενόμεσθα'. ἐκ γῆς δὲ καὶ αἰθέρος Εὐριπίδης κτλ. in Probo suspicionem movent Parmenidea opinio [cf. infra Clem. Recogn. VIII 15 in c. de Galeni historia phil.] et Anaximeni tributa physicorum inventio.

[2] ad eundem Homeri versum H 99 adnotant scholia Veneta A B: καὶ Ξενοφάνης 'πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα [ἐκγεννώμεθα Leyd.], ἐκ γῆς γὰρ [τὰ add. Leyd.] πάντα καὶ εἰς γῆν [πάντα add. Leyd.] τελευτᾷ' [ἢ ὅτι τὸ ὕδωρ τὰς ψυχὰς διαφθείρει add. A].

τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε
Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀιδωνεύς
Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.[2]

cipem habuerunt Empedoclem Agrigentinum qui de his ita scribit:
τέσσαρα δὴ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἔασιν
Ζεὺς ἀργὴς Ἥρη τε φερέσβιος ἠδ' Ἀιδωνεύς
Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις γε πικροῖς νωμᾶ βρότειον [γένος][1]

quo iure artius inter utrumque indicem vinculum intercedere existimem, patet. nam consentit non solum Homeri crebra comparatio, sed etiam mira philosophorum contra tempora successio Hippasi cum Heraclito, Anaximenis, Thaletis, quae elementorum ordine niti videtur [cf. p. 94, 4]. ergo si Heracleonis arbitrio is ordo placuit, ne hic quidem allegorias primus composuit. id quod vix quisquam a grammatico postulabit. sed ultra licet progredi, si quidem in eodem fundamento creverunt, quae iam ex Plutarchi Vita conferam additis Stobaei frustulis, ut quam instituimus allegoriarum comparationem simul provehamus.

Stob. I 10 2. 6.

⟨Ὁμήρου⟩
Ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Ὁμήρου
Ὅμηρος δὲ σημαίνει τὴν ἀνάλυσιν εἰς τὰ γεννητικὰ στοιχεῖα τοῦ παντὸς λέγων·
ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Plut. Vit. Hom. c. 93.

ἀρξώμεθα τοίνυν ἀπὸ τῆς τοῦ παντὸς ἀρχῆς καὶ γενέσεως ἣν Θαλῆς ὁ Μιλήσιος εἰς τὴν τοῦ ὕδατος οὐσίαν ἀναφέρει. καὶ θεασώμεθα εἰ πρῶτος Ὅμηρος τοῦθ' ὑπέλαβεν εἰπών·
Ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.
μετ' ἐκεῖνον δὲ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος ὑφιστάμενος τὰς πρώτας ἀρχὰς εἶναι τὸ ὕδωρ καὶ τὴν γῆν ἔοικε σπάσαι τὴν ἀφορμὴν ταύτην ἐκ τῶν Ὁμηρικῶν τούτων·
ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε

[1] versus corrupti cum in codicibus VP desint Egnatii sola sive fide sive coniectura nituntur. quae secuntur supra p. 90 exhibui. in Νήστιδος interpretatione [cf. supra p. 90, 4 ab im.] noli scribere: nam creditur ea. vertitur enim graecum τοῦτο sc. ὕδωρ. quae in Probo secuntur de Aristotele et Anaxagora p. 13, 1 sqq. discrepant.

[2] sequitur in Sexto § 316 Ocelli Lucani et Aristotelis Empedoclis Anaxagorae Democriti Epicuri Heraclidis Asclepiadis placita quae ex eodem libro unde Pyrrh. Hyp. III 39 adv. mathem. IX 360 petita sunt. singularia sunt Empedoclea § 317 ἐκ δὲ τῶν ἓξ τὴν πάντων ὑπέθεντο γένεσιν οἱ περὶ τὸν Ἐμπεδοκλέα. ἐν οἷς μὲν γὰρ λέγει 'τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα', ἐκ τεσσάρων ποιεῖ τὴν γένεσιν, ὅταν δὲ προσθῇ 'νεῖκός τ' οὐλόμενον — ἴση μῆκός τε πλάτος τε' ἓξ παραδίδωσι τὰς τῶν ὄντων ἀρχάς, τέσσαρας μὲν τὰς ὑλικάς, γῆν ὕδωρ ἀέρα πῦρ, δύο δὲ τὰς δραστηρίους φιλίαν καὶ νεῖκος. haec Theophrasti Opinion. fr. 3 tam sunt similia, ut origo latere nullo modo possit. de ceteris infra Galeni historiae praefaturo dicendum erit.

σημαίνει γὰρ τὴν ἀνάλυσιν εἰς τὰ γεννητικὰ στοιχεῖα τοῦ παντός. ἡ δὲ μάλιστα ἀληθὴς δόξα τέσσαρα στοιχεῖα συνίστησι πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν. ταῦτα δὲ καὶ Ὅμηρος εἰδὼς φαίνεται μνημονεύων ἐν πολλοῖς αὐτῶν ἑκάστου.

videmus Plutarchum anthologo multo uberiorem. sed ut intellegas quantillum delibaverit uterque ex vetustiore thesauro, tertium adhibeto Heraclitum c. 22: καὶ τῶν φυσικῶν κατὰ τὰ στοιχεῖα δογμάτων εἷς ἀρχηγὸς Ὅμηρος ... Θάλητα μέν γε τὸν Μιλήσιον ὁμολογοῦσι πρῶτον ὑποστήσασθαι τῶν ὅλων κοσμογόνον στοιχεῖον τὸ ὕδωρ. ἡ γὰρ ὑγρὰ φύσις εὐμαρῶς εἰς ἕκαστα μεταπλαττομένη πρὸς τὸ ποικίλον εἴωθε μορφοῦσθαι ... διὸ δὴ τῆς τετράδος τῶν στοιχείων ὥσπερ αἰτιώτατον ὁ Θάλης ἀπεφήνατο [στοιχεῖον εἶναι] τὸ ὕδωρ. τίς οὖν ἐγέννησε ταύτην τὴν δόξαν; οὐχ Ὅμηρος εἰπὼν 'Ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται' ... ἀλλ' ὁ Κλαζομένιος Ἀναξαγόρας κατὰ διαδοχὴν γνώριμος ὢν Θάλητος συνέζευξε τῷ ὕδατι δεύτερον στοιχεῖον τὴν γῆν, ἵνα ξηρῷ μιχθὲν ὑγρὸν ἐξ ἀντιπάλου φύσεως εἰς μίαν ὁμόνοιαν ἀνακραθῇ. καὶ ταύτην δὲ τὴν ἀπόφασιν πρῶτος Ὅμηρος ἐγεώργησεν Ἀναξαγόρᾳ σπέρματα τῆς ἐπινοίας χαρισάμενος ἐν οἷς φησιν

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

πᾶν γὰρ τὸ φυόμενον ἔκ τινων εἰς ταὐτὰ ἀναλύεται διαφθειρόμενον ὡσπερεὶ τῆς φύσεως ἃ δεδάνεικεν ἐν ἀρχῇ χρέα κομιζομένης ἐπὶ τέλει. διὸ δὴ τοῖς Κλαζομενίοις δόγμασιν ἑπόμενος Εὐριπίδης φησί

χωρεῖ δ' ὀπίσω τὰ μὲν ἐκ γαίας
φύντ' εἰς γαῖαν, τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου
βλαστόντα γονῆς εἰς αἰθέρα.

... ἐσχάτη τοίνυν ὑπὸ τῶν μεγίστων φιλοσόφων ἡ τελεία τετρὰς ἐν τοῖς στοιχείοις συνεπληρώθη.

Si Heracliti supplementa arcessiveris, simillimam Heracleoneae habebis philosophorum seriem, Thaletis Xenophanis Anaxagorae Euripidis, quibus ex superiore conspectu [p. 89] Empedocles addendus est. constat etiam his opinionum ab elementorum numero procedens enumeratio Homerique perpetua comparatio. sed sano ordine a Thalete fit principium. ergo deducta est illinc turbatus grammatici commentarius. quid? ipso Heracliti errore antiquior patefieri videtur origo. Anaxagoram enim quod dicit τῷ ὕδατι δεύτερον στοιχεῖον τὴν γῆν iunxisse, manifesto errore a Xenophane traductum est, quem non solum ipsa doctrina sed etiam cognatorum scriptorum memoria monstrat. unde ista confusio? nempe ex perpetua Anaxagorae cum Euripideis versibus [fr. 836N.] coniunctione, quam testatur Aëtius V 19 3 ὡς καὶ Ἀναξαγόρας καὶ Εὐριπίδης 'θνήσκει δ' οὐδὲν — ἐπέδειξεν'. quid? quod antiquior Vitruvius VIII praef. § 1: *Euripides auditor Anaxagorae quem philosophum Athenienses scaenicum appellaverunt aera et terram* ... [1] aequalium amicitiam eidem fragmento praemisit. de Euri-

[1] secuntur in Vitruvio: Pythagoras Empedocles Epicharmus IV elemento-

pidis cum Anaxagora necessitate quam arbitraria esset veterum recentiumque opinio, edocti sumus Wilamovitzii Analectis Euripid. p. 162 sqq. sed cavit tamen, quantum Vitruvii uberiore excerpto docemur, qui Euripidis versibus ita prolusit melius Aëtio et Heraclito, ne neglegentiae crimen mereret. nam illi quidem Euripideam opinionem aeque Anaxagoream praedicarunt. ergo ut comprehendam, Vitruvio vetustior fuit allegoriarum ille conditor sine dubio Stoicorum philosophiae addictus, qui Heracleoni grammatico (Probo Sexto) Heraclito, recentiori Stobaei et Plutarcheae Vitae fonti promptam philosophorum cum Homero conlatorum materiam suppeditavit. philosophorum memoria unde allegoriis affluxerit, difficilius est dictu. sed cum praeter versum Homeri Ὠκεανόν — Τηθύν [cf. p. 9[1]] iam ab Aristotele Metaph. A 3 p. 983[b] 30 comparatum etiam alter Ὠκεανός—τέτυκται accersitus sit, quem coniungunt cum Thalete Placita I 3 2, et Empedoclis Xenophanisque versus eidem in Plac. I 3 20. 12 legantur, aliquam necessitudinem inter Aëtium et allegorias intercedere non negabis. sed de Aëtii fontibus scrutandis infra latissimus patebit campus.

Nunc ex Plutarcheae Vitae Stobaeique excerptis communem illum librum componere pergam.

Stob. I 22 2	Plut. V. H. c. 95
Ὅμηρος τὸν αἰθέρα τοῦ ἀέρος ὑψηλότερον εἶναί φησιν. εἴρηκε δὲ οὕτως·	ὑπὲρ δὲ γῆς ὄντος τοῦ ἀέρος τὸν αἰθέρα ὑψηλότερον εἶναί φησιν οὕτως·
εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον ἣ τότ' ἐν Ἴδῃ	εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον ἣ τότ' ἐν Ἴδῃ
μακροτάτη πεφυυῖα δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν.	ἀκροτάτη πεφυυῖα δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανε·
ἐπέκεινα δὲ τοῦ αἰθέρος τὸν οὐρανὸν ὑπάρχειν ἀπεφήνατο. λέγει γὰρ τοιῶσδε·	τοῦ δὲ αἰθέρος ἀνωτέρω τὸν οὐρανόν·
ὣς οἱ μὲν μάρναντο σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς	ὣς οἱ μὲν μάρναντο· σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς
χάλκεον οὐρανὸν ἧκε δι' αἰθέρος ἀτρυγέτοιο.	χάλκεον οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος ἀτρυγέτοιο.
ἐπὶ πᾶσι δὲ τὸν ὄλυμπον ὑπάρχειν κατ' ἐξοχήν τινα καὶ θειότητα, φησὶ γὰρ οὕτως·	καὶ ἔτι ἐν τούτῳ
ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν οὐρανὸν οὔλυμπόν τε.	ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν οὐρανὸν οὔλυμπόν τε
τὸ γὰρ ἀπωτάτω τῆς γῆς καὶ μήτε	τὸ γὰρ καθαρώτερον τοῦ ἀέρος ἀνω-

rum inventores, praecedunt Thales Heraclitus Magorum sacerdotes. similis series II 1 Thales Heraclitus Democritus et Epicurus Pythagorei. Heracliti cognomen ut cognati fontis indicium praeter Vitruvium noverunt Probus p. 21 ed. K. et Heraclit. alleg. 24 ὁ γοῦν σκοτεινὸς Ἡράκλειτος ἀσαφῆ καὶ διὰ συμβόλων εἰκάζεσθαι δυνάμενα θεολογεῖ τὰ φυσικά (hinc Heraclitus inditum est libello titulus). praeterea cognomen invenitur e. g. Ps.-Arist. de mund. p. 306[b] 20, qui liber Vitruvio non multo antiquior videtur et postea in Eusebio P. E. X 14 14. Tzetz. exeg. Iliad. in Bachmanni schol. I 826, 3.

τὴν σκιὰν αὐτῆς μήτε τὰς ἀναθυμιάσεις προσδεχόμενον ὡς ἀειλαμπὲς καὶ ὁλολαμπὲς ὄλυμπον οἱ παλαιοὶ προσηγόρευσαν. τοῦτο δὲ καὶ δι' αὐτῶν δηλοῦται ἐν οἷς φησι τοιῶσδε·

οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί
ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσσεται οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
δεύεται, οὐδὲ χιὼν ἐπικίδναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
πέπταται ἀννέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

τάτω ὂν καὶ τὸ μάλιστ' ἀπέχον τῆς γῆς καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς ἀναθυμιάσεων ὡς ὅλον λαμπρόν φασιν ὄλυμπον προσηγορεῦσθαι.

eadem ratione concinunt ecl. I 35 10 p. 748 cum Plut. c. 124 [cf. Lehrs de Arist. p. 86*], ecl. I 25 p. 540 minus accurate respondet c. 104 sq. sine dubio ex eodem libro petita sunt excerpta Stobaei I 1 2 p. 6 et fortasse floril. t. 11 24.

Unum exhibebo paulo insigniorem locum, quippe qui utriusque scriptoris in excerpendo diversam rationem prodat.

Stob. I 1 10 p. 20

Πυθαγόρας πλείστῃ σπουδῇ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς ἐχρήσατο τάς τε τῶν ζῴων γενέσεις ἀνῆγεν εἰς ἀριθμοὺς καὶ τῶν ἀστέρων τὰς περιόδους. ἔτι δὲ τοῖς θεοῖς ἀπεικάζων ἐπωνόμαζεν,[1] ὡς Ἀπόλλωνα μὲν τὴν μονάδα οὖσαν, Ἄρτεμιν δὲ τὴν δυάδα, ... τὴν δὲ ἑξάδα Γάμον καὶ Ἀφροδίτην, τὴν δὲ ἑβδομάδα Καιρὸν καὶ Ἀθηνᾶν, Ἀσφάλειον δὲ Ποσειδῶνα τὴν ὀγδοάδα, καὶ τὴν δεκάδα Παντέλειαν. αὐτοῦ δὲ πάλιν τοῦ ἀριθμοῦ τὸν μὲν ἄρτιον ἀτελῆ, πλήρη δὲ καὶ τέλειον ἀπέφηνε τὸν περιττόν, ὅτι μιγνύμενός τε πρὸς τὸν ἄρτιον ἀεὶ ποιεῖται περικρατεῖν τὸν ἐξ ἀμφοῖν περισσόν, αὐτῷ τε πάλιν συντιθέμενος γεννᾷ τὸν ἄρτιον, ὁ δ' ἄρτιος οὐδέποτε τὸν περισσόν, ὡς οὐ γόνιμος ὢν οὐδὲ ἔχων δύναμιν ἀρχῆς. ὥστε ἐν τῷ διαιρεῖσθαι δίχα πολλοὶ τῶν ἀρτίων εἰς περισσοὺς τὴν ἀνάλυσιν λαμ-

Plut. 145

ἔχεται δὲ τῆς αὐτῆς θεωρίας καὶ ἀριθμητικὴ καὶ μουσικὴ ἃς καὶ Πυθαγόρας διαφερόντως ἐτίμησεν . . . ὁ γὰρ Πυθαγόρας τοὺς ἀριθμοὺς μεγίστην δύναμιν ἔχειν ἡγούμενος καὶ πάντα εἰς ἀριθμοὺς ἀναφέρων τῶν τε ἄστρων τὰς περιόδους καὶ τῶν ζῴων τὰς γενέσεις, δύο τὰς ἀνωτάτω ἀρχὰς ἐλάμβανε, τὴν μὲν ὡρισμένην μονάδα τὴν δὲ ἀόριστον δυάδα καλῶν, τὴν μὲν ἀγαθῶν τὴν δὲ κακῶν οὖσαν ἀρχήν . . . ὅθεν καὶ τῶν ἐφεξῆς ἀριθμῶν τὸν μὲν ἄρτιον ἐνδεᾶ καὶ ἀτελῆ, τὸν δὲ περισσὸν πλήρη τε καὶ τέλειον ἀπέφηνεν, ὅτι μιγνύμενός τε πρὸς τὸν ἄρτιον ἀεὶ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν διασῴζει τοῦ περισσοῦ καὶ ἐν τούτοις ἐπικρατοῦντος, ἑαυτῷ τε συντιθέμενος γεννᾷ τὸν ἄρτιον· γόνιμος γάρ ἐστι καὶ ἔχει δύναμιν ἀρχῆς καὶ διαίρεσιν οὐκ ἐπιδέχεται ἀεὶ τῆς μονάδος ἐν αὐτῷ περιού-

[1] 5 ἐπονομάζομεν F || 9 καὶ Ποσειδῶνα scribebat Meineke || 13 ἀπέφηνε recte F: vulgo ἀπεφήνατο ex Augustani interpolatione || 20 ἄλυσιν F || 21 ἑξκαίδεκα F: corr. Heeren || 24 πᾶσιν F || 34 ὡς ἂν F: ὡς δὴ Meineke ||

βάνουσιν, ὡς ὁ ὀκτωκαίδεκα, τῶν δὲ περισσῶν εἰς ἀρτίους οὐθείς· ἀδιαίρετον γὰρ ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ στοιχεῖον εἰς ἕτερα· τοῖς δὲ ἄλλοις εἰς τὰ αὐτὰ πάλιν αἱ διαλύσεις. ἔτι δὲ τῇ μονάδι τῶν ἐφεξῆς περισσῶν γνωμόνων περιτιθεμένων, ὁ γινόμενος αἰεὶ τετράγωνός ἐστι· τῶν δὲ ἀρτίων ὁμοίως περιτιθεμένων, ἑτερομήκεις καὶ ἄνισοι πάντες ἀποβαίνουσιν. ἴσον δὲ ἰσάκις οὐδείς. καὶ μὴν εἰς δύο διαιρουμένων ἴσα, τοῦ μὲν περισσοῦ μονὰς ἐν μέσῳ περίεστι, τοῦ δὲ ἀρτίου κενὴ λείπεται χώρα καὶ ἀδέσποτος καὶ ἀνάριθμος ὡς ἂν ἐνδεοῦς καὶ ἀτελοῦς ὄντος. περὶ δὲ τοῦ κοινοῦ λόγου τῶν ἀριθμῶν τοῦτον διέξεισι τὸν τρόπον.

σης. ὁ δὲ ἄρτιος οὔτε γεννᾷ ποτε τὸν περισσὸν συντιθέμενος ἑαυτῷ οὔτε ἐστὶν ἀδιαίρετος.

Plutarchei libelli similitudinem vel Heerenius perspexit. sed quod ait certum esse auctorem (i. e. Stobaeum) ante oculos habuisse Vitam Homeri, id non potuit scribere nisi sopitus. nam genuina magis est Stobaei ecloga, Plutarchi amplificata et variata. primae sententiae concordant. tum Stobaeus de deorum nominibus loquitur [cf. Theologum. arithm. 33. 44. 53. 55. 63], ille ad monadis et dyadis explicationem properat omissam fortasse a Stobaeo. tum iterum concordia, nisi quod huius verba magis ad artem enucleata sunt. placet ultimo loco florilegium cum Vita Homeri conferre

Stob. flor. t. 33 17

Πλουτάρχου.

Περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ἐχεμυθίας διὰ τούτου σαφῶς δείκνυται. λέγει γὰρ

Θερσῖτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής,
ἴσχεο μηδ' ἔθελ' οἶος ἐριζέμεναι βασιλῆι.

καὶ τοῦ Τηλεμάχου εἰπόντος

ἦ μάλα τις θεῶν ἔνδον οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν

ἐπιλαμβανόμενος ὁ πατὴρ ἔφη

σίγα καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε μηδ' ἐρέεινε.
αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

τοῦτο ἐξήγησιν (?) οἱ Πυθαγορικοὶ καλοῦντες οὐδὲν ἀπεκρίνοντο τοῖς περὶ θεῶν ὅτι τύχοιεν ἰταμῶς καὶ εὐχερῶς ἐρωτῶσι.

Plut. V. Hom. c. 149

ἐπεὶ δὲ ἐν τούτοις καὶ Πυθαγόρου ἐμνημονεύσαμεν ᾧ μάλιστα ἤρεσκεν ἡ ἐχεμυθία καὶ τὸ σιγᾶν ἃ μὴ χρὴ λέγειν θεασώμεθα εἰ καὶ Ὅμηρος ταύτην ἔσχε τὴν γνώμην. ἐπί τε γὰρ τῶν παροινούντων ἔφη

καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον

καί τῷ Θερσίτῃ ἐπιπλήττει

ἴσχεο
Θερσῖτ' ἀκριτόμυθε λιγύς 'περ ἐὼν ἀγορητής

καὶ τοῦ Ἰδομενέως καθαπτόμενος ὁ Αἴας λέγει κτλ. . . .

καὶ τὸν Ὀδυσσέα τῷ υἱῷ διακελευόμενον . . . καὶ πάλιν αὐτῷ παραινεῖ

σίγα καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε μηδ' ἐρέεινε·

Inter haec quoque excerpta eam quam dixi necessitatem intercedere non infitiabere. communis Pythagorae memoria, communes versus ad Thersitam et Telemachum dicti, cetera liberius in utroque, Plutarcho exemplar augente et amplificante. idem in prioribus excerptis observare licuit. sed haec Stobaei ecloga peculiari quadam virtute splendet. quemadmodum florilegii auxilio Arii lemma Stobaeo restitutum est, ita hic servatum est memorabile nomen Plutarchi. atque hoc nomine permoveor ut litem denuo suscitem quae diu sub iudice est non profligaturus, sed testem neglectum producturus.

Homeri vita quae olim ex principe Homeri editione Florentina innotuit, a Duebnero ad Plutarchi codices illos Parisinos AE maxime recensita et emendata est. praemittitur in codicibus frivola de Homeri genere et carmine scriptiuncula a Byzantinis confecta et a ceteris resecanda. nam propter argumenti tantum cognationem inhonestum caput probo commentario praefixum est. atque hic de Homeri sapientia libellus quin antiquus sit neminem fugit. quid? R. Schmidtius [de Plutarchea quae vulgo fertur Homeri vita Hal. 1850] Porphyrium auctorem evincere studuit. qui quaestionem perdifficilem haud inscite tractavit nisi quod plane incredibili iudicio Heracliti allegorias tumide et indocte scriptas eidem Porphyrio vindicabat.[1] Schmidtianam de Plutarchea Vita coniecturam Gildersleeveus [de Porphyrii studiis Homericis capit. trias. Gotting. 1853] levibus sane argumentis refutabat. adversati sunt etiam Wollenbergius [de Porphyr. stud. philolog. cap. V. Berol. 1854] ineptissimae ipse suspicionis auctor [thes. V], Bernhardyus Gr. litt. hist. II 1² 202, R. Volkmannus Plut. Chaer. Vit. et script. I 121. contra Sengebuschius dissertat. homeric. prior. p. 5 et G. Wolffius Porphyrii de philos. ex orac. hauriend. p. 24 sq. Schmidtium doctissime defenderunt. auctoritatum igitur momenta paria. videamus argumenta. praeter leviora quaedam duas proferunt Porphyrianae originis vindicias, primum quod Circes allegoria similiter in V. H. c. 126 atque a Porphyrio apud Stob. I 41 60 p. 1046 explicetur, tum quod enneadis vis illic c. 145 celebrata ad unum Porphyrium maxime quadret, qui Plotini libros ad hunc numerum digesserit et a Ioanne Lydo de mens. IV 78 propterea nominatim laudetur. sed neutrum rem conficit. quid enim prius argumentum aliud probat quam allegoriarum librum quem supra dixi utrique patuisse? nam ut Stoicorum doctrina et Porphyriano et Plutarcheo loco promiscue adhaeret, ita variant excerpendo. ille pa-

[1] seductus est Schmidtius scholiorum Homericorum falso testimonio. nam Venet. B ad O 21 [Heraclit. 40], Venet. B (non A) ad Θ 3 [Heraclit. 36], Venet. B ad M 27 [Heraclit. 38], Ven. B ad Ξ 346 [Heraclit. 39] a Villoisone Porphyrii lemma fraudulenter praefixum est, quod securus ut alia Bekkerus propagavit. cf. H. Schrader über die porphyr. Iliasschol. Hamb. 1872 p. 2. V. Rose Ar. Pseud. p. 152. nolo tamen diffiteri in Leydensi et fortasse in aliis ut Etonensi et Escurialensi ad Θ 3 lemma Πορ (φρ) adscriptum legi, qui error faciles habet explicatus. sed de his Schraderus futurus Porphyrianorum scholiorum editor viderit.

lingenesiam et animarum in aera receptum retinet, hic veriloquium *Αἶαῖα ἀπὸ τοῦ αἰάζειν* aucupatur. alterum argumentum fortius videatur. verum in Homeri aperto enneadis studio explicando allegoriarum venatores paene ultro in idem inciderunt. quod praeiverunt Aristarchei velut Aristonicus ad Z 174 et schol. B et Vict. ad M 25. sed largiamur istis Porphyrium[1] in Graeciam invexisse enneadem, quid impedit, quominus Vita Homeri hoc quidem Porphyrianum inventum secuta esse videatur? at Porphyrius Vitam nullo modo scripsit, quia scribendi et ratio et oratio Porphyriano mori plane contrariae sunt. quod vel ex brevissimo capite de Circe luculento exemplo demonstratur. neque quidquam valet Schmidtii ratio diversas Porphyrii aetates excusantis. quae ne tum quidem probabilis esset, si nomen philosophi dilucide Vitae inscriptum esset.

Similiter fere contra Schmidtium disputavit Volkmannus, sed quod idem velut maximum argumentum obiecit Homericae aetatis diversam notationem, hoc recuso. nam Plutarchi locus interpolatione e Byzantina quam dixi scriptione arcessita foedatus est. neque iterum debebat in disceptationem vocari, postquam a Sengebuschio probe restitutus est. de Porphyrio igitur satis.

Multo probabiliora possunt effici ex Stobaei quae dixi excerptis Homericis. quibus cum P l u t a r c h i nomen uno certe loco inscriptus sit, statuo altero fortasse saeculo subdita Chaeronensis persona ex antiquo allegoriarum corpore, quod multifariam excerptum dixi, enchiridion Homericum breviatum esse. hinc Stobaei fragmenta deducta sunt. indidem titulo servato multis autem additis omissis variatis ea quam nos tenemus Plutarchi Vita. sed haec omnis quaestio affecta magis quam absoluta denuo erit pertractanda. nos quoniam anepigrapha placita suis distribuimus scriptoribus Aëtio Ario Pseudo-Plutarcho Vitae Homeri scriptori ad propositum revertimur.

VII DE AETII SECTA ET AETATE

Arii Didymi memoriam haud inviti paulo diligentius recoluimus, quippe cui non uno nomine comparari possit Placitorum collector Aëtius. nam is quoque a sectarum censura fere abstinuit ac Stoicorum non minus quam Epicureorum disputationes tamquam ex ipsius sententia dictas edidit. haud absimili ratione Arius non solum Stoicos Peripaticos Platonicosque sed fortasse etiam Epicureos nullo suo iudicio addito excer-

[1] Plutarch. l. c. τί δήποτ' οὖν ἐστιν ὁ τῶν ἐννέα ἀριθμὸς τελειότατος; ὅτι ἐστὶν ἀπὸ τοῦ πρώτου περισσοῦ τετράγωνος καὶ περισσάκις περισσός, εἰς τρεῖς διαιρούμενος τριάδας ὧν ἑκάστη πάλιν εἰς τρεῖς μονάδας διαιρεῖται. I. Lyd. l. c. θεῖος ὁ τῆς ἐννεάδος ἀριθμὸς ἐκ [intercidit τριῶν] τριάδων ἐκπληρούμενος καὶ τὰς ἀκρότητας τῆς θεολογίας κατὰ τὴν Χ α λ δ α ι κ ὴ ν φ ι λ ο σ ο φ ί α ν ὥς φησι Πορφύριος ἀποσῴζων.

psit et ut ille optimos pessimos auctores promiscue adscivit, ita Arius quaecunque in manus venerant primaria cuiusque sectae non minus quam quintae classis scripta respexit. praeterea eclectico genere, si quid in prooemiis propriae doctrinae pellucet, uterque usus est. In Ario inter Stoicorum notiones Aristotelisque categorias pax conciliata est cf. Stob. ecl. II p. 46 H. supra p. 70. multo etiam magis decolor Aëtii oratio. modo Peripateticum audis velut Plac. I 2 2 τὸ εἶδος ὃ καλοῦμεν ἐντελέχειαν, modo Stoicum velut ibidem ἀρχάς φαμεν εἶναι οὔτε συνθέτους οὔτε ἀποτελέσματα, sed ut ille Stoicis, ita Aëtius Peripateticis principatum tribuisse videtur, si quidem in prooemio et I 1. 2 Aristotelis ter cum Theophrasto et Peripateticis, semel Stoicorum vel Platonis sententiae apparent. hinc coniectura valet in Peripateticorum eum schola tirocinia philosophiae posuisse. nam supra tirocinia ille quidem numquam evectus est. nec graviora desunt indicia. constat post Andronicum qui extiterunt Peripatetici eos scholae umbra non egressos esse, ut ex unis fere commentariis tenuissima notitia hauriri possit. Aëtius autem, qui Posidonium alioqui ultimum [1] cognovit philosophorum, Peripateticum commemorat Xenarchum amicum Arii et Augusti, cuius de anima opinio haec est IV 3 10 Ξέναρχος ὁ Περιπατητικὸς καί τινες ἕτεροι τῆς αὐτῆς αἱρέσεως τὴν κατὰ τὸ εἶδος τελειότητα καὶ ἐντελέχειαν καθ' ἑαυτὴν οὖσαν ἅμα καὶ μετὰ τοῦ σώματος συντεταγμένην. [2] quid igitur? nonne credibile notitiam illam recentem ex ipsa Peripatetici schola receptam esse? credibile sane sed minime necessarium, ut praestet quae certa sunt inde concludere. scripsit Aëtius non ante Augustum, idemque non post Antoninos, quorum aetate excerpsisse videtur Plutarchus. quaeritur uter terminus propius ab illius natali absit. qua in re nec tam inopes sumus argumentorum ut ne coniecturam quidem periclitari liceat nec tam instructi a subsidiis ut ulterius provehi fas sit. nimirum frustra Aëtii rhetoris memoria citabitur, quem p. 49 Augusti aetati supparem dixi. quid enim rhetori communionis cum scholastico Placitorum enarratore, nisi forte in materiae siccitate dispositionis turbis orationis exilitate novitatis eum quandam gratiam aucupatum putas? neque ex astrologiae mentione V 18 6 [cf. II prooem. τῶν ἀποτελεσμάτων] aetatem accuratius circumscribemus. nam astrologia etsi sub primis

[1] Ocellum II 25 13 omitto quem cum Plutarchus et Theodoretus ignorent a Stobaeo invectum esse probabile. ignota aetas est Apollodori Corcyraei [III 12 8 fortasse ante Pamphilum grammaticum Athen. XI p. 478 B], Diotimi Tyrii cf. ad II 17 3, Epidici [?] II 4 5. ante Antiochum est Timagoras Epicureus [cf. Cic. Lucull. 25 80]. de Stoico Boetho ridicule erravit Corsinus p. XXVII quem secutus est Beckius.

[2] definitio non verbis, at re Aristotelea est. quo magis mirandum, quod animae definitionem a Theophrasto ac multis deinceps Peripateticis variatam non attrectavit, cum tamen arcem naturalis Aristotelis doctrinae, aetheris motionem ἐν ταῖς πρὸς τὴν πέμπτην οὐσίαν ἀπορίαις [Simplic. d. cael. p. 11 b 41, 12 b 14 Karst.] impugnasset. qui fuerint καί τινες ἕτεροι in tanta harum rerum obscuritate ignoratur. cum Boetho aequali Peripatetico — nam utrumque audivit Strabo — consentit de primo expetendo [πρῶτον οἰκεῖον Alex. d. anim. 154 a 47]. sed de Boethi psychologia nihil compertum habemus nisi quod immortalitatem animi reiecit.

imperatoribus, quo tempore Thrasyllus Tiberio, Sulla Caligulae, Serapa Trimalchioni exstiterunt suasores Maniliusque qui dicitur artem versibus inclusit, in forum magis et publicam lucem protracta est, tamen neque prius apud Graecos Romanosque [cf. Caton. d. r. rust. 5] neque profecto postea coli desita est. ergo hinc quidem nihil lucramur. maius momentum ex orationis observatione efficitur. nihil dico de Placitorum quae proprie dico brevitate et siccitate: *ornari res ipsa vetat contenta doceri.* ceterum pleraque sunt verbis paulum mutatis ex antiquioribus fontibus translata, quae breviavit quidem sed raro mutavit. restant igitur praeter Placita ampliores eclogae Stoicorum et Epicureorum atque ipsius scriptoris prooemia. atque in illo numero memorabilis est Epicureus, de quo satis supra p. 78 dictum est. ubi insolita illa ἀτενίζων ἑαυτῷ et μοιχαλίδος observavi, quae homini ceteroqui erudite et nervose scribenti vix ante primum p. Chr. saeculum proferre licebat. Philodemus quidem qui propter dicendi neglegentiam vapulare solet, talia haud ausus est. neque magis ea alterum p. Chr. saeculum decent, quo indefesso sophistarum studio recte scribendi laus fere vulgaris erat. ergo comparandus quodammodo cum Longino cuius fertur de sublimitate libellus cultissimo scriptori et perinde fervido, sed in quibusdam mendoso. in Stoicorum capitibus non tam aetatis, quam loci nota impressa est insignis. IV 11 5 ὥσπερ τὰ δηνάρια καὶ οἱ στατῆρες αὐτὰ μὲν καθ' αὐτὰ ὑπάρχει δηνάρια ⟨καὶ⟩ στατῆρες, ἐὰν δὲ εἰς πλοίων δοθῇ μίσθωσιν, τηνικαῦτα πρὸς τῷ δηνάρια εἶναι καὶ ναῦλα λέγεται. quid interfuerit ut duplex numorum genus afferretur, haud dispicio. alterutrum credo satis erat. nec dubium quin uno staterum exemplo contentus fuerit quicunque Stoicorum illa composuit. Romanum igitur usum spectabat Aëtius nisi Plutarchum interpolasse credis.[1] restat ipsa Aëtii oratio. de qua non nulla supra p. 75 notavi. certe quamvis exiguus sit illorum ambitus, tamen ne sic quidem eundem vocabulorum gyrum vitavit. omnino quae placitis explicandi gratia adduntur velut in prooemio § 3 taedium parant. quid de ordine libri atque dispositione, quatenus Aëtio iniungenda est, iudicandum esset, ibidem exposui. unde si de genere scriptoris coniciendum, fieri non poterit quin *scholasticorum natio madens pingui* adgnoscatur. ergo scriptoris eadem est facies ac philosophi, quam initio capitis aperui. utrumque suadet, ut quam minimo intervallo ab altero termino Aëtii aetatem suspendamus. quodsi altero fere medio saeculo Placitorum extitit epitome, quid obstat ne sub exiens primum sive alterius initium Aëtium vixisse coniciamus? verum ego has ratiunculas, quae quam incertae sint sentio, nolo persequi laudaturus si quis meliora docebit. nec profecto ex aetatum discrimine vel nominum

[1] omisit hanc rem Beckius, qui in Plutarchi sermone latinam linguam odoratus est, *cuius non imperitum fuisse auctorem facile patet.* num latine fuerit doctus Aëtius, ego nescio. graeci certe peritior fuit Beckio qui scilicet hos notavit *idiotismos latinos:* ἰδίας ἑκάστη *suas quaeque* IV 10 2 et συνάγειν I 3 8 *cogere* i. e. concludere.

splendore compendiorum eiusmodi pretium aestimatur, sed ex fontibus solis. ad quos eruendos dum accingor, Aëtium parumper valere iubeo, ut de Theophrasto gravissimo Opinionum scriptore qua par est accuratione disseram.

VIII DE THEOPHRASTI PHYSICORUM OPINIONIBUS

Quod in singulorum hominum vita labentis et senescentis est aetatis indicium ut ad vitas suas describendas animum impellant, idem populis litterarum laude florentibus solet contingere. Graecorum poetarum scriptorumque gloriam excepit Alexandrinorum eruditio, philosophiam ab Aristotele excultam et quantum veteribus licebat consummatam statim polyhistorum studia subsecuta sunt. ex Peripateticorum quidem familia qui proficiscebantur paene omnes magistri effata ut divinitus instincta suspiciebant. inde cum ipsam philosophiam promovere nollent, historiae cognitionem ab eodem Aristotele egregie incohatam studio laudabili eventu haud semper felici appetebant. duces eius rationis praeter ipsum Aristotelem fuere Theophrastus et Eudemus. hic mathematicorum ille philosophorum ante magistrum inventa opinionesque tanta diligentia comprehenderunt ut quidquid apud posteros eiusmodi apparet probae memoriae, id paene omne ab illorum auctoritate repetendum videatur.

Ac Theophrastus quidem scripsit Φυσικῶν δοξῶν libros XVIII, quos ex indicibus Laertianis V 46. 48 novimus. alterum eius libri exemplum, quod indices recensebant, sedecim libros continebat. nec minus de inscriptione variabant. Φυσικῶν δοξῶν est apud Laert. V 48. alii περὶ φυσικῶν nominabant [Laert. l. c. 46], alii περὶ τῶν φυσικῶν ut Alexander [fr. 6], Galenus ἐπιτομὴν φυσικῶν δοξῶν i. e. collectionem fr. 5ᵃ, neglegentius Laertius ipse IX 22 fr. 6ᵃ, Placita fr. 16 Simplicius fr. 13 ἐν τοῖς φυσικοῖς, quod lemma cave ne ad physicorum librum Aristoteleo simillimum [φυσικῶν $\overline{\alpha}$—$\overline{\eta}$ [1] Laert. V 46] referas. utrumque monumentum complectitur Priscianus Lydus in quaestionum ad Chosroen prooemio: '*Theophrastus item plurimas occasiones sermone dignas praestitit his quae quaesita sunt ex naturali historia et naturali auditu.* eodem titulo φυσικῆς ἱστορίας utitur Simplicius fr. 7 et conferri potest Eudemi ἀριθμητικὴ ἱστορία γεωμετρικαὶ ἱστορίαι ἀστρολογικαὶ ἱστορίαι. alio sensu ab ipso histor. plant. I 1 4 ἱστορία τῶν φυτῶν scrutatio plantarum dicitur cf. IV 1 5 V 1 1. [2]

---

[1] ex hoc opere epitome uno libro comprehensa circumferebatur, in quam Simplicius se commentatum dicit Aristot. de anim. f. 38ʳ 2 σαφέστερόν μοι ταῦτα ἐν τῇ ἐπιτομῇ [i. e. in commentario ad epitomen, breviter ut nos quoque] τῶν Θεοφράστου φυσικῶν διώρισται cf. Usener Anal. Theophrast. Lips. 1858 p. 28.

[2] cf. Physic. op. fr. 1 Θαλῆς δὲ πρῶτος παραδέδοται τὴν περὶ φύσεως ἱστορίαν τοῖς Ἕλλησιν ἐκφῆναι, fr. 9 Πλάτων . . . ἐπέδωκεν ἑαυτὸν καὶ τοῖς φαινομένοις ἀψάμενος τῆς περὶ

Physicorum igitur Opinionibus philosophorum a Thalete ad Platonem turbam ita recensuit, ut quid de singulis singuli capitibus statuerent non solum breviter indicaret, sed etiam quid male quid recte quid proprie cogitassent ad Aristoteleam normam diiudicaret. priusquam vero tam admirabile opus susciperet non solum Aristotelis iudicia collegit et anxie respexit, sed ipse quoque ad fontes adiit et nobiliorum philosophorum ut Anaxagorae Anaximenis Archelai Diogenis Empedoclis Metrodori Platonis Xenocratis, copiosissime Democriti doctrinas peculiaribus libellis examinavit. sed ex omnibus istis scriptis unum fragmentum exstat ex altero de Anaxagora libro fr. 26 Usen., quod fr. 4 nostrae sylloges subieci.[1] huic materiae undique collectae, quam contuleris cum Aristotelis Politiis, superstruxit amplam Physicorum Opinionum syllogen, quae iam Alexandrinorum aetate in duorum librorum epitomen coacta est περὶ φυσικῶν ἐπιτομῆς $\bar{α}$ $\bar{β}$ [Laert. l. c. 46]. epitomandi usus fortasse iam Aristotelis aetate non inauditus[2] paulo post ita increbruit ut potiorum Peripateticae scholae librorum in usum sive philosophorum sive rhetorum compendia fierent. ita Theophrasti feruntur in indicibus ἀναλυτικῶν ἐπιτομῆς $\bar{α}$, νόμων ἐπιτομῆς $\bar{α}$—$\bar{ι}$, φυσικῶν ἐπιτομῆς $\bar{α}$ [cf. p. 102[1]] fortasse etiam ἠθικοὶ χαρακτῆρες. quanta libertate excerptum sit non solum ex characteribus, quorum tamen fata parum explorata sunt, sed etiam ex Aristophanis Byzantii τῶν Ἀριστοτέλους περὶ ζῴων epitome cernitur, unde quae Constantini Porphyrogeniti iussu compilata sunt e codice Parisino edidit V. Roseus Anecd. graecol. II 1—40. Opinionum autem illa epitome usus videtur Laertius IX 21 [fr. 24 Us., fr. 6[a] nostrae syll.] Ξενοφάνους δὲ διήκουσε Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης (τοῦτον Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι), ὅμως δ' οὖν ἀκούσας καὶ Ξενοφάνους οὐκ ἠκολούθησεν αὐτῷ. Parmenidem ab Anaximandro pendere Theophrastus dicere vix potuit, qui Xenophanem fr. 5. 6 Parmenidis praeceptorem nominaverat. pridem transpositum est Παρμενίδης . . . διήκουσε Ξενοφάνους quo τοῦτον rectius referretur. neque dubium quin haec sit genuina sententia, sed ambigitur utrum Diogenes intempestive

---

φύσεως ἱστορίας. Aristot. de cael. III 1 p. 298[b] 2, Platon. Phaed. p. 96 A τῆς σοφίας ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φύσεως ἱστορίαν cum Wyttenbachii nota cf. Torstrik ad Arist. d. anima p. 112. G. Curtius Verh. d. saechs. Ges. 1866, 146.

[1] de Democriteis minimum sex libris cf. Usenerus l. c. p. 25. e libro περὶ Δημοκρίτου falso Aristotelis nomine inscripto V. Roseus [Ar. ps. p. 213] excerpta putat quae affert Alexander ap. Simplic. d. coel. p. 488[a] 6 Br. praeterea possunt ad illos commentarios referri fragmenta haec quae Usenerus inter incerta enumeravit 27 Laert. Diog. IX 6 Θεόφραστος δέ φησιν ὑπὸ μελαγχολίας τὰ μὲν ἡμιτελῆ τὰ δὲ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα γράψαι (Heraclitum), 28 ibid. IX 46 (Democriti) μέγας διάκοσμος, ὃν οἱ περὶ Θεόφραστον Λευκίππου φασὶν εἶναι, 29 Ael. V. H. IV 20 (Democritus) τὴν παρὰ τοῦ Δαμασίππου τοῦ πατρὸς οὐσίαν εἰς τρία μέρη νεμηθεῖσαν τοῖς ἀδελφοῖς τοῖς τρισί, τἀργύριον μόνον λαβὼν ἐφόδιον τῆς ὁδοῦ, τὰ λοιπὰ τοῖς ἀδελφοῖς εἴασε. διὰ ταῦτά τοι καὶ Θεόφραστος αὐτὸν ἐπῄνει ὅτι περιῄει κρείττονα ἀγερμὸν ἀγείρων Μενελάου καὶ Ὀδυσσέως.

[2] epitome reipublicae Platonicae et Aristoteli et Theophrasto attribuitur cf. Usener l. c. p. 19. V. Rose de Ar. libr. ord. p. 86.

aliena immiscuerit an librarius Xenophani praecedenti concinnius principium formaverit. Theophrastus igitur ipse Xenophanem cum Anaximandri sive aetate — ut Sotio Laert. IX 18 κατ' Ἀναξίμανδρον ἦν — sive doctrina [cf. Susemihl Philolog. Anz. VII 299] composuisse videtur, sed de hoc loco videro inferius.

Ex integro de Physicorum opinionibus volumine excerpta esse videntur, quae Aristotelis interpretes tradunt. inter quos plurima et gravissima fragmenta Simplicius sive ipse excerpsit sive excerpta ab Alexandro transtulit. qui quia Aristotelis Physica explicaturus plurimus est in Theophrasti libri laudibus, multis locis, etiam eis quibus non nominatur, Opinionum vestigia adgnovit Ch. A. Brandisius quaest. Eleat. p. 17 eumque secutus in Analectis Theophrasteis H. Usenerus. horum virorum iudicio etsi non nulli refragati sunt haud me paenituit subscribere. nam quo acrius in interiorem Theophrasti familiaritatem me insinuaram, eo magis illorum opinionem confirmatam videbam. consentaneum est pauca minus recte observata, plura dubia esse. ergo ne quid me invito erroris lecturis subnasceretur Theophrastea certa aut verisimili ratiocinatione adgnita diductis litteris expressi, simulque imitatorum testimonia potiora in ima quaque pagina subnotavi. in reliquiis disponendis Usenerum fere sequor non quo omnia eum recte ordinasse credam sed quia putidum duco in leviculis vel dubiis ab egregio exemplari recedere. [1]

Sicut verum erat Theophrastum primo de primordiis libro per temporum fere seriem decurrere ut in Platonem ceteris perfectiorem desineret [2], ita non credibile neglecta opinionum cognatione ad amussim temporum filum persecutum esse. immo cum successionum aliquam rationem haberet [3], fortasse Alexandrinis ea potissimum re imitabilis, varias deinceps familias Ionicos Eleatas atomorum doctores ad Platonem usque deduxisse videtur haud veritus Diogenem Apolloniaten et Archelaum vel contra aetates physicis adnectere cf. Panzerbieter Diog. Apoll. fr. p. 7. angustae enim mentis erat neglecta dogmatum necessitudine exteriorem temporum continuationem quasi principem legem custodire. [4] ad Theophrasti in

[1] in Simplicianis Usenerus Brandisii Aldinae exemplo utebatur nunc ab Academia Berolinensi adservato, ubi trium codicum C[ollegii novi Oxoniensis 244] et A et D ignotorum discrepantia adscripta est. ex eiusdem schedulis quartus innotuerat O[ceanus] Laurentianus ille 85 1. nobis accuratior praesto erat codicum notitia. Torstrikius enim Academiae iussu Simplicii Physica editurus quem adparatum collegerat, is post illius lugendam mortem in nostras manus concessus est. inde afferam varietatem codicum Laurentiani 85 1 (B), Laurent. 85 2 (D), Marcian. 229 (E), Marcian. 227 (F) et singulis locis Ambros. E 4 inf. (H). Aldina mihi erit *a*. potiores sunt D E B, deteriores F H a.

[2] cf. fr. 9 τοὺς ἄλλους προιστορήσας 'τούτοις' φησὶν 'ἐπιγενόμενος Πλάτων τῇ μὲν δόξῃ καὶ τῇ δυνάμει πρότερος, τοῖς δὲ χρόνοις ὕστερος κτλ.'

[3] cf. fr. 6 ipsius verba τούτῳ [Xenophani] δ' ἐπιγενόμενος Παρμενίδης Πύρητος ὁ Ἐλέατης, praeterea fr. 1. 2. 3. 4. 5. 6a praecipue 8.

[4] Simplicii verba in phys. f. 7a 25 αὕτη μὲν ἡ σύντομος περίληψις τῶν ἱστορημένων [sic D E F] περὶ ἀρχῶν οὐ κατὰ χρόνους ἀναγραφεῖσα, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῆς δόξης συγγένειαν non solum Simplicii sed etiam Theophrasti rationem describere possunt. cf. Krische forsch. p. 166.

primo capite ordinem fortasse proxime accedunt Ciceronis in Lucullo 27 118 excerpta qui Thalem Anaxagoram Xenophanem cum Parmenide Leucippum Democritum Empedoclem Heraclitum Melissum Platonem Pythagoreos enumerat. sed haec incertiora. omnino veri simile est Theophrastum praesertim in reliquis capitibus opinionum varietatem generatim comprehendisse quemadmodum fecit in fragmento de sensu. ubi prius de sensibus §§ 1—58, tum de sensis §§ 59—91 agitur. prior pars iterum bipartita. alter locus philosophorum, qui similibus sensum efficiunt, alter qui contrariis. tum qui similibus singillatim enucleate tractantur Parmenides Plato Empedocles. ordinis ratio inde petita, quod Parmenidis rudissima est doctrina qui § 3 ὅλως οὐδὲν ἀφώρικεν ἀλλὰ μόνον ὅτι δυοῖν ὄντοιν στοιχείοιν κατὰ τὸ ὑπερβάλλον ἐστὶν ἡ γνῶσις. uno gradu compositior Plato qui § 5 ἐπὶ πλέον μὲν ἧπται τῶν κατὰ μέρος, οὐ μὴν εἴρηκέ γε περὶ ἁπασῶν ἀλλὰ μόνον περὶ ἀκοῆς καὶ ὄψεως. perfectior utroque Empedocles qui § 7 περὶ ἁπασῶν ὁμοίως λέγει cf. § 2. hinc variam explices refutandi rationem. Parmenides quid omiserit quam brevissime indicat. iudicium comprehendit § 4 extr. οὕτως μὲν οὖν αὐτὸς ἔοικεν ἀποτέμνεσθαι τῇ φάσει τὰ συμβαίνοντα δυσχερῆ διὰ τὴν ὑπόληψιν. de Platone quoque paucis perfungitur § 6, Empedoclem uberrima refutatione (§ 12—24) dignum ducit. sequitur alter locus philosophorum, qui contrariis sensum efficiunt. primus Alcmaeon brevissime, tum Anaxagoras ut patronus huius sectae suam copiose exponit opinionem §§ 27—30, quam uberior sequitur Theophrasti censura §§ 31—37. praeteriens Clidemum tangit nullo suo iudicio interposito, ut iam ad Diogenem et Democritum transeat, quorum neuter utram sectam sequeretur clare exposuisse dicitur. hinc ultimus recte eis servatus est locus, quibus refutatis priorem partem his concludit § 58 αἱ μὲν οὖν περὶ αἰσθήσεως καὶ τοῦ φρονεῖν δόξαι σχεδὸν αὗται καὶ τοσαῦται τυγχάνουσιν οὖσαι παρὰ τοῖς πρότερον. alteri parti generalem conspectum praemittit § 59. quo opiniones Anaxagorae Empedoclisque qui sensorum parum rationem habuerint, adumbrat Democrito Platonique satisfacturus. illius placita §§ 61—78 profert, tum §§ 79—82 diiudicat. paucioribus Platonis §§ 83—86, quem §§ 87—91 refutat. hinc si ad caput de principiis revertimur, Aristotelem phys. I 2 similiter principiorum divisionem instituisse observamus, quam repetere iuvat, cum praesertim Simplicii fragmenta ad hunc locum pleraque afferantur. p. 184ᵇ 15 ἀνάγκη δ' ἤτοι μίαν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἢ πλείους, καὶ εἰ μίαν, ἤτοι ἀκίνητον ὥς φησι Παρμενίδης καὶ Μέλισσος ἢ κινουμένην ὥσπερ οἱ φυσικοὶ οἱ μὲν ἀέρα φάσκοντες εἶναι οἱ δ' ὕδωρ τὴν πρώτην ἀρχήν· εἰ δὲ πλείους, ἢ πεπερασμένας ἢ ἀπείρους, καὶ εἰ πεπερασμένας πλείους δὲ μιᾶς, ἢ δύο ἢ τρεῖς ἢ τέτταρας ἢ ἄλλον τινὰ ἀριθμόν, καὶ εἰ ἀπείρους, ἢ οὕτως ὥσπερ Δημόκριτος τὸ γένος ἓν σχήματι δὲ ἢ εἴδει διαφερούσας, ἢ καὶ ἐναντίας. quantum Aristotelis partitio discipulum moverit, nescimus. sed maximam fuisse eius auctoritatem, cui suum verecunde iudicium subiungeret, e fragmentis abunde conspicitur. nam quod laudat Cicero de fin. I 2 6 *quid? Theophrastus mediocriterne delectat cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos?* ad alios libros

spectat. sed in metaphysicis praecipue et alibi identidem semina quaedam historiae philosophorum sparsit, quae a discipulo haud sane neglecta sunt. cf. ad fr. 1. 4. 6. 7. 8. 9. 11. 22. 23.[1] quare etiam atque etiam cavendum est ne propter Aristotelis similitudinem solam in Simplicianis fragmentis interpretem potius quam Theophrastum nobis audire videamur.

Peculiarem sibi poscit disputationem fragmentum 12 ex Pseudophilone περὶ ἀφθαρσίας κόσμου haustum. quod a ceterorum similitudine aliquantum recedit. continet enim tanquam a Theophrasto prolatas quattuor interitum mundi tuentium philosophorum opiniones, quorum tamen nomina tacentur. quibus enucleatis singulae deinceps Peripatetica doctrina refutantur. philosophorum decreta ex Opinionum libro recisis nominibus excerpta arbitratus est Usenerus. atque si Theophrastea vere sunt, difficile erit aptiorem locum invenire. sed maxima huic opinioni oborta est difficultas, postquam Zellerus Herm. XI 422 sqq. tertium et quartum Philonis decretum Stoicorum esse invictis rationibus demonstravit.[2] ergo in Opinionibus ne tum quidem si Zenonea illa opinio fuit, infuisse potest, quia non ultra Platonem decursum esse et aliis fragmentis et de sensibus libro probabile redditur. sed hanc quidem Useneri coniecturam paulisper seponamus. age videamus de Zenonis et Theophrasti lite, quam Zellerus sibi invenisse visus est. primum moneo in coniectura positam esse Zenonis auctoritatem. nam Philonis testimonium de provid. I p. 12 Auch. interpolatum supra evici neque a Zellero ipso in examen vocatum est. sed fac Zenonem opinionis auctorem. Theophrastumne probabile est Stoicum in quopiam libro citasse? temporum rationes non afferam, quae etsi nondum sunt accurate explicatae tamen impedimento esse non possunt.[3] sed philosophorum commercium non ex solis temporis condicionibus constituendum est. aliter mireris Democriti a Platone, Aristippi ab Aristotele fere neglectam doctrinam. quos apparet fastidii fuisse delicatissimi. quid igitur Zeno cum Theophrasto, Cratetis modo discipulus cum eo quem insigni quodam lepore fabula cynico opposuit [Diog. VI 90]? nam quod sagaciter defendit Zellerus p. 428 nomen esse a Theophrasto omissum quasi collega collegam nominatim impugnare verecundaretur, id Aristotelis exemplo doctrinam Xenocratis saepius, nomen numquam fere afferentis parum munitur. illi enim qui aliquotiens se ipsum Platonicis adnumerat [cf. Bo-

---

[1] quae olim pluribus exposui nunc stringere licet, postquam nuper Zelleri dissertatio de Metaphysicis a Peripateticis lectis prodiit. [Abhandl. der Königl. Akadem. der Wiss. phil.-hist. Kl. 1877 p. 145 praecipue 150 sqq.] fragmentum de sensu non attigit, quare tu vide notas ad §§ 1. 39. 40.

[2] de prioribus argumentis dubito an ex vetustioribus philosophis sumpta sint. altera Xenophani vindicanda videtur cf. Hippol. philos. 14 5 Aristot. Meteor. I 14 p. 352ª 17. de universa opinione cf. Zeller I[4] 498[3]. E. Rohde gr. Rom. p. 199[2].

[3] magna lux ex Apollodori testimonio affulsura videtur quod est apud Philodem. de philosoph. [Herc. vol VIII Neap. 1844] col. 4. sed melioribus apographis opus erit quibus usum Gomperzium audio rem difficillimam expediturum esse.

nitzii comm. ad Metaph. A 9, 990^b 9] multa obstabant ne amicum eundemque aemulum laederet. Theophrasti autem quid interfuit novum in phisophia hominem et Crateteum ut honorificentius palparetur? gravissimae denique rei et per se non unicuique probabilis desiderantur magna testimonia. sed silent Theophrasti reliquiae, silent interpretes, silet omnis antiquitas. contra affirmat unus Philonis liber cuius ne titulus quidem mendacii expers est. tanti igitur ignoti hominis facies auctoritatem, qui quantum ex oratione iudicamus fuit homo satis ineptus undique phaleras aucupatus Philonemque potissimum imitatus [1], libris tamen optimis instructus, sed non tot quot simulat. Aristotelem quidem quem puerili adulatione afficit non legit. [2] contra molesta gravitate Ocelli futtilem de natura rerum librum ipsum se legisse affirmat. [3] hinc si suspicabere Ocellum in usum vocatum esse, falleris egregie. Boethum Panaetium Diogenem Chrysippum ab ipso adscitos non credo. Stoicorum materia a Posidonio collecta haud scio an promptior fuerit. itemque Peripateticorum adversariorum veri simile est unum librum omnia comprehendisse. quid igitur? si Aristotelis inde quasi quaedam obscura fama stillavit, an Theophrastum ab isto nebulone evolutum putas? restat huius sectae Critolaus, cuius quinque pro mundi aeternitate argumenta c. 11 p. 239, 7 ac deinceps afferuntur.

Critolai liber num scriptori ipsi ad manum fuerit nescio. sed illum in affirmandis et cumulandis argumentis vix se continuisse credibile, immo Aristoteleo exemplo contra potiores contrariae opinionis patronos disputasse. inde probare equidem nequeo, sed valde verisimiliter conicio Theophrasti memoriam ex Critolao paululum obscuratam fluxisse. quid? si Critolaum priora duo decreta ex opinionum libro deprompta initio capitis Theophrasti nomine confirmasse sumimus? hinc et Philonis artificium explicaretur quo nihil est apud excerptores vulgarius, ut antiqua auctori-

[1] notavi e. g. εὑρεσιλογία λεωφόρος προευτρεπίζω φωλεύω πηδαλιουχεῖν ἰχνηλατεῖν. iteratum est Philoneum ψυχῆς μεμοίραται p. 242, 7 p. 267, 7 Bern. creberrimum οὐκ ἀπὸ σκοποῦ idem Philoneum. plura dabit Siegfriediani indicis comparatio. loci conferantur πυρίγονα ζῷα p. 235, 6 cum Philone de gigant. 2 p. 263 M. et de plantat. 3. Stoicorum definitio συγχύσεως [cf. Arii Didymi phys. fr. 28 Nemes. d. nat. hom. p. 70] de incorr. p. 250, 2 cum Philone de confus. ling. p. 433. sed spero Bernaysii commentarium et hanc quaestionem et cur Philonea nullo modo esse scriptio possit accuratius tractaturum esse. neque enim sufficit ut ὥσπερ φασὶν Αἴγυπτον ab homine Alexandrino qui ipse vidisset, dictum esse negetur. fieri enim potuit ut Critolai locus dormitanter transferretur. sed adsunt magna νοθείας argumenta, unde ἀντιγραφὴν potius Philoneae opinionis in rhetoris schola confectam esse cognoscas. ne argumentum a rhetore abhorrere putes cf. Theon. progymn. 52—54 t. I 250 sqq. Walz ἔστω δ' οὖν ἡμᾶς ζητεῖν εἰ προνοοῦσι θεοὶ τοῦ κόσμου κτλ.

[2] p. 222, 12 Bern. Ἀριστοτέλης δὲ εἰ δή ποτ' [sic lego, μηδέποτε M, μήποτ' vulgo] εὐσεβῶς καὶ ὁσίως ἐνιστάμενος cf. p. 233, 1 ἔλεγέ τε [Aristoteles] ὡς ἔσκεν ἀκούειν κατακερτομῶν.

[3] p. 223, 5 ἐγὼ δὲ καὶ Ὀκέλλου συγγράμματι Λευκανοῦ γένος ἐπιγραφομένῳ Περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως ἐνέτυχον ἐν ᾧ ἀγένητόν τε καὶ ἄφθαρτον οὐκ ἀπεφαίνετο μόνον ἀλλὰ καὶ δι' ἀποδείξεων κατεσκεύαζε τὸν κόσμον εἶναι.

tate propiorem fontem occultent, et Stoicorum refutatio probabili Critolai auctoritati redderetur, qui p. 248, 1 εἱμαρμένην ex Stoicorum ore [1] definit εἴρουσα τὰς ἑκάστων ἀνελλιπῶς καὶ ἀδιαστάτως αἰτίας [cf. Aëtii Plac. I·28 4]. Theophrasti mentionem praecedit Peripatetici cuiusdam argumentum, cuius nomen Philo circumscripsit p. 262, 8 προσφιλοτεχνοῦντες δέ τινες τῶν ἀίδιον ὑπολαμβανόντων τὸν κόσμον εἶναι. quodsi Critolaum potissimum in hanc partem vocatum apparet, haud leve momentum accedit in nostram qua proxima ex illo continuata statuimus opinionem. verum satis coniecturarum! nostrum erat ut quaestionem integram peritioribus relinqueremus. forsitan Bernaysii commentario haud inutiliter prolusisse videamur. interea Philonei libelli extrema capita exhibui ex eruditissimi illius viri editione [Abh. d. Königl. Akad. d. Wissensch. z. Berl. 1876 p. 209—278] quam vere principem nuncupare licet, adhibitis paucis Buecheleri nostrisque emendationibus. unum addendum, quod scire intererit. capita disputationis et nexus et verba pleraque ex pristino exemplari descripsit Philo, non tamen sine multis propriae inscitiae exemplis. quidquid enim poeticae lectionis fabellarumque memoriolae inhaerebat, plerumque infelicissime inculcavit. velut Pindari de Delo versus p. 265, 14 falso inseruit, quas turbas librario tribuit Buechelerus Mus. Rh. XXXII p. 442. at ceteri quoque versus praeter exspectationem quamvis minus inepte adduntur, otiosi sunt omnes. ex puerili profecta est ingenio fabella p. 267, 10 sqq. de Indico elephanto, quam tamen ne interpolatori tribuas obstant orationis calamistri, quibus ille delectari solet. gravissimum autem ignorantiae testimonium p. 265, 8, cum Anaphen alterum Deli nomen fuisse addito absurdo veriloquio prodit. scilicet insularum coniunctam memoriam [Plin. II 87. Amm. Marc. XVII 7] homo levissimus conflavit. errorem olim notatum video in C. Schwenckii Deliacorum p. I Francof. 1825 p. 22. gemellum portentum edidit ex literularum suo penu p. 272, 11 cum Aegiran simul cum Helice Buraque periisse credidit. [2] ecce Philonem in historiis turpiter labentem! unde hoc mihi iuris sumo, ut hominis tam malae fidei testimonium, si quid aliunde accessit dubitationis, recusem.

Ad Theophrastum non nulli eum librum rettulerunt qui inter Aristotelea περὶ Ξενοφάνους περὶ Ζήνωνος περὶ Γοργίου inscriptus fertur. verior

---

[1] κατὰ τοὺς ἄριστα φυσιολογοῦντας est Philonis inepta amplificatio. ille haud scio an κατὰ τοὺς Στωικοὺς dederit, quia contra illos disputaturus ipsorum definitionibus utebatur. sed constat excerptori illa promiscue laudandi consuetudo.

[2] cf. Buechelerus l. c. p. 444. excerpta Philonea, quae 'de mundo' inscripta in Aldina feruntur pleraque omittunt illa embolia. unde noli interpolationem posteriorum suspicari. nam excerpta illa Byzantina aetate haud dubie confecta sunt ex archetypo vitiis refertissimo et lacerato (cf. quae obscurius significavit Bernaysius p. 215, 9) quorum antiquam originem odorari nos vetat interpolationum [cf. p. 267, 1] vitiorumque communis cum vulgatis labes, cuius expers est M(ediceus) quippe per meliora exempla ex archetypo ductus. nihilo setius excerptis saepius adhibitis Bernaysius melius aliquanto non solum recensioni sed etiam emendationi consuluisset.

erit index περὶ Μελίσσου Ξενοφάνους Ζήνωνος, quod nunc fere constat. Aristotelis nomen non minus falso traditur, quamvis a Mullachio et Karstenio infirmis causis defensum sit. quorum opinionem cum alii tum Spengelius olim refutaverat (Muenchn. gel. Anz. 1846, 196), quam censuram neque Mullachius nec ceteri inspexisse videntur. ergo ab Aristotele repulsi in Theophrastum inciderunt cuius patronus exstare dicebatur Vaticanus 1302 [1]. sed et adversariis et defensoribus Theophrasteae originis miror ignotum esse quod olim adnotatum est a Brandisio [Act. acad. Berol. hist. phil. 1831, 72] Vaticanum prima manu 'Αριστοτέλους exhibere, quo deleto alteram manum eamque recentiorem addidisse Θεοφράστου. [2] caveamus igitur ne pro antiqua memoria amplexemur litterati cuiusdam qui a Simplicio recens fuit vanam ariolationem. [3] nam omnis huius loci difficultas velut in scopulo haeret in Simpliciani cuiusdam loci adfinitate [Theophrast. Phys. op. fr. 5]. vulgaris fuit opinio omnia Simpliciana μίαν — μόνον e Theophrasto excerpta esse. quod credidit primus Bessario c. calumn. Platon. II 11 p. 32^b ubi Simplicium ille neglegentius expressit. idem hac aetate Bergkius de Arist. libro περὶ ΞΖΓ p. 4, Brandisius comment. eleat. p. 17 atque pertinacius Kernius quaestion. Xenoph. p. 50, beitraege z. darstell. d. philos. d. Xenoph. 1871 p. 3 asseverant. atque hic quidem cum Simpliciana τὸ γὰρ ἓν τοῦτο — ἄλλο ἐλθεῖν Pseudaristoteleis quae adnotavi l. c. respondere videret, maximum inde Theophrasteae originis argumentum sibi petere visus est. in alia omnia discessit Zellerus qui Ueberwegium partim secutus [Philol. VIII 106] quae consentirent ex Pseudo-Aristotele a Simplicio demum adglutinata esse non tam probavit quam posuit. nam quibus rem ille profligari arbitratur ὁ Θεόφραστος ὁμολογῶν ἑτέρας εἶναι μᾶλλον ἢ τῆς περὶ φύσεως ἱστορίας τὴν μνήμην τῆς τούτου δόξης, non prorsus recte adhuc intellecta sunt. neque enim Xenophanem accuratius tractare recusat ille [4] (eatenus consentiunt Zellerus et adversarius), sed omnino alienam ducit hanc de principiis disquisitionem a physicorum humilitate. quod praeivit Aristoteles phys. I 2 p. 184^b 25 τὸ μὲν οὖν εἰ ἓν ἀκίνητον τὸ ὂν σκοπεῖν οὐ περὶ φύσεώς ἐστι σκοπεῖν. [5] similiter de capl. III 1

---

[1] Parisinus 2277 Aristotelis nomen testatur, sed inter Theophrastea ut ille tradit.

[2] Kaibelius meus gratissimum hoc supplementum suppeditavit: 'Vatic. 1302, bombyc. wundervolle Handschrift, wohl nicht aelter als XIV j., obwohl die schrift die der alten pergamenthdschr. des XI j. ist. aber dies ist offenbare wenn auch sehr gelungene Nachahmung. f. 140^r hatte m^1 (dieselbe welche den codex schrieb): 'Αριστοτέλους· περὶ ξενοφάνους· περὶ ζήνωνος· περὶ γοργίου X περὶ ζήνωνος, m^2 (XV oder XVI j.) suchte erst in das Wort 'Αριστοτέλους die Verbesserung Θεοφράστου hineinzubringen; als das nicht deutlich schien, strich sie 'Αριστοτέλους aus und schrieb darüber Θεοφράστου, den übrigen Theil der Ueberschrift unangetastet lassend.'

[3] fortasse etiam illud in causa fuit quod praecedunt libri Theophrastei.

[4] quomodo Aristoteles Metaphys. A 5 986^b 26 ἀφετέοι πρὸς τὴν νῦν παροῦσαν ζήτησιν οἱ μὲν δύο καὶ πάμπαν ὡς ὄντες μικρὸν ἀγροικότεροι Ξενοφάνης καὶ Μέλισσος.

[5] cf. Simplic. ad h. l. p. 5^v 11 ubi scribendum ἀκόλουθον μὲν [ἂν om. DE] ἦν πρῶτον ζητεῖν εἰ [εἰ om. a, addidi ex DEF] εἰσιν ὅλως ἀρχαί.

p. 298[b] 15 οὐθὲν γὰρ οὔτε γίγνεσθαί φασιν οὔτε φθείρεσθαι τῶν ὄντων ἀλλὰ μόνον δοκεῖν ἡμῖν οἷον οἱ περὶ Μέλισσόν τε καὶ Παρμενίδην οὓς εἰ καὶ τἄλλα λέγουσι καλῶς ἀλλ' οὐ φυσικῶς γε δεῖ νομίσαι λέγειν. τὸ γὰρ εἶναι ἄττα τῶν ὄντων ἀγένητα καὶ ὅλως ἀκίνητα μᾶλλόν ἐστιν ἑτέρας καὶ προτέρας ἢ τῆς φυσικῆς σκέψεως. hinc Eudemus ἀρχόμενος τῶν φυσικῶν [Simplic. in phys. p. 11[r] 14 cf. 10[v] 54] ταῦτα μὲν οὖν, inquit, ἑτέρας ἂν εἴη φιλοσοφίας διακριβοῦν. idem Platoni obicit ipse Theophrastus Phys. fr. 10 τοιαῦτα μὲν ὁ Θεόφραστος ἐπιτιμᾷ τῷ Πλάτωνι περὶ τῆσδε τῆς ψυχογονίας οὐδὲ ἐπὶ τῶν φυσικῶν πάντως λέγων δεῖν ἡμᾶς ἐπιζητεῖν τὸ διὰ τί. item fr. de ign. 8 ἀλλὰ γὰρ ταῦτα ἔοικεν ἐς μείζω τινὰ σκέψιν ἐκφέρειν ἡμᾶς τῶν ὑποκειμένων ἢ ζητεῖ τὰς πρώτας αἰτίας. nimirum quae primae philosophiae sunt a naturalium rerum cognitione arcet. Xenophanem autem Theophrastus tam non respuit, ut non solum postea nominatim afferretur [fr. 16] sed paene omnia quae posteri de illo tradunt ex Opinionibus solis petita esse Karstenius scite observaret.

Ergo istuc Kernio concedendum est, eatenus posse ea verba quae post Theophrasti mentionem secuntur ab eodem esse profecta. sed tum illa excusandi gratia praemitti fingamus ab eo qui metaphysica Xenophanis accuratius tractaturus est. neque dissimile eius rei exemplum in Aristotele invenitur qui de Eleatarum principiis disputaturus phys. I 2 p. 185[a] 17 dicit οὐ μὴν ἀλλ' ἐπειδὴ περὶ φύσεως μὲν οὔ, φυσικὰς δὲ ἀπορίας συμβαίνει λέγειν αὐτοῖς ἴσως ἔχει καλῶς ἐπὶ μικρὸν διαλεχθῆναι περὶ αὐτῶν· ἔχει γὰρ φιλοσοφίαν ἡ σκέψις [cf. Kern. Beitr. p. 3]. tantum ex specie fragmenti.

Verum enim vero ultra progrediendum est ut diiudicemus Theophrastine sit illa mantissa an Pseudo-Aristotelis a Simplicio inculcata. haec quaestio cum Xenophanis doctrina iudicanda artissime cohaeret. conclamatum est Aristotelis testimonium metaph. A 5 p. 986[b] 18 Παρμενίδης μὲν γὰρ ἔοικε τοῦ κατὰ τὸν λόγον ἑνὸς ἅπτεσθαι, Μέλισσος δὲ τοῦ κατὰ τὴν ὕλην. διὸ καὶ ὁ μὲν πεπερασμένον ὁ δ' ἄπειρόν φησιν εἶναι αὐτό. Ξενοφάνης δὲ πρῶτος τούτων ἑνίσας (ὁ γὰρ Παρμενίδης τούτου λέγεται μαθητής) οὐθὲν διεσαφήνισεν οὐδὲ τῆς φύσεως τούτων οὐδετέρας ἔοικε θιγεῖν, ἀλλ' εἰς τὸν ὅλον οὐρανὸν ἀποβλέψας τὸ ἓν εἶναί φησι τὸν θεόν. quicunque hunc locum tetigit alius aliud inesse contendit. nobis Susemihlii interpretatio maxime probatur.[1] sed gravis relinquitur suspicio, ne posteriorem interpolatorem passa sint Aristotelis verba. ἑνίσας enim [i. e. πρῶτος ἓν εἶναι τὸ ὂν εἰπών Alexand. p. 33, 11 Bon.] non solum ab Aristotele alienum, sed omnino hac significatione

[1] Philol. Anz. VII 297 Xenophanes habe sich nicht klar geaeussert und auch wohl sich nicht klar gedacht (denn dass auch dies letztere in οὐθὲν διεσαφήνισεν οὐδὲ τῆς φύσεως τούτων οὐδετέρας ἔοικε θιγεῖν liegt, erhellt aus dem gegensatz ἀλλ' εἰς τὸν οὐρανόν κτλ.) ob dem goettlichen All-einen begrenzung oder unbegrenztheit beizulegen sei.' miror ad Xenophanis fluitantem obscuritatem Philonis de deo opiniones nondum esse comparatas, qui eum modo immotum modo causam effectricem, potissimum simpliciter ens nominavit. de loco Aristotelis conferendi sunt Ueberwegius Philol. XXVI 710. Zellerus I[4] 478[1] Teichmuellerus Stud. z. Gesch. d. Begr. 1874 p. 607. Kernius Beitr. p. 6.

inauditum. praeterea διεσαφήνισεν Xenophontea est vox, Aristotelea non item. duodecies quidem a Bonitzio διασαφεῖν numeratur, numquam nisi illic διασαφηνίζειν. quare Aristoteleum διεσάφησεν restituit Vaticanus 256. sed haec omnia gnaris expediendum relinquo. unum certum est [cf. Zeller Phil. d. Gr. I[4] 473 med., Abh. d. Kgl. Ak. d. W. h. ph. Kl. 1877 p. 152] Theophrasti verba fr. 5 μίαν δὲ τὴν ἀρχὴν — ἔλεγεν ὁ Ξενοφάνης prorsus a metaphysicorum loco pendere ita ut ne Parmenidis quidem institutio omittatur. inprimis urgeo ultima τὸ γὰρ [1] ἓν τοῦτο καὶ πᾶν τὸν θεὸν ἔλεγεν ὁ Ξενοφάνης ultimis Aristotelis verbis accurate respondere. de sententia igitur Theophrasti dubitari nequit. verba autem Simplicii num exemplari respondeant perambiguum. [2] immo credibile generaliorem sententiam arbitrio commentatoris Aristoteleae partitioni quam supra exhibui p. 105 ad amussim acommodatam esse. hoc conlatis fragmentorum 1—5 initiis paene certum videtur. nostro vero loco causa gravissima accedit quia aliter reliqua disputatio ὂν ἕνα κτλ. non quadraret. neque quidquam suadet haec ut sequentia ex Pseudo-Aristotele περὶ ΜΞΓ sumpta credere. iam vero in propatulo est Theophrastum ab Aristotele suspensum et ipsum obscuritatem et ambiguitatem Xenophanis non *antinomias* nescio quas dialecticas innuisse. confirmari potest idem aliunde. e Theophrasto enim excerptum est Pseudo-Plutarch. Stromat. § 4 — licet enim hoc praecipere quod infra demonstrabitur —, cuius argumentationem cum Simplicio iuvat componere

Plut. Strom. 4.	Simplic. l. c. = [Aristot.] 977[a] 16
Ξενοφάνης . . . οὔτε γένεσιν οὔτε φθορὰν ἀπολείπει ἀλλ' εἶναι λέγει τὸ πᾶν ἀεὶ ὅμοιον.[3] εἰ γὰρ γίγνοιτο τοῦτο, φησίν, ἀναγκαῖον πρὸ τούτου μὴ εἶναι· τὸ μὴ ὂν δὲ οὐκ ἂν γίνοιτο οὐδ' ἂν τὸ μὴ ὂν ποιήσαι τι οὔτε ὑπὸ τοῦ μὴ ὄντος γένοιτ' ἄν τι.	ἀγένητον δὲ ἐδείκνυεν ἐκ τοῦ δεῖν τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὁμοίου ἢ ἐξ ἀνομοίου γίγνεσθαι. ἀλλὰ τὸ μὲν ὅμοιον ἀπαθές φησιν ὑπὸ τοῦ ὁμοίου· οὐδὲν γὰρ μᾶλλον γεννᾶν ἢ γεννᾶσθαι προσήκει τὸ ὅμοιον ἐκ τοῦ ὁμοίου. εἰ δ' ἐξ ἀνομοίου γίνοιτο, ἔσται τὸ ὂν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. καὶ οὕτως ἀγένητον καὶ ἀίδιον ἐδείκνυεν.

[1] nota particulam causalem. nam cum ad parenthesin ὁμολογῶν — δόξης nullo modo referri possit, quod frustra conatur Kernius Untersuch. ueber die Quellen für die Philos. des Xenoph. Stettin 1877 p. 5 [cf. p. 109] ad priora referenda est et sic intellegenda, Xenophanem omnis naturam non enucleate definisse, sed deum dumtaxat nominasse.

[2] orationis difficultatem sedulo exposuit Kernius Untersuch. über die Quellen p. 1 sqq.

[3] conferantur ceteri Theophrasti imitatores Hippolyt. I 14 2 λέγει δὲ (Xenoph.) ὅτι οὐδὲν γίνεται οὐδὲ φθείρεται οὐδὲ κινεῖται καὶ ὅτι ἓν τὸ πᾶν ἐστιν ἔξω μεταβολῆς. Aët. Plac. I 3 12 [Theodor.] Sext. Pyrrh. H. I 225. Galen. H. Ph. c. 7 p. 234. communem fontem subesse iam Zellerus perspexerat I[4] 492. Xenophanis rationem repraesentari licet ex Parmenid. v. 66 St. [Symb. phil. Bonn. p. 804] οὐδὲ ποτ' ἦν οὐδ' ἔσται ἐπεὶ νῦν ἐστὶν ὁμοῦ πᾶν || ἓν ξυνεχές. τίνα γὰρ γένναν διζήσεαι αὐτοῦ; || πῇ ποθεν αὐξηθέν; οὔτ' ἐκ μὴ ἐόντος ἐάσω || φάσθαι σ' οὐδὲ νοεῖν κτλ. 80 πῶς δ' ἂν ἔπειτ' ἀπόλοιτο πέλον, πῶς δ' αὖ κε γένοιτο; || εἴ κε γένοιτ', οὐκ ἔστ', οὐδ' εἴ ποτε μέλλει ἔσεσθαι.

quam diversa sit utriusque in argumento simili ratio, apparet. contra cum Pseudaristotelea tantum non ad verbum cum Simplicio concinant, nullus dubito Zelleri iam accuratius probatae opinioni subscribere, qui Theophrasto relicto tacito nomine illa compilata esse posuit.

Sed nondum dubitationum apparet finis. unde tandem extrema fr. 5 affluunt ὥστε καὶ ὅταν ἐν ταὐτῷ μένειν λέγῃ — κραδαίνει? quid? Simplicium non solum ratiocinationem sed etiam versus ipsum largitum credamus? innuere videtur Zellerus I^4 474^3 (476). absit ut Simplicio insperatae pro temporibus et eruditionis et diligentiae laudem invideam. at Xenophanem non inspexit. quid enim ad Theophrastum provocat Alexandrum refutaturus cui aditus fuit ad ipsum Xenophanem? memineris velim quo gaudio Diogenem Apolloniaten f. 32^v 40 Parmeniden f. 31^r 48 alios contra falsos interpretes obtenderit. ne multa ipse se frustra Xenophanem quaesivisse testatur [de caelo p. 233^b 23K. 506^a 40 Br.] ἀγνοῶ δὲ ἐγὼ τοῖς Ξενοφάνους ἔπεσι τοῖς περὶ τούτου μὴ ἐντυχὼν πότερον τὸ κάτω τῆς γῆς μέρος ἄπειρον λέγων διὰ τοῦτο μένειν αὐτήν φησιν. [1] et fuit liber veteribus paucissimis visus cf. Karstenii Xenoph. p. 26. hinc apparebit quo iure extrema quoque Theophrasto adscripserim omnia praeter Nicolai sententiam Νικόλαος — ἀπομνημονεύει et Simplicii verba ἀλλ' ὅτι — δῆλον. nam quae Alexandro tribuitur sententia πεπερασμένον αὐτὸ καὶ σφαιροειδές vere Xenophanea esse videtur. utique Theophrastus talia narravit. [2] nolo argutari qua ratione haec cum priore sententia secundum metaphysica conformata conciliaverit, utrum ambiguitatem illam allatis Xenophanis versibus demonstraverit an alia in capite de principio alia in c. de deo attulerit.

At inquies qualem tu fingis Simplicium? istane credis fuisse vel amentia vel impudentia ut quae in Theophrasto legerat et excerpserat contra Alexandrum vaferrime dissimularet? recte mones, nec tamen ab opinione mea recedo. nolo ad exemplaria minus integra confugere, qualia non semel Simplicium confundebant [3]. at quis spondet Theophrastum hoc loco inspectum esse ab interprete? scilicet accuratum, quin etiam putidiorem novimus Simplicium, ipse si testes citat. iam recordare quanta molestia omnia haec nexa sint. neque illud prius non est observatum. taceo de illis ὁμολογῶν — δόξης importune insertis, de oratione subito in directam flexa τὸ γὰρ ἓν τοῦτο κτλ. sed vix ferenda sunt extrema, ubi Alexandri verba interrumpuntur ipsius refutatione. porro sub λέγει, si Simplicianam rationem sequeris audiendus est Alexander, proximo versu φησίν est Xenophanis. hae turbae ad Alexandrum digitum intendunt.

---

[1] Kern Untersuch. p. 6^2 iniuria dubitat. τοῖς περὶ τούτου noli premere.

[2] cf. Hippol. l. c. φησὶ δὲ καὶ τὸν θεὸν εἶναι ἀίδιον καὶ ἕνα καὶ ὅμοιον πάντῃ καὶ πεπερασμένον καὶ σφαιροειδῆ. Cic. Lucull. 37 118 et Sextus cum Galeno l. c. p. 111^3.

[3] Simplic. phys. f. 36^r 11 ἀλλὰ τὰ μὲν εἰς ἐμὲ ἐλθόντα βιβλία [Anaxagorae] τοῦτο τὸ ῥησείδιον οὐκ ἔχει ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἕτερον ὃ παρέθετο ὁ Ἀλέξανδρος ἔχον οὕτως. f. 29^r 13 ἐν γοῦν τῷ πρώτῳ τῶν Φυσικῶν [Eudemus] περὶ Παρμενίδου λέγων ταῦτα γέγραφεν ὡς Ἀλέξανδρός φησιν. ἐγὼ γὰρ οὐχ εὗρον ἐν τῷ Εὐδημείῳ τὴν λέξιν ταύτην.

huic is qui λέγει erat Xenophanes [λέγειν frustra habent DEH] idemque φησίν neque sua sed Theophrasti auctoritate, quamvis eam non nominatim repeteret, ea tutatus erat. iam vero si iustum in ordinem disiecta membra redegeris et Alexandrum primum Theophrastea omnia comprehendisse, deinde Nicolaum, tum auctore sive quia dubitavit sive incuria quadam celato Pseudaristotelea excerpsisse finxeris, plana omnia erunt. nam cum extrema illa, ubi Theophrasti testimonium non iteratum est, pugnare quodammodo cum principio videret, Alexandrum quam Theophrastum accusare maluisse Simplicium consentaneum est.

Fortasse durior haec explicatio cuipiam videatur et Simplicio vix digna. quare exemplum promam, quo aptius et efficacius nullum potest cogitari. f. 9r 1—8 ὁμολογεῖ δὲ ὁ Ἀλέξανδρος ἐν μὲν τοῖς πρὸς ἀλήθειαν ἅπερ ἐστὶ περὶ τοῦ νοητοῦ ὄντος τὸν Παρμενίδην ἓν τὸ ὂν καὶ ἀκίνητον λέγειν, κατὰ δὲ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν καὶ τὰ φαινόμενα φυσιολογῶν οὔτε ἓν λέγων εἶναι τὸ ὂν οὔτε ἀγένητον ἀρχὰς τῶν γινομένων ὑπέθετο πῦρ καὶ γῆν τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην ὑποτιθείς, τὸ δὲ πῦρ ὡς ποιητικὸν αἴτιον καὶ ὀνομάζει, φησί, τὸ μὲν πῦρ φῶς τὴν δὲ γῆν σκότος. καὶ εἰ μὲν κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν καὶ τὰ φαινόμενα οὕτως ὁ Ἀλέξανδρος ἐξεδέξατο, ὡς ὁ Παρμενίδης βούλεται, δοξαστὸν τὸ αἰσθητὸν καλῶν εὖ ἂν ἔχοι, εἰ δὲ ψευδεῖς πάντῃ τοὺς λόγους οἴεται ἐκείνους καὶ ποιητικὸν αἴτιον τὸ φῶς καὶ πῦρ νομίζει λέγεσθαι οὐ καλῶς οἴεται. citantur Parmenidis versus. quae Alexandri verba supra excerpsit, ea germana Theophrasti esse, felici casu discimus ex ipsius Alexandri commentario in metaphys. p. 24, 5 Bon. [fr. 6], cui ceterorum excerptorum varietatem subiunxi. iam si ipsi Theophrasti physica ad manus erant, cur Alexandrum potius quam illum oppugnavit? cur, inquam, fr. 7 Theophrastum ἐν τῷ πρώτῳ τῆς φυσικῆς ἱστορίας ex Alexandro citat? nec secus fr. 15 ... ὡς τὸν Πλάτωνα νομίζουσιν ὅ τε Εὔδημος καὶ ὁ Θεόφραστος καὶ ὁ Ἀλέξανδρος. i nunc et crede Opiniones a Simplicio umquam inspectas!

Theophrastus igitur librum de M X Z — illuc enim redeo — nullo pacto conscribere potuit. nam praeter ea quae alii ut Vermehrenius [die autorschaft der dem Aristotel. zugeschr. schrift π ΞΖΓ p. 14 sq.] congesserunt, una oratio eam originem condemnat. in deliciis est illi τί κωλύει sescentiens repetitum, in Theophrasto nil simile. constans solet particularum usus esse. ecce apud illum ἀλλ' ἄρα p. 975a 18 οὐ μέντοι γε 976a 2 ἐπεί τοί γε 977b 33 οὐ μέντοι—γε 978b 10. frustra ea quaeres in tot Theophrasti libris.[1] contra indicis Hermippei auctoritas [Diog. V 25] vocumque Peripateticarum incorrupta proprietas[2] ad tempora tertio a Chr. saeculo inferiora descendere vetant. nam incredibili iudicio tale quid somniaverat Ueberwegius compend. I[3] 55. rectius Stratoneorum mentionem inicere Usenerum memini.

[1] sentiet lector me utilissima sylloge G. Muelleri [de Theophrasti dicendi ratione Arnstadt. 1874] nisum esse.

[2] categoriae ποσόν p. 978a 19, πρός τι 978b 11, ἔχειν 978b 20. ἐνδελεχῶς 976b 24.

Idem [Anal. Theophr. p. 27] certissime post Schneiderum fragmentum de sensibus quod in Theophrasti reliquiis fertur ex Physicorum opinionibus Alexandrinorum aetate expressum esse probavit. quod ex maiore commentario evulsum esse manifestum fit δέ particula initio servata. neque δοξῶν repetita memoria §§ 1. 2. 58 originem non prodit. praeterea quamvis contractior sit oratio, tamen et enarrandi et refutandi accuratio maior est quam ut suae doctrinae veterum philosophorum censura prolusisse videatur. omnino quam de Opinionum ratione aliunde informatam habemus imaginem illinc tam egregie confirmatam videmus, ut fragmentum illud etsi in restituendo oleum et operam me perdidisse sentio tamen ex doxographorum coetu excludere nefas duxerim.

Ad recensendum Theophrasti de sensibus [1] libellum Brandisii utor apparatu, quem Usenerus humanissime mihi utendum concessit. excerpserat eundem in quinto volumine editionis suae p. 141 sqq. I. G. Schneiderus, sed quia difficilem explicatum habent Brandisii notae, nonnumquam falsa memoravit. neque dubium est quin quas iam plenius ex illius schedis prolaturus sum lectiones codicibus denuo conlatis haud inutiliter aliquis supplere possit [2]. excusserat Brandisius

P Parisinum 1921 chartaceum s. XIV ad H. Stephani editionem exactum. continet Aristotelis de anima libros, parva naturalia cum commentariis, libros zoologicos, Theophrasti de sensibus et de igne libros [cf. Catal. II p. 419.]

F Laurentianum LXXXVII 20 bombycinum, s. fere XIV, foliorum 230 forma quadrata. continet Aristotelem de anima, Themistii paraphr. in Arist. d. anim., Aristotelis parva naturalia, Theophrastum de sensibus, Prisciani metaphrases in Theophr., Theophr. de igne f. 171—178, Aristotelem de coelo, Psellum de daemon., Themist. in Arist. phys. ausc., Aristot. physic. problem. [cf. Bandin. catal. mss. Gr. III p. 382]. de sensibus liber extat f. 147 sqq. conlatus est cum Camotiana.

In PF omnis libelli salus posita est. qui ex libro vitiis omne genus repleto et mutilato nec ita vetusto — nam corruptio per compendia in extrema vocabula grassari diu coeperat — deducti sunt. multo tamen praestat P fideliter descriptus, inferior est alter F neglegentius scriptus,

---

[1] inscribunt codices PF περὶ αἰσθήσεων, Laertii index primus [V 42 cf. Useneri Anal. Theophr. p. 3] περὶ αἰσθήσεων ᾱ de sensu et sensili Abulfaragius Wenrichii [cf. A. Mueller die griech. Philos. in der arab. Ueberlief. p. 22]. Vossianus dedit περὶ αἰσθήσεως, cui addidit Schneiderus ad Aristotelei libri similitudinem καὶ περὶ αἰσθητῶν. ipse Theophrastus si fragmento suum titulum dare voluisset, περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν haud dubie scripsisset. nam haec est libelli partitio §§ 1 et 59. Aëtius quidem IV 8 περὶ αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν, at Aristotelei libri inscriptionem ne Alexander quidem περὶ αἰσθήσεων κ. αἰσθητῶν, sed περὶ αἰσθήσεως κ. αἰσθ. testatur. cf. Usener Jen. Litteraturz. 1876 p. 536.

[2] dum haec corrigo, pleraque quae a Br. ex F notata attuli falsa esse me Hier. Vitelli Florentinus iterum conlato F docuit. ergo p. 115—117 infra retractabo.

ut vel toti versiculi intercciderent, nec interpolationis labe carens. hiatus ampliores extant § 21 μᾶλλον ἂν αἴσθοιντο τῶν ὀσμῶν, quae in P postea addita sunt et § 80 ἔστιν ὁρᾶν δὲ, interpolata sunt § 70 τὸ κάμνον τοῦ μὴ κάμνοντος pro τὸ ὑγιαῖνον τοῦ κάμνοντος, § 80 ὁμοίους pro τοὺς πόρους. utroque mendorum genere idem locus in proximis vitiatus εὐθεῖς κεκτῆσθαι τοὺς πόρους, pro quibus ex P restituta sunt εὐθεῖς εἶναι τῶν λευκῶν τοὺς πόρους. ingens est minutorum vitiorum genus, quibus F velut obductus est. [1] omnia haec Parisino a Brandisio excusso aut correcta aut ad genuinam formam propius adducta sunt. supplementa Parisini maiora margini adscripta et emendatae lectiones inter versiculos additae num prima manu aut paulo postea scripta essent non diiudicavit Brandisius. sed petitae sunt ex optimo libro et incorruptae memoriae. ergo huic codici nostram editionem ita superstruximus ut nisi coacti ab eius fide numquam recederemus.

Quotquot praeter PF exempla in notitiam nostram venere, ea ex deteriore unius F memoria fluxisse videntur. nam cum huius libri scriba multa omisisset omissaque margini ipse adscripsisset, mox legentium manibus orae ita detritae sunt, nunc ut summo oculorum labore non nulla vix ac ne vix quidem legi possint. neque plura librarius exempli illius perspexit unde et Camotii codex et Vossianus graecus Q. 51 derivandi sunt. hic chartaceus s. XVI scriptus continet Theophrasti libr. de sensu, de igne, Aristot. physiognom., tum epistolographorum syllogen. insignitus est intus *Alexander Pauli filius Petavius senator Parisiensis anno 1647.* hic codex cum Camotiana accurate concinit nisi quod immanibus typothetae erroribus caret, qui vitiatae memoria ut cumulus illic sunt additi. Vossiani praecipua discrepantia in Schneiderianae vol. IV p. 515 sqq. enotata est, ipse librum inspexi Hamburgum a Leydensis bibliothecae praefecto eximia liberalitate transmissum. hinc igitur cum utriusque non solum in gravioribus sed etiam in minutiis consensionem observarem velut ἐπιδιὸν § 13 pro ἐπεισιόν [sic PF exhibent, in Voss. postea corr. ἐπειδιόν] et vocabula utrimque eadem manca ut § 8 ἐπι αττειν in Voss., ἐπι ωπτειν in Camot. [PF ἐπιπλάττειν] aut omissa velut § 19 ἐνόντος, idem exemplar utrumque adiisse clare perspexi. nec obscurior huius videtur origo, cum Laurentiani imago in peius ut fit versa usquequaque adgnoscatur. concordantis scripturae farraginem effundere nolo, quae etiamsi summa sit, e gemello fonte manasse dicatur. sed specta mihi evanidos quos dixi Laurentiani locos. § 66 praebet P τὸν δὲ πικρὸν ἐκ μικρῶν κτλ. notatum in F a Brandisio [2] τὸν δὲ πι▇ ἐκ μικρῶν oblitteratis quattuor litteris. tantum ille oculis intentis legerat. quid illi? Camotius

[1] mirum est aequales libros ex eodem exemplari tam diverse transcriptos esse, ut num F ex P male descriptus sit haud frustra quispiam quaerat. sed ad hanc quaestionem solvendam neutrius discrepantia satis accurate et cum pulvisculo ut aiunt excussa est.

[2] qui addit '*die Luecke durch Verloeschen der Schrift entstanden.*'

dedit * ἐκ μικρῶν omissis τὸν δὲ πικρὸν, Vossianus idem ne signo quidem lacunae addito. paulo infra oris Laurentiani evanida haec adscripta invenit Brandisius περιφέρειαν εἰληῦ καὶ κάμπαρον ἔχουσαν. διὸ καὶ γλισχρῶν εἶναι κολλώδη ἅλμυροι δὲ τῷ ἐκ μεγάλων καὶ οὐ περιφερῶν ἀλλ'.[1] legendi laborem supterfugit qui illud exemplar condidit. nam omiserunt omnia et Vossianus et Camotius. idem factum § 70 ubi F καὶ ///// αὐτῶν habet prorsus oblitteratis quae interiecta erant διὰ τῶν vocabulis.[2] inde omiserunt lacuna indicata Camotius cum Vossiano. idem rursus § 13 factum, ubi ἑαυτῷ post διαφωνεῖν prorsus evanidum in F esse testatur Brandisius, omiserunt Camotius Vossianus. § 66 verum habet P ἐπιτυφλοῦν, ἐπι////// extremis funditus deletis F. Vossianus tamen ἐπιτυφλούμενα, Camotius barbare ἐπιτῇ φλούμενα. perversa verbi forma utrum in F olim fuerit an ex obscuratis apicibus postea divinando expleta sit, non diiudicabit nisi qui Laurentiani lituram acrius examinarit. haec igitur tam manifesta sunt originis indicia, ut quemadmodum aliter te expedias prorsus nesciam. at obstare videntur duo loci. primum § 74 recte Camotiana cum Vossiano exhibet εὐδιόδους. ἔτι δὲ, hiat F εὐδϊ. ἔτι. neque obscuratae, ut supra, sed ex mutilato exemplari transcriptae sunt litterae. quid? si P quoque εὐδϊ ἔτι confirmat, antiquumne istis codicem ipso P praestantiorem praesto fuisse censes? at vide quam facile fuerit ex ingenio petere adiectivi supplementum cum praesertim δυσδίοδον § 73 praecederet. neque enim XV saeculo, ubi ex F descriptum esse arbitror, qui coniciendo eatenus valerent defuere. nec desunt attenti librarii alia vestigia. ut § 77 μικρὰν mendoso μακρὰν recte Vossianus cum Camotio substituerunt nec prorsus inepte § 58 παρὰ τῶν πρότερον mutaverunt, ubi F περὶ τῶν πρότερον habet. quid? nasumne illi fuisse negas qui § 30 extr. vitium odoratus δεῖται διορθώσεως οὗτος ὁ λόγος adnotavit.[3] scilicet ἀέρος interpolatum offendit, quod a nobis iam sublatum est. ne Camotius quidem Turrisani laudibus[4] prorsus indignus est. nam § 49 ante ἀλλοιοῦσθαι recte supplevit τῷ, idem § 19 γὰρ δεῖ pro γὰρ δὴ F [Vossianus δῆ] restituit. est ubi falsa quoque inculcaverit ut § 18 ὁρῶμεν pro ὁρᾷ, § 53 ἀνὰ πρόσωπον ὄντας, ubi P F Voss. mendose ἂν πρόσωπον ὄντα pro genuino ἀντιπρόσωπον ὄντα tradiderant. talia attuli ne εὐδιόδους illud tum sine codicum ope restitui potuisse neges. at alter locus cogitando suppleri non potuit. § 2 verba οἱ δὲ τὴν αἴσθησιν

---

[1] Br.: '*am Rande so verblichen dass es fast nicht zu lesen war von den gesperrten Worten nur die zuege zu erkennen.*' vereor ut omnia recte adgnoverit.

[2] '*was in die Luecke faellt leider am Rande des cod. gaenzlich verloescht.*'

[3] in margine Vossiani ab altera parte α̅ Δί τε διόρθωσιν
β̅ οὗτος ὁ λόγος
ab altera inepte scripta sunt ἀέρος. τὰ δὲ μικρὰ τῆς πυκνῆς. transcripta priora esse ex vetustiore exemplo inde conicias quod corruptiora sunt verba, tum quia adscripti numeri sensum iam non habent. cetera autem margini adscripta ex vulgari exemplo recenter sunt addita.

[4] Camotium in praefatione Federicus Turrisanus *librum*, ait, *nunquam antea impressum qui de sensibus inscribitur optime emendatum addendum curavisse.*

ὑπολαμβάνοντες ἐν ἀλλοιώσει γίνεσθαι in P manu prima omissa esse adnotat Brandisius. postea igitur suppleta sunt. omisisse ea etiam F idem clare testatur. at exstat supplementum in Vossiano Camotioque. quid igitur? patiarne propter hunc mihi locum totam rationem perverti? minime ego quidem, dum in Laurentiani margine supplementi ne lituram quidem iam exstare aliquis suis oculis viderit. nam Parisini quandam notitiam istis hoc uno loco praesto fuisse parum credibile. cur autem ex margine supplementum petitum dicam, non dissimulabo. ecce Vossiani Camotiique scripturam:

τῇ ἀπορροίᾳ γίνεται τὸ δ' ὅμοιον φέρεται πρὸς τὸ ὅμοιον
οἱ δὲ τὴν αἴσθησιν ὑπολαμβάνοντες ἐν ἀλλοιώσει γίνεσθαι
τῇ ἀπορροίᾳ γίνεται· τὸ δ' ὅμοιον φέρεται πρὸς τὸ ὅμοιον
καὶ τὸ μὲν ὅμοιον ἅπαντες ὑπὸ τοῦ ὁμοίου κτλ.

primus versiculus quadraginta quattuor litterarum, qui numerus observari potest in multis graecis codicibus [cf. n. jahrb. f. cl. Phil. CV 1872 p. 193[4]] iteratur tertio loco. nempe altero ex margine inserto scribentis oculi ut fieri solet aberrarunt. cum error Vossiano Camotioque sit communis, simul intelleges, cur per traducem ex exemplari paulo vetustiore apographa propagata credam.

Restat ut Parisinum 2073 recentem commemorem, ubi § 66 ampliorem illam lacunam post περιφερῶν inveniri dicit Brandisius et Ottobonianum 45 chartaceum recentem, quem idem [Abh. d. Berl. Akad. 1831 p. 69, 121] in fronte Θεοφράστου περὶ αἰσθήσεων exhibere testatur. Veneti 263 s. XV specimen Brandisius Camotianae adscripsit, unde cum ex Laurentiano fluxisse et cognatum cum Camotiana esse patet. nam § 8 ἐπι ἅπτειν exhibet ibidemque νύκτωρ ante καταλαμβάνεσθαι cum Vossiano Camotioque consentiens omittit nec tamen Camotianae ut exemplar subiectum est quod coniecit I. Morellius[1]. Ottobon. ille 45 (s. XV) et paulo recentior Palatin. 51, quos mea causa G. Kaibelius inspexit, ex Vossiani Camotiique prototypo fluxerunt. Ottobonianus περὶ αἰσθήσεων, alter περὶ αἰσθήσεως inscribitur, uterque περὶ δ' αἰσθήσεως incipit. consentiunt mire inter se ut gemelli. ex Brandisii schedis ab Academia Berolinensi adservatis scio cod. Harleian. 5635 f. 150ᵛ fr. de sens. continere. Monacensis 81 [Hardt I 463] chartaceus, forma maiore, foliorum 250, continet Alexandrum Aphr. in Aristot. metaphys., tum Theophrastum περὶ αἰσθήσεως f. 443—458. initium est περὶ αἰσθήσεως αἱ μὲν omisso δὲ, in fine legitur ἀπηκριβώθη ἐς τὸ ἀρχέτυπον ἀνηκέστως ὂν διεφθαρμένον διὰ μιχαῆλος σοφιανοῦ οὔτε προσθέντος τι ἀφ' ἑαυτοῦ οὔτ' ἀφελόντος ͵αφυβ ἀπριλ. κδ [a. p. Chr. 1552], tum Athenagoram f. 459 et Eunapii vitas phil. et soph. f. 480. quodsi verum est quod Michael Sophianus adserit nihil se addidisse, ex Camotiano exemplo

---

[1] biblioth. manuscr. I 149 *liber de sensu tantopere cum prima editione convenit Ioanne Baptista Camotio curante facta Venetiis anno 1552 t. VI opp. Aristotelis ut illa ex codice hoc expressa videri possit.*

descripsit. nam praeter hoc qui δέ illud memorabile omiserit novi nullum. concinitque subscriptionis annus cum ipso quo Camotiana prodiit. Aldina autem exempla non semel manibus vetere more transcripta esse constat.

Exemplaris summam corruptionem iure querebatur librarius. nam Aldina [Aristotelis vol. VI. Venet. MDLII. oct. p. 483—511], quam Camotius curavit, ut dixi, pessime typis est expressa. quod intellexit H. Stephanus cum iterum editurus esset [Aristotelis et Theophrasti scripta quaedam ex off. H. Stephani an. M. D. LVII p. 17—46] Laurentianumque ad emendandum adhibendum censebat. sed casu impeditus quominus inspiceret, tum cum ederet otio destitutus lento bracchio egit rem difficillimam. quae in transcursu emendari poterant consentaneum est eum praestitisse. multo plura debemus Theophrasti sospitatori I. G. Schneidero [Theophr. opp. 1818—1821], qui cum Brandisii apparatum absoluta sua editione nanctus esset iteratis curis ad vexatissimum illud fragmentum rediit. scriptoris verba exhibet vol. I 647—685, curas secundas II 616 sqq., Camotianae Vossianique varietatem IV 515 sqq., conlatos a Brandisio codices V 141 sqq. Schneidero nititur Philippson, cuius ὕλη ἀνθρωπίνη [Berolini 1831] graeca ad libidinem saepe, interdum sagaciter correcta, discrepantiam editionum codicumque Schneiderianam, latina infeliciter plerumque expressa, denique uberiores commentarios continet. Democriteam apud Theophrastum doctrinam attigerunt Burchardus [Democriti philosophiae de sensibus fragmenta Mind. 1830], Papencordtius [de atomicorum doctrina spec. I Ber. 1832] Heimsoethius [Democriti de anima doctrina Bonn. 1835] Mullachius [Democriti fragm. Berol. 1843], *sententias veterum philosophorum graecorum de visu, lumine et coloribus* Theophrasto saepe explicato collegit E. H. von Baumhauer [Trai. ad Rh. 1843]. Schneiderianam Theophrasti excepit Wimmeri editio [Th. opera ex recogn. Friderici Wimmer. I—III Lips. 1854. 1862]. qui in fragmentis recensendis infelicissime versatus est. piget enumerare quae cum in ceteris tum in fragmento de sensibus aut per socordiam [1] aut per inscitiam corruperit. praestat emendationum utilium quidquid ad desperatum libellum contulit grato animo recensere. omnino tamen cavi ne hominum philosophiae plerumque peritiorum quam artis grammaticae temeraria complementa vel commenta adscriberem omnia. etiam pauciora seligere non voluntas nos sed deploranda fragmenti condicio vetuit.

---

[1] moneo ne quis in errorem trahatur, haec a Wimmero neglegenter mutata aut omissa esse § 1 ποιοῦνται [traditur ποιοῦσιν], § 16 ὅλως om., § 26 δὲ post ὁρᾷ om., § 27 μὲν post γίνεσθαι om., § 34 μᾶλλον post ζῴων om., § 63 αἰσθήσεων pro αἰσθητῶν, § 90 μὲν ante ἀπορροή om. caussas mutandi nec addidit nec facile quis intellegat. quae consulto peccaverit, omitto. sed vide speciminis gr. § 51 haec graeca Wimmeri: ἀπορροὴν ποιοῦντι [traditur ποιοῦντα] τί δεῖ τὴν ἀποτύπωσιν ποιεῖν. Mullachii librum non inspexit, sero Philippsonis cf. Prol. xxxi. aliter plurimas non a se primo excogitatas vidisset emendationes.

IX DE THEOPHRASTI OPINIONUM APUD CICERONEM VESTIGIIS

Quod de Aristotelis rhetorum epitome[1] iudicat M. Tullius adulescens de invent. II 2 6 '*ac veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos unum in locum conduxit Aristoteles et nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue conscripsit atque enodata diligenter exposuit. ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi praestitit, ut nemo illorum praecepta ex ipsorum libris cognoscat sed omnes qui quod illi praecipiant velint intellegere ad hunc quasi quendam multo commodiorem explicatorem revertantur,*' idem dici potest de Theophrasti Opinionum sylloge. atque in ipso Cicerone luculenta exempla inveniuntur. limpidissimus fons scaturit in Academicis eo loco ubi contra Antiochi Sosum[2] Academicorum patrocinium sustinet. quorum dubitatio ut defendatur, philosophorum inprimis in principiis dissensio effunditur.

Lucull. 37 118.

Princeps Thales, unus e septem cui sex reliquos concessisse primas ferunt, ex aqua dixit constare omnia

at hoc Anaximandro populari et sodali suo non persuasit: is enim infinitatem naturae dixit esse e qua omnia gignerentur

post eius auditor Anaximenes infinitum aëra sed ea quae ex eo orerentur definita: gigni autem terram aquam ignem tum ex his omnia

Anaxagoras materiam infinitam sed ex ea particulas similes inter se minutas; eas primum confusas postea in ordinem adductas mente divina

Xenophanes paulo etiam antiquior unum esse omnia neque id esse mutabile et id esse deum neque natum umquam et sempiternum conglobata figura

Parmenides ignem qui moveat, terram quae ab eo formetur

Leucippus plenum et inane

Democritus huic in hoc similis, uberior in ceteris

Empedocles haec pervolgata et nota quattuor

Heraclitus ignem

Melissus hoc quod esset infinitum et inmutabile et fuisse semper et fore

Plato ex materia in se omnia recipiente mundum factum esse censet a deo sempiternum

Pythagorei ex numeris et mathematicorum initiis proficisci volunt omnia.

Ex graeco haec versa esse et solito quidem durius neminem fugit. scilicet Romanum qua gloriatur verborum abundantia deficit impeditum

---

[1] Ἀριστοτέλης . . . διὰ τῆς ἐπιτομῆς τῶν ῥητόρων. Demetrius Magnes apud Laertium II 104. cf. V. Rose Ar. Ps. p. 145 sq.

[2] ex quo libro sub Luculli persona Antiochea doctrina c. 5—18 explicatur. cf. § 10. 11. 29. 49. cf. Krische über Cicero's Academica [Goett. Stud. 1845] p. 193 sq.

nimia vetustae philosophiae ignorantia. inde graeca vacillans et anxius ut caecus sequitur et non numquam fit ut graecis conlatis velut face nimia sermonis obscuritas ac compressio clarescat. velut Xenophanea audi Ξενοφάνης ἓν τὸ πᾶν ἀμετάβλητον καὶ θεὸν εἶναι τοῦτο ἀγένητον καὶ ἀΐδιον σφαιροειδῆ. contractiora sunt graeca ut solent illi, sed quae supra proposui latina etiam horrida. quaerentibus vero graecum exemplar unde Cicero (sive potius quem adhibuit Academicus) philosophorum catalogum excerpserit, observandum est non ultra Platonem opinionum discordiam explicari. nam Stoicorum mentio § 119 post intercapedinem facta itemque Aristotelis et Stratonis c. 38 forma ipsa et specie alienam ac propiorem originem produnt. Platonem igitur tenemus novissimum physicorum eundemque Theophrastei operis ultimum. iam videamus singula.

Thaletis decretum brevius. Anaximander conferendus cum Theophrast. fr. 2 λέγει δ' αὐτὴν ... φύσιν ἄπειρον ἐξ ἧς ἅπαντας γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους.[1] Anaximenis opinio Tullianae consimilis reperitur ibidem Ἀναξιμένης ... τὴν ὑποκειμένην φύσιν καὶ ἄπειρόν φησιν ... οὐκ ἀόριστον δὲ ὥσπερ ἐκεῖνος, ἀλλὰ ὡρισμένην ἀέρα λέγων αὐτήν ... πυκνούμενον δὲ ἄνεμον εἶτα νέφος ἔτι δὲ μᾶλλον ὕδωρ εἶτα γῆν εἶτα λίθους, τὰ δὲ ἄλλα ἐκ τούτων. hinc quae Cicero opponit infinitum aera et definita quae inde oriuntur male intellecta videri possint, verum paulo propius accedit [Plutarchi] Strom. 3 τοῦτον εἶναι τῷ μὲν μεγέθει ἄπειρον, ταῖς δὲ περὶ αὐτὸν ποιότησιν ὡρισμένον. itaque e contrario Simplicianum excerptum minus accurate, quamquam non falso compilatum est. sed turpiter labitur interpres, cum ὁμοιομερείας *Anaxagorae particulas similes inter se* vertit, nisi emendando succurrere volueris.[2] quod addit *minutas* explicandum est ex Diogene II 8 ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μικρῶν σωμάτων τὸ πᾶν συγκεκρίσθαι cf. infra Theophrasteorum conspectus 3. neque rectius hic dubitavisse arbitror Zellerum I[4] 884[1], quam de *mente divina*, qua res confusae adducerentur in ordinem. in eodem certe errore est Aëtius I 7 15 qui νοῦν κοσμοποιὸν τὸν θεόν adgnoscit et Epicureus quisquis est apud eundem I 7 5. sed de Ionicorum theologia infra. Xenophaneorum Theophrastus auctor constat ex eis quae supra p. 111[3] et 112[2] adscripsi. splendida est consensio in Parmenide, cum Peripatetica principia simul appareant cf. fr. 6 [supra p. 113] δύο ποιῶν τὰς ἀρχὰς πῦρ καὶ γῆν, τὴν μὲν ὡς ὕλην, τὸ δ' ὡς αἴτιον καὶ ποιοῦν. cf. Karstenii Parm. p. 225[12]. cum Leucippo conferendum fr. 8, ubi cognata est ratio qua apud Theophrastum Democritus adnectitur παραπλησίως δὲ καὶ ὁ ἑταῖρος αὐτοῦ Δημόκριτος ἀρχὰς ἔθετο τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν cum Tullianis *Democritus huic in hoc similis.* quod ne fortuitum putes confer Hip-

---

[1] similiter Hippolyti, Plutarchi Strom. excerpta. ceteris similior ut brevior Aëtius I 3 3 Ἀναξίμανδρος Πραξιάδου Μιλήσιός φησι τῶν ὄντων ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον. ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίγνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα φθείρεσθαι. cf. infra conspect. 1.

[2] conlatis Anaxag. fr. 6 οὐδὲν ἐοικότων et Augustino [civit. VIII 2 de particulis inter se dissimilibus corpora dissimilia] dissimiles restituere suadet Zeller I[4] 880[1].

polyti excerptum I 13 1 λέγει δὲ ὁμοίως Λευκίππῳ περὶ στοιχείων πλήρους καὶ κενοῦ. in Platonis denique opinione non praetermittendum est quod ὕλη πανδεχής Theophrasti fr. 9 vel molestioribus ambaginibus expressum est *materia in se omnia recipiens*. mundi aeternitas quo-pacto concilianda sit cum deo creatore monet etiam Theophrastus fr. 11.

Si Theophrastei libri vix liniamenta nos tenere memineris, satis congruentiae intra tam paucos versus elucere concedes. sed fortius paratum est persuadendi instrumentum. paulo infra § 123 idem Academicus de terra luna sole electa quaedam proponit. primum Xenophanem,[1] tum vero haec: *Hicetas Syracusius, ut ait Theophrastus* [fr. 18], *caelum solem lunam stellas supera denique omnia stare censet neque praeter terram rem ullam in mundo moveri. quae cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia quae si stante terra caelum moveretur.*

Si recte a Krischeo demonstratum est — nec scio quis audeat contra dicere — Luculli alteram partem ex Clitomachi commentariis petitam esse,[2] non ipse Cicero Theophrastum adiit, sed ille Academicus ex cuius *infinitis quaestionibus* [§ 117] pauca philosophorum dissentientium exempla delibavit atque Theophrastum alterius loci auctorem testemque advocavit. quin priori eandem originem vindicamus, cum praesertim vestigia exstent haud leviter pressa? haec res mihi tam simplex et aperta videtur, ut paucis perfungar. maior exsurgit ac spinosior quaestio de philosophorum indice celeberrimo, quem libro primo inseruit de deorum natura[3] I 10 25—15 41. quem seorsum expressum et cum Philodemo conlatum adnotatione brevissima addita infra exhibui.

Simulatque Philodemi de pietate fragmenta in Neapolitanorum notitiam venerunt, statim intellexerunt — neque fallere potest vel hebetiorem — tantam esse similitudinem ut suo iure descripsisse hinc Romanum autumarent. titulus voluminum nondum tunc innotuerat. itaque cum Phaedri libellum epist. ad Attic. XIII 39 2 postulatum meminissent, fragmentis commenticiam ac barbaram inscriptionem Φαίδρου περὶ φύσεως θεῶν indiderunt, quae a Murrio primum [Philod. v. d. mus. Berl. 1806, p. 22]

---

[1] nomen sine dubio falsum est. cf. Brandis comment. Eleat. p. 56. Karsten. Xen. 171. confusum credo sive a Clitomacho sive a Cicerone Anaxagorae lemma cf. Hippolyt. I 8 10. Aët. II 25 9 Laert. II 8. ridicule imposuit quibusdam Lactantii fraus I. D. III 23 qui conflatis locis Tullianis § 123 et 82 has nugas venditat: *Xenophanes dicentibus mathematicis orbem lunae duodeviginti partibus maiorem esse quam terram stultissime credidit et quod huic levitati fuit consentaneum dixit citra concavum lunae sinum esse aliam terram et ibi aliud genus hominum simili modo vivere quo nos in hac terra vivimus.*

[2] Clitomachum etiam in libris de deorum natura primo et tertio compilatum esse post Schoemannum probavit Hirzelius untersuch. zu Cic. phil. schrift. I p. 32 sqq.

[3] de deorum natura titulum testantur et alii grammatici quos citat Halmius et Probus ad Verg. p. 13 K. cf. supra p. 90.

optima fide prolata mira credulitate propagata est, donec post fragmenta pauca a G. Drummondio 1810 vulgata integrae quotquot exstant reliquiae [coll. alt. Herc. voll. II Neap. 1863] editae sunt. iam simul e litteris prope evanidis Φιλοδήμου περὶ εὐσεβείας enituit [cf. Nauck mél. grec. rom. II 585—626. 627—638] quem titulum ipse extremo priore[1] libro significaverat p. 89, 20 Gomp. τὸν περὶ τῆς εὐσεβείας λόγον. interea cum Ch. Petersenius edito fragmento Drummondiano tum A. Krischeus libro sagacitatis et doctrinae plenissimo [forschung. auf dem gebiete der alten philos. Goett. 1840] Philodemea accuratius examinarunt, quos postea pleniore libello adscito B. Lengnickius eventu tamen haud parili secutus est [ad emendandos explicandosque Ciceronis libros de natura deorum quid ex Philodemi scriptione περὶ εὐσεβείας redundet Hal. 1871]. hinc tantum constat opiniones philosophorum ipsas Ciceronem non collegisse, sed collecta repperisse in Epicureo quodam libro, quem Philodemeum esse propter miram similitudinem innuerunt paene omnes. quis enim Antisthenis ut hoc utar vel Aristotelis vel Persaei Chrysippi Diogenis opiniones iuxta positas perlustrabit, quin in simplicissimam illam coniecturam incidat? tamen quiddam inde nascitur dubitationis, quod parum sensisse videtur Lengnickius nec ab Hirzelio observatum video, qui quasi re bene gesta aliis libri partibus potiorem curam adhibere maluit.

Diu est cum omnes Tullianae istius disputationis stupent et ignorantiam et iniquitatem. in Graeculum transferre invidiam pronum erat, qui nescio quo pacto in contemptum hominum doctorum incidit. Epicureus homo, inquiunt, suapte disciplina occaecatus aliena nec intellegere recte nec proferre incorrupte poterat. hinc Cicero videlicet homo humanus sed nimis festinans ut cetera sic istam conviciorum ac nugarum colluviem fideliter transvexit. audi Lengnickium p. 16: *Ciceronem,* ait, *iudicia confutationesque quibus singulorum philosophorum disciplinas perstrinxit non suo ex ingenio protulisse, sed iam in Philodemi libro indicatum repperisse quas quisque det ansas ad reprehendendum.* haec ille. iam vide quantum ipse p. 42 detrahat: *acerbiora exordia quae apud Ciceronem disciplinis complurium philosophorum ita sunt praemissa ut statim ab initio animi aliorum abalienentur non fuisse Philodemi quem virum scimus elegantem et humanum atque ab hoc acerbe cavillandi studio alienum fuisse.* ita est profecto. Philodemus tantum abhorret ab isto conviciandi furore, ut iusto etiam leniorem se gerat contra Stoicorum cavillationes. hi in Epicurum iecerant p. 79, 28 παιδαριωδῶς λέγεσθαι καὶ γράφεσθαι καὶ πλάττεσθαι θεοὺς ἀνθρωποειδεῖς cf. p. 82, 25. Philodemus nihil contra dixit nisi quod mythologiam duriuscule suis rationibus accommodarent. in ceteris fere cohibuit iudicium neque quidquam Epicureum colorem prodit nisi quod

[1] exstare adhuc in papyro partitionis externa signa mecum per litteras communicavit Gomperzius. hinc corrigendum quod ceterum recte contra Lengnickium disputat Hirzelius p. 20.

urbanam ironiam suo more semel bisve adspersit. quod genus p. 82, 11 Chrysippum hisce dimittit τῆς δριμύτητος ἀπολαύων ἀκοπιάτως et Apollodorum p. 84, 5 καὶ τὰ φορήματα μάλα καταχρύσως τῇ φρονήσει συνοικειοῖ. quid? quod uno eo loco ubi acrius in Persaeum invehitur p. 75, 5 δῆλός ἐστιν ἀφανίζων τὸ δαιμόνιον ἢ μηθὲν ὑπὲρ αὐτοῦ γινώσκων, Cicero quem iudicia quoque transtulisse credunt, in aliam prorsus discedit impugnandi rationem § 38 ***quo quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformis deorum honore adficere aut homines iam morte deletos reponere in deos quorum omnis cultus esset futurus in luctu?*** ne in altero quidem pietatis libro fortior est Philodemus nisi quod semel p. 147, 21 Stoicis male dicit quod οὐκ ἀσεβεῖς ἐδόκουν μόνον ἀλλὰ καὶ φεναχισταί. at singularia haec nec comparanda cum Romani perpetua maledicentia. quantum sit discrimen nulla re magis elucet quam comparato summario reprehensionis apud Philodem. p. 88, 24 βλέπεται δ' ὅτι καὶ κατὰ πάντας τοὺς πρὸ αὐτῶν ἐκκειμένους οὐδὲ εἷς ἂν ἀδικίας ἀπειρχθείη δεδοικὼς τοὺς οὐδ' ἐπικεινηθῆναι δυναμένους [intellegitur Anaxagoras] ἢ τοὺς ἐναργῶς ἀναισθήτους ἢ τοὺς ἄγνωστον εἴ τινες εἰσὶ θεοὶ λέγοντας ἢ ποῖοί τινές εἰσιν [Protagoras] ἢ τοὺς διαρρήδην ὅτι οὐκ εἰσὶν ἀποφαινομένους ἢ φανεροὺς ὄντας ὡς ἀνῄρουν [Persaeus]. κατ' ἐνίους δὲ κἂν ἐπ' αὐτὴν [sc. ἀδικίαν] προτραπείη τοὺς κἂν τοῖς θεοῖς μετὰ φιλαρχίας πόλεμον ἄσπονδον παρεισάγοντας [Parmenides cf. Krische p. 113 vel Empedocles]. admirabere verborum modestiam si Ciceronis convicia contra posueris. hocine tu exemplar fuisse dicis Tullianae petulantiae, hunc ineptiarum inventorem? credant alii, non ego. nec profecto tam lacerata sunt fragmina, ut universae rationis diversitas non appareat. Philodemus nudas plerumque opiniones explicat nullo addito iudicio p. 69 c. 5[d] 6—9 p. 72 c. 7[a] 3 p. 72 c. 7[b] 8, p. 77, 13. Persaeo Stoico uni praemittitur illa quam dixi vituperatio. at Cicero nullum deinceps philosophum praetermittit quin aut ad Epicuream normam exigat aut maledictis figat. ergo haec iudicandi levitas non Graeca est, sed addita a Cicerone. quam inscite et inficete illud cesserit, videant alii. sed hoc non est ferendum, quod quo facilior fieret impugnatio ipsae philosophorum opiniones veteratoria quadam arte inversae et ad Velleii iudicium utcumque praeformatae sunt. quid enim? Anaximenem nonne ideo aera gigni statuisse dicitur nisi ut Velleio prompta sit mortalis dei irrisio? nam quam turpissimi erroris significavi [ad § 26] explicationem, ea Ciceronis fraudulenta levitas parum excusata videtur. quid? quae ipse melius sciebat, simulata ignoratione ea Velleium falso explicantem induxit. Democriti placitum quomodo exponat, sit testimonio. nam primum oratione consulto obscuriore simulacra vagantia nominavit ***imagines eorumque circuitus*** verborum mirabilitate philosophum traducturus [1]. tum vero Velleium Epicureum hominem ea impugnantem facit, quae ipsius schola mordicus tenebat et quae ipse simi-

[1] eodem modo (quod utrumque Schoemannus monuit) *scientiam intellegentiamque nostram* interpretatur, quod *animum scientem et intellegentem* debebat.

liter Velleius profert I 18 46 19 49. nam *deorum naturam quae imagines fundat ac mittat* (§ 29) etiam Epicurei adgnoverunt. et quod *imagines in deorum numero refert,* hoc Epicurei quidem respuerunt, at Cicero compluriens hanc quoque doctrinam Epicureis tribuit. quid? quod utrumque postea II 30 76 coniunxit: *negandum est esse deos quos et Democritus simulacra et Epicurus imagines inducens quodam pacto negat.* cf. Hirzelius l. c. p. 70 sq. tantum constat conviciandi ardore ne sensisse quidem quam inepta et sibi pugnantia Velleio tribueret. Xenophontis opinionem quemadmodum corruperit, nobis ex eius scriptis patet. Ciceronis esse omnem culpam ex fragmento Philodemi c. 6[d] 7[a] p. 71. 72 nostro iure contendimus. nam ille *paucioribus verbis* Xenophontis sententiam non excerpsit sed amputavit, ille sesquialtera pagina Memorabilium locum explicate reddiderat.[1] utriusque fidem ex hac tabula cognosces

Xenophont. IV 13 13	Philodem. p. 71 G.	Cicero § 31.
. . . ἂν μὴ ἀναμένῃς ἕως ἂν τὰς μορφὰς τῶν θεῶν ἴδῃς, ἀλλ' ἐξαρκῇ σοι τὰ ἔργα αὐτῶν ὁρῶντι σέβεσθαι καὶ τιμᾶν τοὺς θεοὺς	οὐχ ὁρᾶσθαί φησιν τοῦ θεοῦ τὴν μορφήν, ἀλλὰ τἄργα . . . . . ὅμως εἶναι	*formam dei quaeri non oportere*

Philodemus id tantum mutavit, ut singularem τοῦ θεοῦ et τὴν μορφὴν substitueret, itemque Cicero, sed hic addito oportere sententiam praeterea invertit. quare equidem non dubito, quin maiores quoque errores sine duce commiserit. certe multo hoc veri similius est, quam quod Sauppeus comment. de Philod. libro qui fuit de piet. p. 7 sumpsit Philodemum hoc loco in eisdem fraudibus esse ac Ciceronem, neque ei Hirzelius debebat temere adstipulari p. 6. ceterum causa mutandi Xenophontis opinionem praeter Epicureum iudicium, quod formam dei desiderat, Platonici loci similitudo fuit. nam cum is § 30 *quid sit omnino deus anquiri oportere* dixisse per fraudem referretur, speciem quoque Xenophonteae opinionis similiorem reddidit Cicero *formam dei quaeri non oportere.* iam ex facili reprehensio repetitur: *quae sunt isdem in erratis fere quibus ea quae de Platone diximus.* simili compendio usus est § 34. nam cum totiens Epicuream hanc vituperationem decantasset '*sensu deum privat et eius formam mutabilem esse vult*', iam nescio qua vel oblivione vel levitate ipsum Heraclidem Ponticum talia prodentem fecit. in Stoicis quoque maligne quaedam accepit velut § 37 Aristonis sententiam *qui neque formam dei intellegi posse censeat,* quam ad Epicuream rationem subdole deflexit.[2] sed multa peccare doctrinae pervulgata cognitio prohibuit. eo licentius in remo-

---

[1] nam etiam altera pagina 7[a] frusta Xenophontea mihi adgnoscere haud dubie contigit. cf. ad Cicer. § 31.

[2] cf. Schoemannus ad § 36 quomodo efficiat animantem.

tissimam Ionicorum theologiam grassatur. illi divinam naturam materiae insitam perhibuere, Tullianus Velleius deum praesentem et efficientem materia diiunctum separavit. quo artificio scilicet omnes deinceps velut plumbeo gladio iugulavit. excusant Ciceronem quasi graeca repetentem. at monstrent mihi isti non dicam Philodemum sed quemlibet scriptorem graecum (christianos semper excipio), qui in tanta versuum paucitate tam saepe tamque turpiter erraverit. errant qui ad Placitorum confugiunt similitudinem. verum est ibi quoque Thaletis Anaximandri Anaximenis deos enumerari. at ne quis falso a materia eos diremptos crederet conceptis verbis cautum est I 7 13 δεῖ δὲ ὑπακούειν ἐπὶ τῶν οὕτως λεγομένων τὰς ἐνδιηκούσας τοῖς στοιχείοις ἢ τοῖς σώμασι δυνάμεις. materiae vegetae et efficaci divinitatem tribuere physiologos idoneus testis est Aristoteles phys. III 4 p. 203^b 13 cf. Theophrast. de sens. § 42. nec Placitorum profecto culpa est quod et olim Cicero et nuper Roethius in ridiculum errorem inciderunt. de Anaxagorae opinione et verbis ineptioribus expressa et mira stribligine detorta egit Hirzelius p. 97. Philodemi fragmento feliciter servato unius esse Ciceronis vel fraudem vel socordiam manifesto patet.

Omnino in Philodemo quantum quidem exstet nihil est simili criminationi obnoxium. quaecunque dispici possunt accuratius et compositius explicantur, Stoicorum opiniones ad librorum excerptorum ordinem ordinantur, in Romano omnia susque deque. cavendum est igitur ne diligentem scriptorem in fallaciarum communionem trahamus, praesertim cum in Cicerone tecta quaedam calumniandi ratio pelluceat. nam cum philosophos illos sub Vellei persona qualibet garriendi impunitate obruit, Epicuream simul levitatem manifesto exemplo notavit. illud consilium iniquius Velleium introducturus significat I 8 18 *tum Velleius fidenter sane, ut solent isti, nihil tam verens quam ne dubitare aliqua de re videretur, tamquam modo ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset: Audite, inquit,* etc. ac similiter postea § 94: *tu ipse paulo ante cum tamquam senatum philosophorum recitares, summos viros desipere delirare dementis esse dicebas. quorum si nemo verum vidit de natura deorum, verendum est ne nulla sit omnino.* ergo Ciceronis et Philodemi ratio diversa. hinc dubitare subit num ipsum Philodemum descripserit Cicero. cum affirment paene omnes, cautius loquitur Schoemannus [edit. 4 p. 18]. quem impugnavit Hirzelius [l. c. p. 5 sqq.] Philodemum sine omni dubitatione adhibitum esse arbitratus. et recte quidem explicavit, cur a Cicerone Heracliti et Persaei opiniones omissae essent. apud Graecum enim Heracliti sine dubio sunt p. 70 c. 6^a haec frusta ὥς φησιν . . . κεραυνὸς πάντ' οἰακίζει καὶ . . . καὶ τὰ ἐναντία τὸν θεὸν εἶναι νύκτα ἡμέραν πόλεμον εἰρήνην . . . . quae e coniectura partim explevi Herm. XIII 2, cf. Hippol. refut. IX 10 p. 446, 23. ad priorem autem locum ipse Philodemus respexit dum Chrysippum recenset p. 81, 16 καὶ τοῖς Ἡρακλείτου συνοικειῶν . . . . κἀν τῷ πρώτῳ μὲν [sc. Περὶ φύσεως] τὴν Νύκτα θεάν φησιν εἶναι πρωτίστην ἐν

δὲ τῷ τρίτῳ τὸν κόσμον ἕνα τῶν φρονίμων συνπολειτευόμενον θεοῖς καὶ ἀνθρώποις, καὶ τὸν πόλεμον καὶ τὸν Δία τὸν αὐτὸν εἶναι καθάπερ καὶ τὸν Ἡράκλειτον λέγειν. haec similitudo ut Philodemi supplementis nostris fidem facit, ita cur omiserit Cicero aperit. nam Heraclitum ceteroqui obscuriorem [cf. d. deor. nat. III 14 35] cum concordantem videret cum Stoicis, vertendi laborem subterfugit. alter philosophus omittitur a Cicerone Prodicus, de quo Philodemus p. 71 c. 6[c] τοὺς μὲν ὑπ' ἀνθρώπων νομιζομένους θεοὺς οὔτ' εἶναί φησιν οὔτ' εἰδέναι, τοὺς δὲ καρποὺς καὶ πάνθ' ὅλως τὰ χρήσιμα πρὸς τὸν βίον τοὺς ἀρχαίους ἀγασθέντας... ne hic quidem temere omittitur. nam quod Hirzelius dubitantius coniecit Prodicum expressum esse a Persaeo Stoico id nunc ex Philodemo p. 75. 76 G. liquido constat, postquam duarum paginarum intercapedinem explevi Herm. XIII 1. ergo hinc etsi Ciceronis consilium explicatur, tamen ut Philodemum potius quam communem utriusque fontem compilatum credas nihil cogit. sed hanc necessitatem imponere videntur quae uberiora sunt in latinis. neque enim Hirzelium qui hanc quaestionem affectavit, nullo modo fugere debebant, quae in Chrysippeis servantur a Cicerone, omissa sunt in graecis fragmentis. neque enim lacunae in papyro illo loco extant tantae, ut haece capere possint § 39 *animi fusionem universam . . . ignem praeterea et eum quem ante dixi aethera, . . . quae natura fluerent atque manarent ut et aquam et terram et aera . . .* § 40 *quae quasi dux vitae et magistra officium sit . . . sempiternam rerum futurarum veritatem.* sint sane non nulla unctiore M. Tullii stilo amplificata, sint omnia ex ipsius memoria addita, tamen non neglegenda sunt eiusmodi vestigia ei qui Philodemi auctoritatem sustentare velit. de qua me aliquantisper dubitasse fateor, cum virum quendam doctissimum ultima prioris libri καιρὸς ἂν εἴη τὸν περὶ τῆς εὐσεβείας λόγον τῆς κατ' Ἐπίκουρον αὐτοῦ παραγράφειν sic explicare meminissem, ut παραγράφειν non *adscribendi* [sc. coronidem] sed *describendi* vim haberet.[1] hinc simul ait viam patere ut Phaedrus ille περὶ θεῶν Ciceroni fons restitueretur, quem et hic et Philodemus, sed accuratius et plenius excerpsisset. nolo diffiteri mihi hanc rationem valde adrisisse. nam alia accedere videbam. primus liber Epicureorum duorum libros respexit: alter fuit Zenonis, quod Petersenius olim divinaverat, confirmavit Hirzelius p. 17 sq., alter philosophorum opiniones complexus, Philodemus ut vulgo credunt. at confer I 33 93 quam dedita opera Phaedrus et Zeno contra ponantur: *nam Phaedro nihil elegantius nihil humanius, sed stomachabatur senex si quid asperius dixeram . . . Zeno quidem non eos solum qui tum erant Apollodorum Silum ceteros figebat maledictis, sed Socraten ipsum parentem philosophiae latino verbo utens scurram Atticum fuisse dicebat, Chrysippum numquam nisi Chrysippam vocabat.* Zenonem etiam I 21 59 sic significavit, ut nisi qui Tulliani moris est ignarus, de fonte dubitare non possit. quid igitur facilius ad creden-

[1] inter alia multa Simplic. d. cael. p. 488a 17 Br. Hipparch. ad Phaen. I p. 173 Pet. Galen. de plac. H. et P. p. 300 K. 404 K. Plut. Demetr. 13.

dum quam alterum librum qui in Philodemo certe Phaedri similior quam Zenonis appareat, esse Phaedri περὶ θεῶν, quem de deorum natura scripturus Cicero ab Attico poposcit? ab altero vero Epicureorum coryphaeo non solum cetera Epicurea fluxisse, sed etiam exemplum conviciandi et cavillandi. Zenonis quidem memoriae § 93 illico continuatur Velleiani iudicii vituperatio § 94, quam supra exhibui p. 125.

At huic opinioni obstare videntur, quae Hirzelius p. 5 profert: *es ist nicht denkbar dass noch in 'gar manchen andern'* [Schoemannum tangit] *epikureischen schriften zugleich citirt worden seien der* φυσικὸς *des Antisthenes . . . ferner das dritte buch des aristotelischen dialogs* περὶ φιλοσοφίας . . . *dann dieselben stellen aus dem ersten und zweiten buche der schrift des Chrysippos* περὶ θεῶν, *endlich die schrift des stoikers Diogenes* . . . itane vero? ex eodem Phaedro non similia excerpere potuerunt Cicero et Philodemus, hic etiam — si mavis — ad verbum fere describere? quia Cicero de fin. II 35 119 Philodemum nominat doctissimum virum vel in Pison. c. 29 ceteris studiis quae fere Epicureos neglegere dicunt perpolitum, quia amplum de philosophis opus conscripsit [Diog. X 3], ideone diligenter ipse philosophorum istum catalogum confecisse putandus est? at constat plura scripta eius vel ex titulo [cf. V. H. V 2 (1843) t. 1 τῶν κατ' ἐπιτομὴν ἐξειργασμένων περὶ ἠθῶν καὶ βίων ἐκ τῶν Ζήνωνος σχολῶν] scholica esse commentaria. neque multum ipse in rhetoricis vel περὶ σημείων praestitit. hoc enim minime erat absonum a philosophorum inde ab Aristotele more, quibus illud κοινὰ τὰ τῶν φίλων latissime patebat. neque quisquam magistrorum scrinia quam validissime poterat compilare vetabatur. ergo Phaedri Epicurei librum Epicureo delibare fas erat, praesertim si non omnia sed philosophos tantum, ut Cicero, excerpturus erat. unde illud quoque explicatum haberet, quod Philodemi et Ciceronis nulla est praeterea similitudo cf. Hirzelius p. 19.[1]

Sed tandem coniecturas mittamus. coniecturas enim dico et vulgatam de Philodemo et hanc novam de Phaedro opinionem. utra verior

---

[1] sed fugit eum Hermarchi librum contra Empedoclem ab utroque citari. a Cicerone I 33 93 [quode Bernays Theophr. ueber die froemmigk. p. 140 contra Schoemannum verissime disputavit] Philodemus p. 101, 13—15 p. 112, 25—27 fortasse etiam p. 99, 9 ἐν τῇ πρώ[τῃ πρὸς Ἐμπεδο]κλέα, si modo p. 98, 27 Є . . . . ΧΟϹΘΟΜ . . ωϹ recte explico Ἕρμαρχός θ' ὁμοίως. quae apud Ciceronem simul Metrodori contra Platonem disputatio designatur, infuisse videtur in libro περὶ θεῶν cf. Philodem. p. 107, 9 Duening de Metrod. p. 27. Epicureis inde ab Epicuri de sanctitate libello sollemnis erat pietatis confessio, praesertim post Posidonium qui *in libro quinto de natura deorum nullos esse deos Epicuro videri quaeque is de deis immortalibus dixerit invidiae detestandae gratia dixisse* [Cic. d. nat. deor. I 44 123] clamaverit. locus illis communis fuit ut Plutarchus [ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν c. 21 p. 1102] confirmat τὰ περὶ θεῶν καὶ θειότητος [l. ὁσιότητος cf. Cobet. Mnemos. N. S. VI 46]. de deis scripserat illo tempore etiam Κλώδιός τις Νεαπολίτης [Porphyr. de abst. p. 44, 31. 58, 27 N.] i. e. Sextus Clodius M. Antonii triumviri magister cf. Arnob. V 18. Lactant. I. D. I 22 Bernays Theophr. ueber die froemmigk. p. 12.

vel certe verisimilior sit, non ego nunc diiudico, diiudicabit qui de Philodemi fontibus fontiumque usu sibi scribere proposuerit. quamquam eius quaestionis partem necesse est tangere, quae est de philosophis apud utrumque similiter recensitis. vulgaris est Krischei opinio ex Placitis maximam partem translatam esse. quod falsum est, si Plutarchi aut Aëtii Placita intellexit, verum aut probabile certe, si quod antiquius Placitorum corpus. nam similis est Ionicorum recensio, si Ciceronis ut par est fraudes exuas, similis quoque de Parmenidis corona opinio, quamvis eam Cicero absurde expresserit. non dissimiles prorsus Empedocles, Democritus. sed distat dilucide maior reliqua pars. quid? quod Protagoras Xenophon Antisthenes a Placitis omnino sunt alieni. taceo Stoicos qui praecipue a Philodemo tam copiose et ad ordinem excerpuntur, ad ipsos Stoicorum libros ut adiisse eum nemo infitietur [cf. Buecheler n. jahrb. f. class. phil. 1865, 514]. de reliquis philosoph isnum quemquam manu triverit, ambigi potest. Platonem certe non evolvit, quippe ubi deum sine corpore frustra quaesivisset. invenit autem in posteriorum commentariis, qualia ad Ciceronis locum adnotavi. Pythagoras Tullianus geminus est illius, quem ex falsarii cuiusdam fortasse Stoici fabrica servavit nobis Alexandri apud Laert. VIII. 25 curiositas. unum ad intellegendum est facile: antiquos philosophos Ionicos,[1] tum Eleatas, fortasse Democritum cum Empedocle a nullo istius aetatis lectos esse, complures ut Anaximandrum et Xenophanem vix singulis exemplaribus etiamtum exstitisse. istius igitur cognitionis rivuli multifariam fortasse deducti et adulterati, arcessiti tamen sunt ex uno capite Theophrasto. nam Aristotelis physica et metaphysica, quae ipsa Ciceronis aetate in usum magis magisque venire coepere, isti graeco scriptori ignota fuerunt qui in populari scriptione de philosophia acquievit. inde erunt, qui e Theophrasti opinionibus si qui est consensus explicandum opinentur. sed citra Theophrastum propior latet fons. iam Krischeum offenderat quasi novicium tale: Θαλῆς νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεόν . . . διήκειν δὲ διὰ τοῦ στοιχειώδους ὑγροῦ δύναμιν θείαν κινητικὴν αὐτοῦ [Plac. I 7 11]. hanc sententiam si quis a Theophrasto repetiverit, non hercle repugnabo. nam ut ille solet magistri verba repetere vel amplificare, Aristoteleam de Thalete coniecturam[2] fortasse amplexus est. unde posteri fortiter affirmarunt velut Laertius I 27 τὸν κόσμον ἔμψυχον καὶ δαιμόνων πλήρη. neque sententia Aëtio alia subest. at oratio est Stoico colore fucata [cf. Krische p. 40], nam νοῦς τοῦ κόσμου et διήκειν sollemnis est illorum de deo praedicatio. ergo Theophrasti nomen haud satis facit consensum explicaturo. immo recentiorem quendam circumspiciamus librum tum con-

[1] excepto Anaxagora qui Philodemo certe ipse innotuisse videtur.

[2] de anim. I 5 p. 411a 7 καὶ ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν [animam] μεμῖχθαί φησιν ὅθεν ἴσως καὶ Θαλῆς ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι cf. Zeller I⁴ 178².

scriptum, cum Stoicorum notiones usquequaque regnare coeperant i. e. eclecticorum aetate, quorum studiis Cicero Varro Arius omnino omnis ultimi ante Chr. saeculi philosophia nititur. [1] atque ex eisdem temporibus Placitorum quoque origines repetendae sunt, quae postea excerpsit et locupletavit Aëtius. sed de his inferius dicam. nunc de Clementis Alexandrini cognatis excerptis corollarii instar disputatio erit, ne quidquam quod ad Ciceronianum locum faciat praeteriisse videamur.

Protreptic. 5 64 p. 55 Pott.

Ἐπιδράμωμεν δὲ εἰ βούλει καὶ τῶν φιλοσόφων τὰς δόξας ὅσας αὐχοῦσι περὶ τῶν θεῶν, εἴ [?] πως καὶ φιλοσοφίαν αὐτὴν κενοδοξίας ἕνεκεν ἀνειδωλοποιοῦσαν τὴν ὕλην ἐφεύρωμεν εἰ [? ἢ] καὶ δαιμόνια ἄττα ἐκθειάζουσαν κατὰ παραδρομὴν παραστῆσαι δυνηθῶμεν ὀνειρώττουσαν τὴν ἀλήθειαν.

Στοιχεῖα μὲν οὖν ἀρχὰς ἀπέλιπον ἐξυμνήσαντες Θαλῆς ὁ Μιλήσιος τὸ ὕδωρ καὶ Ἀναξιμένης ὁ καὶ αὐτὸς Μιλήσιος τὸν ἀέρα,

ᾧ Διογένης ὕστερον ὁ Ἀπολλωνιάτης κατηκολούθησεν.

Παρμενίδης δὲ ὁ Ἐλεάτης θεοὺς εἰσηγήσατο πῦρ καὶ γῆν,

θάτερον δὲ αὐτοῖν μόνον, τὸ πῦρ, θεὸν ὑπειλήφατον Ἵππασός τε ὁ Μεταποντῖνος καὶ ὁ Ἐφέσιος Ἡράκλειτος.

p. 56P. Ἐμπεδοκλῆς γὰρ ὁ Ἀκραγαντῖνος εἰς πλῆθος ἐμπεσὼν πρὸς τοῖς τέτταρσι στοιχείοις τούτοις νεῖκος καὶ φιλίαν καταριθμεῖται . . . [2]

§ 66 p. 57P. Τῶν δὲ ἄλλων φιλοσόφων ὅσοι τὰ στοιχεῖα ὑπερβάντες ἐπολυπραγμόνησάν τι ὑψηλότερον καὶ περιττότερον οἱ μὲν αὐτῶν τὸ ἄπειρον καθύμνησαν ὧν Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος ἦν καὶ Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος καὶ ὁ Ἀθηναῖος Ἀρχέλαος· τούτω μέν γε ἄμφω τὸν νοῦν ἐπεστησάτην τῇ ἀπειρίᾳ·

ὁ δὲ Μιλήσιος Λεύκιππος καὶ ὁ Χῖος Μητρόδωρος διττὰς ὡς ἔοικεν καὶ αὐτὼ ἀρχὰς ἀπελιπέτην τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν.

p. 58P. προσέθηκε δὲ λαβὼν τούτοιν τοῖν δυεῖν τὰ εἴδωλα ὁ Ἀβδηρίτης Δημόκριτος.

ὁ γάρ τοι Κροτωνιάτης Ἀλκμαίων θεοὺς ᾤετο τοὺς ἀστέρας εἶναι ἐμψύχους ὄντας.

οὐ σιωπήσομαι οὐδὲ τὴν τούτων ἀναισχυντίαν. Ξενοκράτης Καλχηδόνιος [3],

---

[1] Tertullianus in simili versatur argumento adv. Marcionem I 13: . . . deos pronuntiaverunt ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem ut Anaximenes aerem ut Anaximander universa coelestia ut Strato caelum et terram, ut Zeno aerem et aetherem, ut Plato sidera quod genus deorum igneum appellat. sed excerptum brevius est quam ut de origine disputari possit.

[2] impugnat iam Clemens philosophos barbarorum cultu obiter memorato. Scythas gladium venerari καθάπερ Εὔδοξος ἐν δευτέρᾳ Γῆς περιόδου λέγει, Sauromatas acinacen ὥς φησιν Ἱκέσιος ἐν τῷ Περὶ μυστηρίων, Persarum magos, Asiae alios incolas, Macedonas ignem ὥς φησι Διογένης ἐν πρώτῳ Περσικῶν, eundem Sauromatas, ut Νυμφόδωρος ἐν Νομίμοις βαρβαρικοῖς. Persas Medos magos sub divo sacra facere ὁ Δείνων λέγει ignem et aquam venerantes. eosdem auctore Artaxerxe signa colere coepisse Βήρωσσος ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν παρίστησι. ambitiosa testium enumeratio alienum fontem adscitum esse monstrat.

[3] vulgo Καρχηδόνιας, Χαλκηδόνιος Hoeschel. Καλχηδόνιος correxerat Krischeus 318[2] ante Cobetum Λόγιος Ἑρμῆς I 244.

οὗτος ἑπτὰ μὲν θεοὺς τοὺς πλανήτας, ὄγδοον δὲ τὸν ἐκ πάντων αὐτῶν [1] συνεστῶτα κόσμον αἰνίττεται.

οὐδὲ μὴν τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς παρελεύσομαι διὰ πάσης ὕλης καὶ διὰ τῆς ἀτιμοτάτης τὸ θεῖον διήκειν λέγοντας οἳ καταισχύνουσιν ἀτεχνῶς τὴν φιλοσοφίαν.

οὐδὲν δὲ οἶμαι χαλεπὸν ἐνταῦθα γενόμενος καὶ τῶν ἐκ τοῦ Περιπάτου μνησθῆναι. καὶ ὅ γε τῆς αἱρέσεως πατὴρ τῶν ὅλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα τὸν καλούμενον ὕπατον ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται, τουτέστι τοῦ κόσμου τὴν ψυχὴν θεὸν ὑπολαμβάνων αὐτὸς αὑτῷ περιπείρεται. ὁ γάρ τοι μέχρι τῆς σελήνης αὐτῆς διορίζων τὴν πρόνοιαν, ἔπειτα τὸν κόσμον θεὸν ἡγούμενος περιτρέπεται τὸν ἄμοιρον τοῦ θεοῦ θεὸν δογματίζων.

ὁ δὲ Ἐρέσιος ἐκεῖνος Θεόφραστος ὁ Ἀριστοτέλους γνώριμος πῇ μὲν οὐρανόν, πῇ δὲ πνεῦμα τὸν θεὸν ὑπονοεῖ.

Ἐπικούρου μὲν γὰρ μόνου καὶ ἑκὼν ἐκλήσομαι, ὃς οὐδὲν μέλειν οἴεται τῷ θεῷ διὰ πάντων ἀσεβῶν. τί γὰρ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός; οὐχ ἔσθ' ὅπῃ οὐχ ἐπὶ τὰ Δημοκρίτου καὶ αὐτὸς κατασύρεται εἴδωλα.

Philosophorum hic delectus duplicis originis est. prior series Thalem ceterosque usque ad Metrodorum, altera philosophos a Democrito usque ad Heraclidem continet. quod incredibili quadam Clementis socordia patefactum est. nam dum de deo sententias philosophorum prolaturus est, nescio unde caput de principio descripsit. inde portentum illud nascitur, quod Parmenidis quae principia sunt ignem terramque [cf. Aëtii Plac. I 3 13] deos nominabat. in confinio est positus Democritus utriusque capitis mire particeps. vide modo: ὁ δὲ Μιλήσιος Λεύκιππος καὶ ὁ Χῖος Μητρόδωρος διττὰς ὡς ἔοικεν καὶ αὐτὼ ἀρχὰς ἀπελιπέτην τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν. προσέθηκε δὲ λαβὼν τούτοιν τοῖν δυεῖν τὰ εἴδωλα ὁ Ἀβδηρίτης Δημόκριτος. haud scio an invenerit qualia sunt in Aëtii Plac. I 3

15 Λεύκιππος Μιλήσιος ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν

17 Μητρόδωρος Θεοκρίτου Χῖος τὰ ἀδιαίρετα καὶ τὸ κενόν

16 Δημόκριτος τὰ ναστὰ καὶ κενά

Deinde cum in alio libro Democriti εἴδωλα [cf. Krische p. 150] invenisset, utroque male conglutinato ineptias meras effecit. iam vero in altera parte, ubi de deis re vera agitur plane mirus est cum Cicerone concentus. quid? in ipso Democrito nonne Tulliana adgnoscis *Democritus qui tum imagines earumque circuitus in deorum numero refert?* cf. Strom. V p. 698 P. porro Alcmaeonis opinio [§ 27] *qui soli et lunae reliquisque sideribus animoque praeterea divinitatem dedit* nonne graecis Clementis Ἀ. θεοὺς ᾤετο τοὺς ἀστέρας εἶναι ἐμψύχους ὄντας respondet, ita tamen ut divinitatis caussa addatur ἐμψύχους ὄντας, quod ex illis *animoque praeterea divinitatem dedit* concluserat Clemens. Aristoteles autem de anima I 2 p. 405ᵃ 30 ex perpetuo motu et immortalitatem animi et astrorum divinitatem effecisse Alcmaeonem tradit.

---

[1] Davisium probat Krischeus πάντων τῶν ἀπλανῶν restituentem. cf. Cicero d. d. n. I 13 34. sed fieri potest ut αὐτῶν ex ἄστρων corruptum sit.

Xenocratis placitum ita pendet a Tulliano exemplari, ut Krischeus certissimum inde argumentum originis petiverit.[1] insignis est praecipue concordia in Aristotele, cuius opiniones uterque eas selegit, quae pugnarent inter se

modo enim menti tribuit omnem divinitatem	ψυχὴν εἶναι τοῦ πάντος οἴεται . . .
modo mundum ipsum deum dicit esse	ἔπειτα τὸν κόσμον θεὸν ἡγούμενος . . .

sed graecus etiam sua admiscuit velut ὁ μέχρι τῆς σελήνης αὐτῆς διορίζων τὴν πρόνοιαν trivialem sane sapientiam, cuius vel minus eruditi gnari erant.[2] est ubi latina religiosius sequatur

nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim menti divinum tribuit principatum, modo caelo	Θεόφραστος . . . πῇ μὲν οὐρανὸν πῇ δὲ πνεῦμα τὸν θεὸν ὑπονοεῖ

Ciceronis mancipium adgnoscis, qui modo—modo graeca formula πῇ μὲν — πῇ δὲ minime vulgari reddidit. alia commemorat Krischeus l. c. p. 345. Epicurum in Epicurei Tulliani recensione non invenit Clemens. unde explicandam puto formulam qua illum praetermittit Ἐπικούρου μὲν γὰρ μόνου καὶ ἑκὼν ἐκλήσομαι κτλ. atque hic erat philosophorum finis legitimus. sed quem prius omiserat Heraclidem iam moleste addidit τί γὰρ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός; οὐκ ἔσθ' ὅπῃ οὐκ ἐπὶ τὰ Δημοκρίτου καὶ αὐτὸς κατασύρεται εἴδωλα. Tullio haec non subripuit. ergo ad priorem fontem rediit. unde forsitan lucis aliquid in obscuram Heraclidis opinionem affulgeat. nam cum generalis quaedam cum indice Sextiano P. H. III 30 similitudo intercedat, qui ex Pseudo-Clementis christiani scriptoris Recognitionibus VIII 15 non nihil supplementi capit [cf. infra in c. de Galeni hist. phil.], atque apud illos Dionysiumque episcopum in libri Περὶ φύσεως [Eus. P. E. XIV 23] excerpto Democritus cum Heraclide coniunctus sit, Clementis errore Democritea idola quae ex Cicerone immiscuit propter viciniam in Platonicum translata esse suspicor. Zelleri quidem patrocinium [II 1^{3} p. 889^{4}] vereor ne irritum sit in eo scriptore qui summa socordia excerpta sua miscere et ad suam libidinem deflectere soleat. sed utut de Heraclide cogitabis, de duplici origine non poterit dubitari. alter liber

---

[1] Forschungen p. 319. *Vielmehr muss er nach der Art zu schliessen, wie er die Goetter aufzaehlt und den obersten Himmel zusammensetzt, mittelbar durch den Roemer selbst angeleitet worden sein.*

[2] haec redeunt Strom. V 14 p. 700 P. accuratius exculta ea doctrina apparet primum apud Ocellum II 22 [Zeller III 2, 117^{3}] tum apud Aëtium II 4 $_{12}$ et II 7 $_{7}$. his similia tradunt iam Alexandri Polyhistoris Pythagorei ap. Laert. VIII 25 cf. [Arist.] de mund. p. 392 a 30. inde Christiani providentiam ex mundo sublunari exclusam itentidem referunt, praeter Clementem Tatian. 2 p. 10 Otto. Origen. in epist. ad Rom. 3 (IV p. 503 b E ed. de la Rue Paris 1759) Euseb. P. E. XV 5 $_{1}$. Hippol. VII 19 p. 325, 25 Gotting. Theodoret. gr. aff. cur. V 47. Epiphan. t. III 496 Oehl. [1087] et alias cf. A. Jahn symb. in Epiphan. Pan. [Oehleri Epiphan. t. IV p. 108 et 109] Gregor. Naz. XXVII p. 495 A. Elias Cret. ed. Jahn. Mign. patrol. gr. t. XXXVI p. 765.

philosophorum de principiis opiniones a Thalete usque ad Democritum et Heraclidem eodem fere quo Sextus l. c. ordine continuit, alter Ciceronis de deorum natura librum excerptum habuit. nam, quod Krischeum recte sensisse video, ipsum Ciceronem non inspexit Clemens. ut latini sermonis gnarus fuerit homo Alexandrinus quod ex Varronis unius nomine, cuius est testimonium de Martis simulacro Protrept. 4 p. 41 P. neutiquam elucet, tantone eum credis stupore fuisse, ut cui Tullii promptissimum de deis caput pateret, ad priores philosophos uti nollet, sed alienissimo potius libro adscito ineptiret? at alios fore auguror, qui ultra Ciceronem egressi Philodemum aut Epicureum certe auctorem perhibeant. contra quos satis est loci Theophrastei commone facere, qui etsi brevissimum est utriusque excerptum, conspicua orationis latinae vestigia traxit. Philodemi autem excerpta prorsus aliter concepta et ampliora sunt. neque fortuitum arbitror, quod Stoicorum fusionem universam, quam in latinis additam supra p. 126 dixi, solam retinuit Clemens [cf. Strom. V 14 90 p. 699 P.]. ergo si latinum ecclesiasticum librum graece versum Clementi praesto fuisse concedis, probabile eum ante Minucii Felicis aetatem scriptum esse, qui Ciceronis tabula ad impugnandos ethnicos c. 19 similiter utitur.

De editis a nobis Tulliani Philodemique librorum capitibus hoc moneo. Ciceronis editionem secutus sum Halmianam, sed ut leviora librariorum menda omitterem, aliquanto uberius promerem virorum doctorum arbitria. ad dextram Philodemi adhibui comparationem Gomperzii opera ut par est nisus. cuius cum integram adnotationem repetere non possem ad coniecturam saepius mihi confugiendum erat, ut pristinae memoriae qualiscunque imago repraesentaretur.

X THEOPHRASTEORUM APUD EXCERPTORES CONSPECTUS.

Quod de Theophrasti Opinionum corporis auctoritate apud posteros et usu adumbravi, iam enucleatius et certius demonstrandum est. quem ad finem priusquam ad singulos scriptores veniamus, potiorum e Theophrasto excerptorum tabulam proponam, qua adscitis eis fragmentis quae nominatim ex illius commentario collecta sunt, Hippolyti Philosophumena Plutarchi Stromata Laertii dogmata denique siquid ex Aëtio quadrat comparabo. hac ratione facillima ad persuadendum et ad perlustrandum commodissima non solum Theophrastum ab uno quoque adhibitum sed etiam quo ordine et qua fide ostendam. nam diverso litterarum genere quantum quisque ubique ab exemplari absit indicabo. praeterea in ordine Hippolytum fidissimum excerptorem sequar, ceteros ita iuxta ponam ut ubi cuiusque scriptoris traditam continuationem aut interrumpere aut transponere necesse fuerit, asteriscos ponam.

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
I 6 1 Θαλοῦ τοίνυν Ἀναξίμανδρος γίνεται ἀκροατής. Ἀναξίμανδρος Πραξιάδου Μιλήσιος.	2 μεθ' ὃν [Thalem] Ἀναξίμανδρον Θάλητος ἑταῖρον γενόμενον	II 1 Ἀναξίμανδρος Πραξιάδου Μιλήσιος.	I 3 3 Ἀναξίμανδρος δὲ Πραξιάδου Μιλήσιός	2 Ἀναξίμανδρος μὲν Πραξιάδου Μιλήσιος Θαλοῦ γενόμενος (διάδοχος καὶ μαθητής) . . . * * *
Οὗτος ἀρχὴν ἔφη τῶν ὄντων φύσιν τινὰ τοῦ ἀπείρου ἐξ ἧς γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους.	τὸ ἄπειρον φάναι τὴν πᾶσαν αἰτίαν ἔχειν τῆς τοῦ παντὸς γενέσεώς τε καὶ φθορᾶς ἐξ οὗ δή φησι τούς τε οὐρανοὺς ἀποκεκρίσθαι καὶ καθόλου τοὺς ἅπαντας ἀπείρους ὄντας κόσμους.		φησι τῶν ὄντων ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον· ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίγνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα φθείρεσθαι, διὸ καὶ γεννᾶσθαι ἀπείρους κόσμους.	λέγει . . . ἑτέραν τινὰ φύσιν ἄπειρον ἐξ ἧς ἅπαντας γίνεσθαι τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίνεσθαι
λέγει δὲ χρόνον ὡς ὡρισμένης τῆς γενέσεως καὶ τῆς οὐσίας καὶ τῆς φθορᾶς.				κατὰ τὸ χρεών, διδόναι γὰρ αὐτὰ δίκην καὶ τίσιν ἀλλήλοις τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν. * * *
6 2 οὗτος μὲν οὖν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον πρῶτος τοὔνομα καλέσας τῆς ἀρχῆς.		οὗτος ἔφασκεν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον τὸ ἄπειρον		ἀρχήν τε καὶ στοιχεῖον εἴρηκε τῶν ὄντων τὸ ἄπειρον πρῶτος τοῦτο τοὔνομα κομίσας τῆς ἀρχῆς.
		οὐ διορίζων ἀέρα ἢ ὕδωρ ἢ ἄλλο τι.		λέγει δ' αὐτὴν μήτε ὕδωρ μήτε ἄλλο τι τῶν καλουμένων εἶναι στοιχείων. * * *
πρὸς δὲ τούτῳ κίνησιν ἀίδιον εἶναι ἐν ᾗ συμβαίνειν γίνεσθαι τοὺς οὐρανούς.	ἀπεφήνατο δὲ τὴν φθορὰν γίνεσθαι καὶ πολὺ πρότερον τὴν γένεσιν ἐξ ἀπείρου αἰῶνος ἀνακυκλουμένων πάντων αὐτῶν.			(ἄπειρόν τινα φύσιν) . . . ἧς τὴν ἀίδιον κίνησιν αἰτίαν εἶναι τῆς τῶν ὄντων γενέσεως ἔλεγε. [Simpl. phys. f. 9v 3]
6 3 τὴν δὲ γῆν εἶναι μετέωρον ὑπὸ μηδενὸς κρατουμένην, μένουσαν δὲ διὰ τὴν ὁμοίαν πάντων ἀπόστασιν.		* μέσην τε τὴν γῆν κεῖσθαι κέντρου τάξιν ἐπέχουσαν. . .	III 11 1 οἱ ἀπὸ Θάλεω τὴν γῆν μέσην.	
τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς γυρὸν στρογγύλον κίονι λίθῳ παραπλήσιον, τῶν δὲ ἐπιπέδων ᾧ μὲν ἐπιβεβήκαμεν ὃ δὲ ἀντίθετον ὑπάρχει.	ὑπάρχειν δέ φησι τῷ μὲν σχήματι τὴν γῆν κυλινδροειδῆ. *		III 10 2 Ἀναξίμανδρος λίθῳ κίονι τὴν γῆν προσφερῆ· τῶν ἐπιπέδων . . .	

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
	2 φησὶ δὲ τὸ ἐκ τοῦ ἀιδίου γόνιμον θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ κατὰ τὴν γένεσιν τοῦδε τοῦ κόσμου ἀποκριθῆναι καί τινα ἐκ τούτου φλογὸς σφαῖραν περιφυῆναι τῷ περὶ τὴν γῆν ἀέρι ὡς τῷ δένδρῳ φλοιόν, ἧς τινος ἀπορραγείσης καὶ εἴς τινας ἀποκλεισθείσης κύκλους ὑποστῆναι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας.		II 11 5 Ἀναξίμανδρος ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος.	* ἐνούσας γὰρ τὰς ἐναντιότητας ἐν τῷ ὑποκειμένῳ ἀπείρῳ ὄντι σώματι ἐκκρίνεσθαί φησιν Ἀναξίμανδρος .... ἐναντιότητες δέ εἰσι θερμὸν ψυχρὸν ξηρὸν ὑγρὸν καὶ αἱ ἄλλαι. [Simpl. in phys. f. 32v 10]
6 4 τὰ δὲ ἄστρα γίνεσθαι κύκλον πυρὸς ἀποκριθέντα τοῦ κατὰ τὸν κόσμον πυρός, περιληφθέντα δ' ὑπὸ ἀέρος.			II 20 1 Ἀναξίμανδρος [solem] κύκλον εἶναι ..... τὴν ἁψῖδα ἔχοντα κοίλην πλήρη πυρός,	
ἐκπνοὰς δ' ὑπάρξαι πόρους τινὰς αὐλώδεις καθ' οὓς φαίνεται τὰ ἄστρα.			κατά τι μέρος ἐκφαίνουσαν διὰ στομίου τὸ πῦρ ὥσπερ διὰ πρηστῆρος αὐλοῦ.	
διὸ καὶ ἐπιφρασσομένων τῶν ἐκπνοῶν τὰς ἐκλείψεις γίνεσθαι. τὴν δὲ σελήνην ποτὲ μὲν πληρουμένην φαίνεσθαι, ποτὲ δὲ μειουμένην παρὰ τὴν τῶν πόρων ἐπίφραξιν ἢ ἄνοιξιν			II 24 2 γίγνεσθαι τὴν ἔκλειψιν [solis] τοῦ στομίου τῆς τοῦ πυρὸς ἐκπνοῆς ἀποκλειομένου II 29 1 Ἀ. [lunam deficere] τοῦ στομίου τοῦ περὶ τὸν τροχὸν ἐπιφραττομένου.	
εἶναι δὲ τὸν κύκλον τοῦ ἡλίου ἑπτακαιεικοσιπλασίονα τῆς σελήνης [?]		II 1 ἀλλὰ καὶ τὸν ἥλιον οὐκ ἐλάττονα τῆς γῆς.	II 21 1 τὸν μὲν ἥλιον ἴσον εἶναι τῇ γῇ, τὸν δὲ κύκλον ἀφ' οὗ τὴν ἐκπνοὴν ἔχει καὶ ὑφ' οὗ φέρεται ἑπτακαιεικοσαπλασίω τῆς γῆς.	
καὶ ἀνωτάτω μὲν εἶναι τὸν ἥλιον, κατωτάτω δὲ τοὺς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων κύκλους.			III 15 6 Ἀ. ἀνωτάτω μὲν πάντων τὸν ἥλιον τετάχθαι, μετ' αὐτὸν δὲ τὴν σελήνην, ὑπὸ δὲ αὐτοὺς τὰ ἀπλανῆ τῶν ἄστρων καὶ τοὺς πλανήτας.	

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
6 τὰ δὲ ζῷα γίνεσθαι ἐξατμιζόμενα ὑπὸ τοῦ ἡλίου, τὸν δὲ ἄνθρωπον ἑτέρῳ ζῴῳ γεγονέναι τουτέστιν ἰχθύι παραπλήσιον κατ' ἀρχάς.	ἔτι φησὶν ὅτι κατ' ἀρχὰς ἐξ ἀλλοειδῶν ζῴων ὁ ἄνθρωπος ἐγεννήθη ἐκ τοῦ τὰ μὲν ἄλλα δι' ἑαυτῶν ταχὺ νέμεσθαι, μόνον δὲ τὸν ἄνθρωπον πολυχρονίου δεῖσθαι τιθηνήσεως. διὸ καὶ κατ' ἀρχὰς οὐκ ἄν ποτε τοιοῦτον ὄντα διασωθῆναι.		V 19 4 Ἀ. ἐν ὑγρῷ γεννηθῆναι τὰ πρῶτα ζῷα φλοιοῖς περιεχόμενα ἀκανθώδεσι, προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἀποβαίνειν ἐπὶ τὸ ξηρότερον καὶ περιρρηγνυμένου τοῦ φλοιοῦ ἐπ' ὀλίγον χρόνον μεταβιῶναι.	

2. EXCERPTA DE ANAXIMENE

7 1 Ἀναξιμένης δὲ καὶ αὐτὸς ὢν Μιλήσιος, υἱὸς δ' Εὐρυστράτου, ἀέρα ἄπειρον ἔφη τὴν ἀρχὴν εἶναι,	3 Ἀναξιμένην δέ φασι τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν τὸν ἀέρα εἰπεῖν καὶ τοῦτον εἶναι τῷ μὲν μεγέθει ἄπειρον ταῖς δὲ περὶ αὐτὸν ποιότησιν ὡρισμένον.	II 3 Ἀναξιμένης Εὐρυστράτου Μιλήσιος... οὗτος ἀρχὴν ἀέρα εἶπε καὶ τὸ ἄπειρον.	I 3 4 Ἀναξιμένης Εὐρυστράτου Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο,	2 Ἀναξιμένης δὲ Εὐρυστράτου Μιλήσιος ἑταῖρος γεγονὼς Ἀναξιμάνδρου μίαν . . . τὴν ὑποκειμένην φύσιν καὶ ἄπειρόν φησιν . . . οὐκ ἀόριστον δὲ . . . ἀλλὰ ὡρισμένην, ἀέρα λέγων αὐτήν.
ἐξ οὗ τὰ γινόμενα καὶ τὰ γενονότα καὶ τὰ ἐσόμενα καὶ θεοὺς καὶ θεῖα γίνεσθαι, τὰ δὲ λοιπὰ ἐκ τῶν τούτου ἀπογόνων.			ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίγνεσθαι καὶ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι.	
*	* * *			* * *
2 κινεῖσθαι δὲ ἀεί, οὐ γὰρ μεταβάλλειν ὅσα μεταβάλλει εἰ μὴ κινοῖτο.	τήν γε μὴν κίνησιν ἐξ αἰῶνος ὑπάρχειν.			κίνησιν δὲ καὶ οὗτος ἀίδιον ποιεῖ δι' ἣν καὶ τὴν μεταβολὴν γίνεσθαι
	* * *			* * *
3 πυκνούμενον γὰρ καὶ ἀραιούμενον διάφορον φαίνεσθαι.	γεννᾶσθαί τε πάντα κατά τινα πύκνωσιν τούτου καὶ πάλιν ἀραίωσιν.			διαφέρειν δὲ μανότητι καὶ πυκνότητι κατὰ τὰς οὐσίας
ὅταν γὰρ εἰς τὸ ἀραιότερον διαχυθῇ, πῦρ γίνεσθαι, ἀνέμους δὲ πάλιν εἰς ἀέρα πυκνούμενον, ἐξ ἀέρος δὲ νέφος ἀποτελεῖσθαι κατὰ τὴν πίλησιν, ἔτι δὲ μᾶλλον ὕδωρ, ἐπὶ πλεῖον πυκνωθέντα γῆν καὶ εἰς τὸ μάλιστα πυκνότατον λίθους.				καὶ ἀραιούμενον μὲν πῦρ γίνεσθαι, πυκνούμενον δὲ ἄνεμον, εἶτα νέφος ἔτι δὲ μᾶλλον ὕδωρ εἶτα γῆν, εἶτα λίθους, τὰ δὲ ἄλλα ἐκ τούτων.

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
* 7 4 τὴν δὲ γῆν πλατεῖαν εἶναι ἐπ' ἀέρος ὀχουμένην.	3 πιλουμένου δὲ τοῦ ἀέρος πρώτην γεγενῆσθαι λέγει τὴν γῆν πλατεῖαν μάλα. διὸ καὶ κατὰ λόγον αὐτὴν ἐποχεῖσθαι τῷ ἀέρι.		III 15 8 'Α. διὰ τὸ πλάτος ἐποχεῖσθαι τῷ ἀέρι.	
* 5 γενονέναι δὲ τὰ ἄστρα ἐκ γῆς διὰ τὸ τὴν ἰκμάδα ἐκ ταύτης ἀνίστασθαι, ἧς ἀραιουμένης τὸ πῦρ γίνεσθαι ἐκ δὲ τοῦ πυρὸς μετεωριζομένου τοὺς ἀστέρας συνίστασθαι.	καὶ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τὰ λοιπὰ ἄστρα τὴν ἀρχὴν τῆς γενέσεως ἐκ γῆς ἔχειν.			
εἶναι δὲ καὶ γεώδεις φύσεις ἐν τῷ τόπῳ τῶν ἀστέρων συμπεριφερομένας ἐκείνοις.			II 13 10 'Αναξιμένης πυρίνην μὲν τὴν φύσιν τῶν ἄστρων περιέχειν δέ τινα καὶ γεώδη σώματα συμπεριφερόμενα τούτοις ἀόρατα.	
6 οὐ κινεῖσθαι δὲ ὑπὸ γῆν τὰ ἄστρα λέγει, καθὼς ἕτεροι ὑπειλήφασιν ἀλλὰ περὶ γῆν ὡσπερεὶ περὶ τὴν ἡμετέραν κεφαλὴν στρέφεται τὸ πιλίον.		II 3 κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄστρα οὐχ ὑπὸ γῆν ἀλλὰ περὶ γῆν.	II 16 6 'Α. οὐχ ὑπὸ τὴν γῆν ἀλλὰ περὶ αὐτὴν στρέφεσθαι τοὺς ἀστέρας.	
* 7 ἀνέμους δὲ γεννᾶσθαι ὅταν ἐκπεπυκνωμένος (?) ὁ ἀὴρ ἀραιωθεὶς φέρηται, συνελθόντα δὲ καὶ ἐπὶ πλεῖον παχυνθέντα νέφη γίνεσθαι, καὶ οὕτως εἰς ὕδωρ μεταβάλλειν. χάλαζαν δὲ γίνεσθαι ὅταν ἀπὸ τῶν νεφῶν τὸ ὕδωρ καταφερόμενον παγῇ, χιόνα δὲ ὅταν αὐτὰ ταῦτα ἐνυγρότερα ὄντα πῆξιν λάβῃ.			III 4 1 'Α. νέφη μὲν γίνεσθαι παχυνθέντος ἐπὶ πλεῖον τοῦ ἀέρος, ... χιόνα δὲ ἐπειδὰν τὸ καταφερόμενον ὕδωρ παγῇ, χάλαζαν δ' ὅταν συμπεριληφθῇ τι τῷ ὑγρῷ πνευματικόν.	
8 ἀστραπὴν δ' ὅταν τὰ νέφη διιστῆται βίᾳ πνευμάτων. τούτων γὰρ διισταμένων λαμπρὰν καὶ πυρώδη γίνεσθαι τὴν αὐγήν.			III 3 1. 2 Ἀναξίμανδρος ἐκ τοῦ πνεύματος ταυτὶ πάντα συμβαίνειν. ὅταν γὰρ περιληφθὲν νέφει παχεῖ βιασάμενον ἐκπέσῃ ..... ἡ δὲ διαστο-	

Hippolyti	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
		λῇ παρὰ τὴν μελανείαν τοῦ νέφους τὸν διαυγασμὸν ἀποτελεῖ. Ἀναξιμένης ταὐτὰ τούτῳ, προστιθεὶς τὸ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἥτις σχιζομένη ταῖς κώπαις παραστίλβει.	
7 8 ἶριν δὲ γεννᾶσθαι τῶν ἡλιακῶν αὐγῶν εἰς ἀέρα συνεστῶτα πιπτουσῶν.		III 5 10 Ἀ. ἶριν γίνεσθαι κατ᾽ αὐγασμὸν ἡλίου πρὸς νέφει πυκνῷ καὶ παχεῖ καὶ μέλανι . . .	
σεισμὸν δὲ τῆς γῆς ἐπὶ πλεῖον ἀλλοιουμένης ὑπὸ θερμασίας καὶ ψύξεως.		III 14 3 Α. ξηρότητα καὶ ὑγρότητα τῆς γῆς αἰτίαν τῶν σεισμῶν ὧν τὴν μὲν αὐχμοὶ γεννῶσι, τὴν δὲ ἐπομβρίαι.	

3. EXCERPTA DE ANAXAGORA

8 1 μετὰ τοῦτον γίνεται Ἀναξαγόρας Ἡγησιβούλου ὁ Κλαζομένιος. οὗτος ἔφη τὴν παντὸς ἀρχὴν νοῦν καὶ ὕλην, τὸν μὲν νοῦν ποιοῦντα τὴν δὲ ὕλην γινομένην.	II 6 Ἀναξαγόρας Ἡγησιβούλου ἢ Εὐβούλου Κλαζομένιος. οὗτος . . . πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέστησεν, ἀρξάμενος οὕτω τοῦ συγγράμματος . . .	I 3 5 Ἀναξαγόρας Ἡγησιβούλου Κλαζομένιος . . . . . . καὶ τὰς μὲν ὁμοιομερείας ὕλην, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον νοῦν τὸν τὰ πάντα διαταξάμενον. ἄρχεται δὲ οὕτως·	4 Ἀναξαγόρας μὲν γὰρ Ἡγησιβούλου Κλαζομένιος κοινωνήσας τῆς Ἀναξιμένους φιλοσοφίας πρῶτος μετέστησε τὰς περὶ τῶν ἀρχῶν δόξας καὶ τὴν ἐλλείπουσαν αἰτίαν ἀνεπλήρωσε.
ὄντων γὰρ πάντων ὁμοῦ νοῦς ἐπελθὼν διεκόσμησεν.	πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα ὁ νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. *	ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δὲ αὐτὰ . . διεκόσμησε * * *	*
τὰς δ᾽ ὑλικὰς ἀρχὰς ἀπείρους ὑπάρχειν καὶ τὰς σμικροτέρας [?] αὐτῶν ἄπειρα λέγει.	8 ἀρχὰς δὲ τὰς ὁμοιομερείας . . . . ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μικρῶν σωμάτων τὸ πᾶν συγκεκρίσθαι. cf. Prol. p. 120.	ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰς ὁμοιομερείας ἀπεφήνατο.	ʽκαὶ οὕτω μὲν οὖν᾽ φησι [Theophrastus] ʽλαμβανόντων δόξειεν ἂν ποιεῖν τὰς μὲν ὑλικὰς ἀρχὰς ἀπείρους ὥσπερ εἴρηται, τὴν δὲ τῆς κινήσεως καὶ τῆς γενέσεως αἰτίαν μίαν.᾽
2 κινήσεως δὲ μετέχειν τὰ πάντα ὑπὸ τοῦ νοῦ κινούμενα. *	καὶ νοῦν μὲν ἀρχὴν κινήσεως,		
τὸ μὲν οὖν πυκνὸν καὶ ὑγρὸν καὶ τὸ σκοτεινὸν καὶ ψυχρὸν καὶ πάντως τὰ βαρέα συνελθεῖν ἐπὶ τὸ μέσον, ἐξ ὧν παγέντων τὴν γῆν ὑποστῆναι, τὰ δ᾽ ἀντικείμενα τούτοις τὸ θερμὸν καὶ τὸ λαμπρὸν καὶ τὸ ξηρὸν καὶ τὸ κοῦφον εἰς τὸ πρόσω τοῦ αἰθέρος ὁρμῆσαι.	τῶν δὲ σωμάτων τὰ μὲν βαρέα τὸν κάτω τόπον ὡς τὴν γῆν, τὰ δὲ κοῦφα τὸν ἄνω ἐπισχεῖν ὡς τὸ πῦρ, ὕδωρ δὲ καὶ ἀέρα τὸν μέσον.		

Hippolyti	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
8 3 τὴν δὲ γῆν τῷ σχήματι πλατεῖαν εἶναι... 4 τῶν δ' ἐπὶ γῆς ὑγρῶν τὴν μὲν θάλασσαν ὑπάρξαι τά τε ἐν αὐτῇ ὕδατα ἐξατμισθέντα ...	II 8 οὕτω γὰρ ἐπὶ τῆς γῆς πλατείας οὔσης τὴν θάλασσαν ὑποστῆναι διατμισθέντων ὑπὸ τοῦ ἡλίου τῶν ὑγρῶν.		
*	* * *		
5 τὸν δὲ Νεῖλον αὔξεσθαι κατὰ τὸ θέρος καταφερομένων εἰς αὐτὸν ὑδάτων ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς ἄρκτοις (?) χιόνων.		IV 1 3 [de Nilo] 'Αναξαγόρας ἐκ τῆς χιόνος τῆς ἐν τῇ Αἰθιοπίᾳ τηκομένης μὲν ἐν τῷ θέρει ψυχομένης δ' ἐν τῷ χειμῶνι.	
6 ἥλιον δὲ καὶ σελήνην καὶ πάντα τὰ ἄστρα λίθους εἶναι	οὗτος ἔλεγε τὸν ἥλιον μύδρον εἶναι διάπυρον	II 20 6 'Αναξαγόρας μύδρον ἢ πέτρον διάπυρον εἶναι τὸν ἥλιον cf. III 13 3.	
* * *			
8 ὑπερέχειν δὲ τὸν ἥλιον μεγέθει τὴν Πελοπόννησον.	καὶ μείζω τῆς Πελοποννήσου	II 21 3 'Α. πολλαπλάσιον Πελοποννήσου.	
τὸ δὲ φῶς τὴν σελήνην μὴ ἴδιον ἔχειν ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἡλίου.		II 28 5 Θαλῆς πρῶτος ἔφη ὑπὸ τοῦ ἡλίου φωτίζεσθαι .... 'Αναξαγόρας ὁμοίως.	
*			
9 ἐκλείπειν δὲ τὴν σελήνην γῆς ἀντιφραττούσης, ἐνίοτε δὲ καὶ τῶν ὑποκάτω τῆς σελήνης		II 29 7 'Αναξαγόρας ὥς φησι Θεόφραστος καὶ τῶν ὑποκάτω τῆς σελήνης ἐσθ' ὅτε σωμάτων ἐπιπροσθούντων.	fr. 19
τροπὰς δὲ ποιεῖσθαι καὶ ἥλιον καὶ σελήνην ἀπωθουμένους ὑπὸ τοῦ ἀέρος.		II 23 2 τροπὴν γίγνεσθαι ἀνταπώσει τοῦ πρὸς ταῖς ἄρκτοις ἀέρος.	
*			
10 ἔφη δὲ γηίνην εἶναι τὴν σελήνην ἔχειν τε ἐν αὐτῇ πεδία καὶ φάραγγας.	τὴν δὲ σελήνην οἰκήσεις ἔχειν ἀλλὰ [cf. p. 35] καὶ λόφους καὶ φάραγγας.	II 25 9 'Α. ... στερέωμα διάπυρον ἔχον ἐν ἑαυτῷ πεδία καὶ ὄρη καὶ φάραγγας.	
	* * *		
τὸν δὲ γαλαξίαν ἀνάκλασιν εἶναι τοῦ φωτὸς τῶν ἄστρων τῶν μὴ καταλαμπομένων ὑπὸ τοῦ ἡλίου.	9 καὶ τὸν γαλαξίαν ἀνάκλασιν εἶναι τῶν ὑπὸ φωτὸς ἡλιακοῦ μὴ καταλαμπομένων ἄστρων.	III 1 5 'Α. τὴν σκιὰν τῆς γῆς κατὰ τόδε τὸ μέρος ἵστασθαι τοῦ οὐρανοῦ ὅταν ὑπὸ τὴν γῆν ὁ ἥλιος γενόμενος μὴ πάντα περιφωτίζῃ.	
	τοὺς δὲ κομήτας σύνοδον πλανητῶν φλόγας ἀφιέντων.	III 2 2 'Α. καὶ Δημόκριτος σύνοδον ἀστέρων δυοῖν ἢ καὶ πλειόνων κατὰ συναυγασμόν.	
τοὺς δὲ μεταβαίνοντας ἀστέρας ὡσεὶ σπινθῆρας ἀφαλλομένους γίνεσθαι ἐκ τῆς κινήσεως τοῦ πόλου.	τοὺς δὲ διᾴττοντας οἷον σπινθῆρας ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἀποπάλλεσθαι.	III 2 9 'Α. τοὺς καλουμένους διᾴττοντας ἀπὸ τοῦ αἰθέρος σπινθήρων δίκην καταφέρεσθαι, διὸ καὶ παραυτίκα σβέννυσθαι.	

Hippolyti	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
8 11 ἀνέμους δὲ γίνεσθαι λεπτυνομένου τοῦ ἀέρος ὑπὸ τοῦ ἡλίου	II 9 ἀνέμους γίνεσθαι λεπτυνομένου τοῦ ἀέρος ὑπὸ τοῦ ἡλίου		
βροντὰς δὲ καὶ ἀστραπὰς ἀπὸ θερμοῦ γίνεσθαι ἐμπίπτοντος εἰς τὰ νέφη.	βροντὰς σύγκρουσιν νεφῶν, ἀστραπὰς ἔκτριψιν νεφῶν	III 3 4 'Α. ὅταν τὸ θερμὸν εἰς τὸ ψυχρὸν ἐμπέσῃ — τοῦτο δ' ἐστὶν αἰθέριον μέρος εἰς ἀερῶδες — τῷ μὲν ψόφῳ τὴν βροντὴν ἀποτελεῖ κτλ.	
12 σεισμοὺς δὲ γίνεσθαι τοῦ ἄνωθεν ἀέρος εἰς τὸν ὑπὸ γῆν ἐμπίπτοντος· τούτου γὰρ κινουμένου καὶ τὴν ὀχουμένην γῆν ὑπ' αὐτοῦ σαλεύεσθαι.	σεισμὸν ὑπονόστησιν ἀέρος εἰς γῆν.	III 15 4 'Α. ἀέρος ὑποδύσει τῇ μὲν πυκνότητι τῆς ἐπιφανείας προσπίπτοντος τῷ δὲ ἔκκρισιν λαβεῖν μὴ δύνασθαι τρόμῳ τὸ περιέχον κραδαίνοντος.	
ζῷα δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν ἐξ ὑγροῦ γενέσθαι μετὰ ταῦτα δὲ ἐξ ἀλλήλων. καὶ ἄρρενας μὲν γίνεσθαι ὅταν ἀπὸ τῶν δεξιῶν μερῶν ἀποκριθὲν τὸ σπέρμα τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τῆς μήτρας κολληθῇ, τὰ δὲ θήλεα κατὰ τοὐναντίον.	ζῷα γενέσθαι ἐξ ὑγροῦ καὶ θερμοῦ καὶ γεώδους, ὕστερον δὲ ἐξ ἀλλήλων. καὶ ἄρρενα μὲν ἀπὸ τῶν δεξιῶν, θήλεα δὲ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν.	V 7 4 'Α. Παρμενίδης τὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν καταβάλλεσθαι εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τῆς μήτρας, τὰ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ ἀριστερά, εἰ δ' ἐναλλαγείη τὰ τῆς καταβολῆς γίνεσθαι θήλεα.	

4. EXCERPTA DE ARCHELAO

9 1 'Αρχέλαος τὸ μὲν γένος 'Αθηναῖος υἱὸς δὲ 'Απολλοδώρου.	II 16 'Αρχέλαος 'Αθηναῖος ἢ Μιλήσιος πατρὸς 'Απολλοδώρου ὡς δέ τινες Μύδωνος μαθητὴς 'Αναξαγόρου διδάσκαλος Σωκράτους * * *	I 3 6 'Αρχέλαος 'Απολλοδώρου 'Αθηναῖος	4 καὶ 'Αρχέλαος ὁ 'Αθηναῖος ᾧ καὶ Σωκράτη 𐅵 συγγεγονέναι φασίν, 'Αναξαγόρου γενομένῳ μαθητῇ ἐν μὲν τῇ γενέσει τοῦ κόσμου καὶ τοῖς ἄλλοις πειρᾶταί τι φέρειν ἴδιον, τὰς ἀρχὰς δὲ τὰς αὐτὰς ἀποδίδωσιν ὥσπερ 'Αναξαγόρας.
οὗτος ἔφη τὴν μῖξιν τῆς ὕλης ὁμοίως 'Αναξαγόρᾳ τάς τε ἀρχὰς ὡσαύτως. *	17 καὶ τὸ πᾶν ἄπειρον * * *	ἀέρα ἄπειρον καὶ τὴν περὶ αὐτὸν πυκνότητα καὶ μάνωσιν.	
2 εἶναι δ' ἀρχὰς τῆς κινήσεως ἀποκρίνεσθαι (?) ἀπ' ἀλλήλων τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν. . .	16 ἔλεγε δὲ δύο αἰτίας εἶναι γενέσεως θερμὸν καὶ ὑγρόν * * *	τούτων δὲ τὸ μὲν εἶναι πῦρ, τὸ δὲ ὕδωρ.	
τηκόμενον δὲ τὸ ὕδωρ εἰς μέσον ῥεῖν ἐν ᾧ κατακαιόμενον ἀέρα γίνεσθαι καὶ γῆν ὧν τὸν μὲν ἄνω φέρεσθαι τὴν δὲ ὑφίστασθαι κάτω. * * *	17 τηκόμενόν φησι τὸ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ καθὸ μὲν εἰς τὸ πυρῶδες [l. πηλῶδες?] συνίσταται ποιεῖν γῆν, καθὸ δὲ περιρρεῖ [?] ἀέρα γεννᾶν * * *		
3 . . . τὴν τῶν ἀστέρων εἶναι φύσιν ὧν μέγιστον μὲν ἥλιον . . .	μέγιστον τῶν ἄστρων τὸν ἥλιον.		

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
* * * 9 5 περὶ δὲ ζῴων φησίν, ὅτι θερμαινομένης τῆς γῆς τὸ πρῶτον ἐν τῷ κάτω μέρει ὅπου τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐμίσγετο ἀνεφαίνετο τά τε ἄλλα ζῷα πολλὰ καὶ ἄνθρωποι, ἅπαντα τὴν αὐτὴν δίαιταν ἔχοντα ἐκ τῆς ἰλύος τρεφόμενα. ἦν δὲ ὀλιγοχρόνια.		γεννᾶσθαι δέ φησι τὰ ζῷα ἐκ θερμῆς τῆς γῆς καὶ ἰλὺν παραπλησίαν γάλακτι οἷον τροφὴν ἀνιείσης. οὕτω δὲ καὶ τοὺς ἀνθρώπους ποιῆσαι.		

5. EXCERPTA DE XENOPHANE

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
14 1 Ξενοφάνης δὲ ὁ Κολοφώνιος Ὀρθομένους υἱός.	4 Ξενοφάνης δὲ ὁ Κολοφώνιος . . .	IX 18 Ξενοφάνης Δεξίου ἢ ὡς Ἀπολλόδωρος Ὀρθομένους Κολοφώνιος	I 3 12 Ξενοφάνης μὲν οὖν ὁ Ὀρθομένους ὁ Κολοφώνιος	fr. 5 Ξενοφάνη τὸν Κολοφώνιον τὸν Παρμενίδου διδάσκαλον.
* * * 2 λέγει δὲ ὅτι οὐδὲν γίνεται οὐδὲ φθείρεται οὐδὲ κινεῖται καὶ ὅτι ἓν τὸ πᾶν ἐστιν ἔξω μεταβολῆς.	οὔτε γένεσιν οὔτε φθορὰν ἀπολείπει, ἀλλ' εἶναι λέγει τὸ πᾶν ἀεὶ ὅμοιον.	* * * πρῶτός τ' ἀπεφήνατο ὅτι πᾶν τὸ γινόμενον φθαρτόν (?) ἐστι	ἓν εἶναι τὸ πᾶν ἔφησε II 4 11 Ξενοφάνης . . . . ἀγέννητον καὶ ἀίδιον καὶ ἄφθαρτον τὸν κόσμον	* * * ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν (καὶ οὔτε πεπερασμένον οὔτε ἄπειρον οὔτε κινούμενον οὔτε ἠρεμοῦν)
φησὶ δὲ καὶ τὸν θεὸν εἶναι ἀίδιον καὶ ἕνα καὶ ὅμοιον πάντῃ καὶ πεπερασμένον καὶ σφαιροειδῆ καὶ πᾶσι τοῖς μορίοις αἰσθητικόν.	* * * ἀκούειν δὲ καὶ ὁρᾶν καθόλου καὶ μὴ κατὰ μέρος.	* * * 19 οὐσίαν θεοῦ σφαιροειδῆ μηδὲν ὅμοιον ἔχουσαν ἀνθρώπῳ. ὅλον δ' ὁρᾶν καὶ ὅλον ἀκούειν, μὴ μέντοι ἀναπνεῖν, σύμπαντά τ' εἶναι [sc. deum] νοῦν καὶ φρόνησιν καὶ ἀίδιον. * * *	I 3 12 σφαιροειδὲς καὶ πεπερασμένον οὐ γεννητὸν ἀλλ' ἀίδιον καὶ πάμπαν ἀκίνητον.	* * * Ἀλέξανδρος δὲ ὡς πεπερασμένον αὐτὸ καὶ σφαιροειδές . . . πεπερασμένον δὲ καὶ σφαιροειδὲς αὐτὸ διὰ τὸ πανταχόθεν ὅμοιον λέγει
3 τὸν δὲ ἥλιον ἐκ μικρῶν πυριδίων ἀθροιζομένων γίνεσθαι καθ' ἑκάστην ἡμέραν,	* * * φησὶ δὲ καὶ τὸν ἥλιον ἐκ μικρῶν καὶ πλειόνων πυριδίων ἀθροίζεσθαι * * * τὸν δὲ ἥλιόν φησι καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα ἐκ τῶν νεφῶν γίνεσθαι.		II 20 3 Θεόφραστος ἐν τοῖς φυσικοῖς γέγραφεν ἐκ πυριδίων μὲν τῶν συναθροιζομένων ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, συναθροιζόντων δὲ τὸν ἥλιον. ibid. [cf. II 13 14] Ξ. ἐκ νεφῶν πεπυρωμένων εἶναι τὸν ἥλιον.	fr. 16
τὴν δὲ γῆν ἄπειρον εἶναι καὶ μήτε ὑπ' ἀέρος μήτε ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ περιέχεσθαι.	* * * ἀποφαίνεται δὲ καὶ τὴν γῆν ἄπειρον εἶναι καὶ κατὰ πᾶν μέρος μὴ περιέχεσθαι ὑπὸ ἀέρος.		III 9 4 Ξ. ἐκ τοῦ κατωτέρω μέρους εἰς ἄπειρον ἐρριζῶσθαι.	

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
14 3 καὶ ἀπείρους ἡλίους εἶναι καὶ σελήνας, τὰ δὲ πάντα εἶναι ἐκ γῆς.	4 γίνεσθαι δὲ ἅπαντα ἐκ γῆς.	II 19 κόσμους δ' ἀπείρους	II 24 9 Ξ. πολλοὺς εἶναι ἡλίους καὶ σελήνας κατὰ τὰ κλίματα τῆς γῆς καὶ ἀποτομὰς καὶ ζώνας. I 3 12 Ξ .... ἀρχὴν τῶν πάντων εἶναι τὴν γῆν cf. Theodoret. l. c.	
4 οὗτος τὴν θάλασσαν ἁλμυρὰν ἔφη διὰ τὸ πολλὰ μίγματα συρρέειν ἐν αὐτῇ. ὁ δὲ Μητρόδωρος διὰ τὸ ἐν τῇ γῇ διηθεῖσθαι τούτου χάριν γίνεσθαι ἁλμυράν.	* * *		III 16 5 Μητρόδωρος διὰ τὸ διηθεῖσθαι διὰ τῆς γῆς μετειληφέναι τοῦ περὶ αὐτὴν πάχους καθάπερ τὰ διὰ τῆς τέφρας ὑλιζόμενα.	23 ὡς ἄρα τὸ ὕδωρ τὸ διὰ τῆς γῆς διηθούμενον καὶ διαπλῦνον αὐτὴν ἁλμυρὸν γίνεται .... ταύτης ... τῆς δόξης ἐγένοντο Ἀναξαγόρας τε καὶ Μητρόδωρος.
5 ὁ δὲ Ξενοφάνης μῖξιν τῆς γῆς πρὸς τὴν θάλασσαν γίνεσθαι δοκεῖ καὶ τῷ χρόνῳ ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ λύεσθαι ... 6 ἀναιρεῖσθαι δὲ τοὺς ἀνθρώπους πάντας ὅταν ἡ γῆ κατενεχθεῖσα εἰς τὴν θάλασσαν πηλὸς γένηται.	ἀποφαίνεται δὲ καὶ τῷ χρόνῳ καταφερομένην συνεχῶς καὶ κατ' ὀλίγον τὴν γῆν εἰς τὴν θάλασσαν χωρεῖν.			

6. EXCERPTA DE PARMENIDE

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
11 1 καὶ γὰρ καὶ Παρμενίδης ἓν μὲν τὸ πᾶν ὑποτίθεται ἀΐδιόν τε καὶ ἀγέννητον καὶ σφαιροειδές, οὐδὲ αὐτὸς ἐκφεύγων τὴν τῶν πολλῶν δόξαν	5 Παρμενίδης δὲ ὁ Ἐλεάτης ὁ ἑταῖρος Ξενοφάνους ἅμα μὲν καὶ τῶν τούτου δοξῶν ἀντεποιήσατο ἅμα δὲ καὶ τὴν ἐναντίαν ἐνεχείρησε στάσιν. ἀΐδιον μὲν γὰρ τὸ πᾶν καὶ ἀκίνητον ἀποφαίνεται κατὰ τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν. εἶναι γὰρ αὐτὸ ʽμοῦνον μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀγένητον', γένεσιν δὲ τῶν καθ' ὑπόληψιν ψευδῆ δοκούντων εἶναι.	IX 21 Ξενοφάνους δὲ διήκουσε Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης· τοῦτον [Xenophanem] Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι. * * * 22 δισσήν τ' ἔφη εἶναι τὴν φιλοσοφίαν τὴν μὲν κατ' ἀλήθειαν τὴν δὲ κατὰ δόξαν. * * *	I 3 13 καὶ Παρμενίδης δὲ ὁ Πύρρητος ὁ Ἐλεάτης Ξενοφάνους ἑταῖρος γενόμενος κατὰ μὲν τὸν πρῶτον λόγον ξύμφωνα τῷ διδασκάλῳ ξυγγέγραφεν. αὐτοῦ γὰρ δὴ τόδε τὸ ἔπος εἶναί φασι ʽοὖλον μουνογενές τε καὶ ἀτρεμὲς ἠδ' ἀγένητον'. αἰτίαν δὲ τῶν ὅλων οὐ τὴν γῆν μόνον καθάπερ ἐκεῖνος ἀλλὰ καὶ τὸ πῦρ εἴρηκεν οὗτος.	6 ʽτούτῳ δ' ἐπιγενόμενος Παρμενίδης Πύρητος ὁ Ἐλεάτης' — λέγει δὲ καὶ Ξενοφάνην — ʽἐπ' ἀμφοτέρας ἦλθε τὰς ὁδούς. καὶ γὰρ ὡς ἀΐδιόν ἐστι τὸ πᾶν ἀποφαίνεται καὶ γένεσιν ἀποδιδόναι πειρᾶται τῶν ὄντων οὐχ ὁμοίως περὶ ἀμφοτέρων δοξάζων, ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν μὲν ἓν τὸ πᾶν καὶ ἀγένητον καὶ σφαιροειδὲς ὑπολαμ-

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
πῦρ λέγων καὶ γῆν τὰς τοῦ παντὸς ἀρχάς, τὴν μὲν γῆν ὡς ὕλην, τὸ δὲ πῦρ ὡς αἴτιον καὶ ποιοῦν.		IX 21 δύο τ' εἶναι στοχεῖα πῦρ καὶ γῆν καὶ τὸ μὲν δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν τὴν δ' ὕλης.		βάνων, κατὰ δόξαν δὲ τῶν πολλῶν εἰς τὸ γένεσιν ἀποδοῦναι τῶν φαινομένων δύο ποιῶν τὰς ἀρχάς, πῦρ καὶ γῆν, τὴν μὲν ὡς ὕλην, τὸ δ' ὡς αἴτιον καὶ ποιοῦν.
	καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐκβάλλει ἐκ τῆς ἀληθείας.		IV 9 1 Πυθαγόρας ... Παρμενίδης ... ψευδεῖς εἶναι τὰς αἰσθήσεις.	
	φησὶ δὲ ὅτι εἴ τι παρὰ τὸ ὂν ὑπάρχει τοῦτο οὐκ ἔστιν ὄν, τὸ δὲ μὴ ὂν ἐν τοῖς ὅλοις οὐκ ἔστιν. οὕτως οὖν τὸ ὂν ἀγένητον ἀπολείπει.	* * *		7 'τὸ παρὰ τὸ ὂν οὐκ ὄν, τὸ οὐκ ὂν οὐδέν, ἓν ἄρα τὸ ὄν.'
		22 αὐτὸν [l. αἴτια] δ' ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν ἐξ ὧν τὰ πάντα συνεστάναι καὶ τὸν νοῦν καὶ τὴν ψυχὴν ταὐτὸν εἶναι	IV 5 12. Π. καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Δημόκριτος ταὐτὸν νοῦς καὶ ψυχή.	d. sens. 3 δυοῖν ὄντοιν στοιχείοιν κατὰ τὸ ὑπερβάλλον ἐστὶν ἡ γνῶσις. ἐὰν γὰρ ὑπεραίρῃ τὸ θερμὸν ἢ τὸ ψυχρόν . . . . 4 τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι καὶ τὸ φρονεῖν ὡς ταὐτὸ λέγει.
		* * *		
		πρῶτος δ' οὗτος τὴν γῆν ἀπέφηνε σφαιροειδῆ καὶ ἐν μέσῳ κεῖσθαι.	III 15 7 Παρμ. Δημόκρ. διὰ τὸ πανταχόθεν ἴσον ἀφεστῶσαν μένειν ἐπὶ τῆς ἰσορροπίας	fr. 17 . . . πρῶτον ὀνομάσαι . . καὶ τὴν γῆν στρογγύλην, ὡς δὲ Θεόφραστος Παρμενίδην.

7. EXCERPTA DE LEUCIPPO ET DEMOCRITO

	Diogenis			
12 1 Λεύκιππος δὲ Ζήνωνος ἑταῖρος οὐ τὴν αὐτὴν δόξαν διετήρησεν, ἀλλά φησιν ἄπειρα εἶναι καὶ ἀεὶ κινούμενα καὶ γένεσιν καὶ μεταβολὴν συνεχῶς οὖσαν.	IX 30 Λεύκιππος Ἐλεάτης . . . κατ' ἐνίους δὲ Μήλιος [l. Μιλήσιος]. οὗτος ἤκουσε Ζήνωνος. ἤρεσκε δ' αὐτῷ ἄπειρα εἶναι τὰ πάντα καὶ εἰς ἄλληλα μεταβάλλειν. * * * πρῶτός τ' ἀτόμους ἀρχὰς ὑπεστήσατο * * *	IX 31 τὸ μὲν πᾶν ἄπειρόν φησιν ὡς προείρηται.	13 15 Λεύκιππος Μιλήσιος... I 18 3 Δημόκριτος . . . Λεύκιππος . . . τὰ μὲν ἄτομα ἄπειρα τῷ πλήθει, τὸ δὲ κενὸν ἄπειρον τῷ μεγέθει·	8 Λεύκιππος δὲ ὁ Ἐλεάτης ἢ Μιλήσιος — ἀμφοτέρως γὰρ λέγεται περὶ αὐτοῦ ... οὐ τὴν αὐτὴν ἐβάδισε Παρμενίδῃ καὶ Ξενοφάνει περὶ τῶν ὄντων ὁδόν...... οὗτος ἄπειρα καὶ ἀεὶ κινούμενα ὑπέθετο τὰ στοιχεῖα, τὰς ἀτόμους καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς σχημάτων ἄπειρον τὸ πλῆθος.

Hippolyti	Diogenis IX 30	Diog. IX 31—33. 44	Aëtii	Theophrasti fragm.
12 1 στοιχεῖα δὲ λέγει τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν.	τό τε πᾶν εἶναι κενὸν καὶ πλῆρες σωμάτων.	τούτου δὲ τὸ μὲν πλῆρες εἶναι τὸ δὲ κενόν, καὶ στοιχεῖά φησιν.	I 3 15 ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν.	
2 κόσμους δὲ γίνεσθαι λέγει, ὅταν εἰς μέγα κενὸν ἐκ τοῦ περιέχοντος ἀθροισθῇ πολλὰ σώματα καὶ . συρρυῇ, προσκρούοντα ἀλλήλοις συμπλέκεσθαι τὰ ὁμοιοσχήμονα καὶ παραπλήσια τὰς μορφὰς καὶ περιπλεχθέντων ἀστέρας γίνεσθαι,	τούς τε κόσμους γίνεσθαι σωμάτων εἰς τὸ κενὸν ἐμπιπτόντων καὶ ἀλλήλοις περιπλεκομένων. ἔκ τε τῆς κινήσεως κατὰ τὴν αὔξησιν αὐτῶν γίνεσθαι τὴν τῶν ἀστέρων φύσιν.	κόσμους τ' ἐκ τούτων ἀπείρους εἶναι καὶ διαλύεσθαι εἰς ταῦτα. γίνεσθαι δὲ τοὺς κόσμους οὕτω. φέρεσθαι κατ' ἀποτομὴν ἐκ τῆς ἀπείρου πολλὰ σώματα παντοῖα τοῖς σχήμασιν εἰς μέγα κενόν, ἅπερ ἀθροισθέντα δίνην ἀπεργάζεσθαι μίαν καθ' ἣν προσκρούοντα καὶ παντοδαπῶς κυκλούμενα διακρίνεσθαι χωρὶς τὰ ὅμοια πρὸς τὰ ὅμοια . . . . . τὰ δὲ λοιπὰ συμμένειν καὶ περιπλεκόμενα συγκατατρέχειν ἀλλήλοις καὶ ποιεῖν πρῶτόν τι σύστημα σφαιροειδές.	II 1 3 . . . . . Λεύκιππος . . . . ἀπείρους κόσμους	
		32 τοῦτο δ' οἷον ὑμένα ὑφίστασθαι περιέχοντ' ἐν ἑαυτῷ παντοῖα σώματα. *	II 2 2 Λεύκιππος καὶ Δημόκριτος σφαιροειδῆ τὸν κόσμον II 7 2 Λεύκιππος καὶ Δημόκριτος χιτῶνα κύκλῳ καὶ ὑμένα περιτείνουσι τῷ κόσμῳ διὰ τῶν ἀγκιστροειδῶν ἀτόμων συμπεπλεγμένον.	
		αὐτόν τε πάλιν τὸν περιέχοντα οἷον ὑμένα αὔξεσθαι . . . . . εἶτ' ἐκπυρωθέντα τὴν τῶν ἀστέρων ἀποτελέσαι φύσιν. *		
αὔξειν δὲ καὶ φθίνειν διά τινα ἀνάγκην· τίς δ' ἂν εἴη ἡ ἀνάγκη οὐ διώρισεν.		33 εἶναι δ' ὥσπερ γενέσεις κόσμου, οὕτω καὶ αὐξήσεις καὶ φθίσεις καὶ φθορὰς κατά τινα ἀνάγκην, ἣν ὁποία ἐστὶν οὐ διασαφεῖ.		
13 1 Δημόκριτος δὲ Λευκίππου γίνεται γνώριμος. . . 2 λέγει δὲ ὁμοίως Λευκίππῳ περὶ στοιχείων πλήρους καὶ κε-		44 ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους καὶ κενόν.	I 3 16 Δημόκριτος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης ὁ Δαμασίππου τὰ ναστὰ καὶ τὸ κενόν.	8 cf. p. 120 sq. παραπλησίως δὲ καὶ ὁ ἑταῖρος αὐτοῦ Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης ἀρχὰς ἔθετο τὸ πλῆρες καὶ

Hippolyti	Plutarchi Strom.	Diogenis	Aëtii	Theophrasti fragm.
νοῦ τὸ μὲν πλῆρες λέγων ὄν, τὸ δὲ κενὸν οὐκ ὄν.				τὸ κενόν, ὧν τὸ μὲν ὄν, τὸ δὲ μὴ ὂν ἐκάλει.

8. EXCERPTA DE DIOGENE

12 Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα ὑφίσταται στοιχεῖον ... ἀπείρους τε εἶναι τοὺς κόσμους.	IX 57 Διογένης Ἀπολλοθέμιδος Ἀπολλωνιάτης ... * στοιχεῖον εἶναι τὸν ἀέρα κόσμους ἀπείρους καὶ κενὸν ἄπειρον	I 3 28 Διογένης δὲ ὁ Ἀπολλωνιάτης ἀέρα ἄπειρον.	2 καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης .... τὴν δὲ τοῦ παντὸς φύσιν ἀέρα καὶ οὗτός φησιν ἄπειρον εἶναι καὶ ἀίδιον,
κοσμοποιεῖ δὲ οὕτως· ὅτι τοῦ παντὸς κινουμένου καὶ ᾗ μὲν ἀραιοῦ ᾗ δὲ πυκνοῦ γινομένου, ὅπου συνεκύρησε, τὸ πυκνὸν συστροφὴν ποιῆσαι καὶ οὕτω τὰ λοιπὰ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον τά⟨τε⟩ κουφότατα τὴν ἄνω τάξιν λαβόντα τὸν ἥλιον ἀποτελέσαι.	τόν τ' ἀέρα πυκνούμενον καὶ ἀραιούμενον γεννητικὸν εἶναι τῶν κόσμων.		ἐξ οὗ πυκνουμένου καὶ μανουμένου καὶ μεταβάλλοντος τοῖς πάθεσι τὴν τῶν ἄλλων γίνεσθαι μορφήν.

XI DE HIPPOLYTI PHILOSOPHUMENIS

Quaecunque in illo conspectu ex Hippolyto collata sunt, merae sunt Physicorum Opinionum in epitomen coactae reliquiae. quem thesaurum ut sine dispendio ex reliqua Philosophumenon farragine secernere possimus, Hippolyti quam credimus Refutationis accuratius examinemus librum primum, quem notum est in codicibus seorsum sub ficto Origenis nomine circumferri. sed praeter peculiarem titulum Φιλοσοφουμένων [1] etiam maioris inscriptionis memoria in libris propagata est, velut ante prooemium post philosophorum tabulam in codice Barberino f. 4v ἀρχὴ τῆς πρώτης βίβλου τοῦ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἐλέγχου. [2] continet is liber graecae philosophiae compendium, quippe unde sectae christianae omnem opinionum vafritiem furati sint. principio in animo fuerat Hippolyto quattuor graecanicae

[1] is titulus sine dubio primum tantum librum comprehendit. nam IX 8 p. 442 ἀλλ' εἰ καὶ πρότερον ἔκκειται ὑφ' ἡμῶν ἐν τοῖς Φιλοσοφουμένοις ἡ δόξα Ἡρακλείτου spectat ad I 4.

[2] in Laurent. inscribitur Ὠριγένους φιλοσοφουμένων, et post indicem ante prooemium οὐδένα μῦθον haec: τάδε ἔνεστιν ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἐλέγχου.

pestis velut antesignanos proponere Thalem Pythagoram Empedoclem Heraclitum. at consilium non constitit.[1] sed ab Anaximandro deinceps ad Archelaum physici proferuntur. tum Socrate stricto Parmenides Leucippus cum Democrito Xenophanes Ecphantus Hippo secuntur. hos porro excipiunt Socrates Plato Aristoteles Stoici Epicurei Academici, agmen claudunt Indi Druidae Hesiodus.

Qui Hippolyti librorum scribendorum rationem ex reliquis libris novit quam accurate ut hoc utar Iosepho de bello Iud. II 8 sq. in l. IX vel Sexto Empirico X 310 sq. ad l. X summarium usus sit [cf. P. Cruice prol. ad Philosoph. ed. Par. 1860 p. xxIII], is primum librum labore minimo aliunde surreptum statim intellegit. accuratius rerum discrepantiam rimanti duo compendia conflata esse patet. unum ex genere διαδοχῶν, alterum dogmatum. duplex origo quodam pacto significatur c. 5 φιλοσοφίαν κατὰ διαδοχὴν ἀναδραμεῖν et c. 17 τὰ τοῖς φυσικοῖς δόξαντα.

Prior libellus fuisse videtur exilis Vitarum epitome Laertio Diogene multo et brevior et futtilior sed haud absimili forma. hic primo solus ad manus fuit, unde coryphaeorum Thaletis Pythagorae Empedoclis Heracliti capita fluxerunt. conspicuus est apophthegmatis vulgaribus et narratiunculis, opiniones strictim noviciisque augmentis locupletatae referuntur. sic 1 2 ἐκ γὰρ αὐτοῦ τὰ πάντα συνίστασθαι πηγνυμένου καὶ πάλιν διανιεμένου Thaleti opinio Anaximenea tribuitur cuius erroris socii sunt Simplicius phys. 32^a 46 Philopon. Phys. c 1^r 50. Galen. I 444. 442. 484. Arnob. adv. gent. II 10 [Zeller I^4 175^3 $180^{4\,6}$]. eadem forma constat Pythagorei capitis prior particula 2 1—5. nam scriptor Pythagorae studiosior etiam alium librum adscivisse videtur, unde eaedem res bis memorantur, velut monadis mentio § 2 iteratur § 6, discipulorum silentium §§ 3 et 16. 18, esoterici exoterici §§ 4 et 17. ceterum idem liber religiose excerptus est etiam Refut. IV p. 126 sq. Gotting. Empedoclis et Heracliti capita nisi prorsus inepte ab Hippolyto excerpta sunt indoctissimum produnt scriptorem. promiscuae enim utriusque opiniones referuntur. Heracliti ἐκπύρωσις Empedocli vindicatur 3 1 et in vicem Heraclitus 4 2 σύμφωνα τῷ Ἐμπεδοκλεῖ ἐφθέγξατο στάσιν καὶ φιλίαν φήσας τῶν ἁπάντων ἀρχὴν εἶναι itemque § 3. nempe coniuncta nescio quo pacto fuit Heracliti et Empedoclis memoria ut pariter ex Pythagorae schola profectorum. testatur ipse hoc vinculum 3 3 καὶ γὰρ ὁ τούτων διδάσκαλος Πυθαγόρας ἔφη κτλ. pronum erat mira illa in Empedoclis capite verba corrigere ὁ τούτου ὢν quod placuit Roepero. sed illud impedit quod c. 5 τὴν ἀπὸ Πυθαγόρου ἐκθεμένους φιλοσοφίαν Empedoclem et Heraclitum Pythagoreorum successione

[1] I 5 μετὰ τούτους ἐγένοντο καὶ ἕτεροι φυσικοὶ ὧν οὐκ ἀναγκαῖον ἡγησάμεθα τὰς δόξας εἰπεῖν μηδὲν τῶν προειρημένων ἀπεμφαινούσας. ἀλλ᾽ ἐπεὶ καθόλου οὐ μικρὰ γεγένηται ἡ σχολὴ πολλοί τε οἱ μετέπειτα φυσικοὶ ἐξ αὐτῶν γεγένηνται ἄλλοι ἄλλως περὶ φύσεως τοῦ παντὸς διηγούμενοι [καὶ] δοκεῖ ἡμῖν [νῦν?] τὴν ἀπὸ Πυθαγόρου ἐκθεμένους φιλοσοφίαν κατὰ διαδοχὴν ἀναδραμεῖν ἐπὶ τὰ δόξαντα τοῖς μετὰ Θαλῆν.

clare comprehendit. hinc indidem lux affertur subabsurdae Empedoclis opinioni τὸ τῆς μονάδος νοερὸν πῦρ τὸν θεόν [cf. Zeller I[4] 689[2] Schuster 224[1]]. scilicet Pythagoras Heraclitus Empedocles per saturam uno capite continentur. tanta scriptoris levitas vel Hippolytum offendisse videtur, ut novum quaereret subsidium.

Ac felicissimo casu doxographi cuiusdam epitome in manus incidit. iam consilii prioris quo principes tantum exhibiturus erat paenituit iamque inde ab Anaximandro pretiosissimus Opinionum thesaurus religiose compilatur. Anaximander igitur ac deinceps Ionici recte sese excipiunt. exspectamus Xènophanem continuari. sed is post Democritum c. 14 collocatur et initium fit a Parmenide. fuit qui Diogenis IX 21 praepostere inculcatam notitiam ad explicandum Hippolyti ordinem advocaret. cf. infra p. 147. frustra ille quidem. nam Theophrastus quoque, quem Diogenes testatur, Parmenidem cum Xenophane coniunxit fr. 6. neque non coniunxit Hippolyti fons Opinionum. nam quomodo intellegi potest c. 11 initium καὶ γὰρ καὶ Παρμενίδης ἓν μὲν τὸ πᾶν ὑποτίθεται nisi Xenophanem praecessisse suspicamur? atqui Opinionum istam epitomen c. 6—9. 11—16 e Theophrasti corpore excerptam constat cf. p. 153. unde igitur perversus Hippolytei libri ordo? res est facilis explicatu neque scitu indigna. substiterat ille paululum Ionicis absolutis. iam Vitarum libro iterum inspecto si quid utile haberet invenit ibi Empedocli et Heraclito Parmenidem congregatum. nam et hic Pythagoreos audivisse dicitur. iam vero praeter nomen cum nihil probum inveniret,[1] alterum fontem exscribere perrexit. nec desunt alia quae ex priore libro interiecta sunt. lemmata quidem velut Ἀναξίμανδρος Πραξιάδου Μιλήσιος Theophrastea videntur.[2] sed minutae temporum notationes quae ad calcem c. 6. 7. 8 apposuit ex Vitarum compendio postea opinor adpictae sunt. nam 8 13 quod additur τοῦτον λέγουσι καὶ προγνωστικὸν γενονέναι, est memorabile originis indicium, tum eiusdem scriptoris est Thaletis computatio 1 4 et Xenophanis c. 14 1. atque hic statim initio notula infertur coniuncta cum hisce οὗτος ἔφη πρῶτος ἀκαταληψίαν πάντων εἰπὼν οὕτως· 'εἰ γὰρ καὶ — τέτυκται'. Theophrasto talia attribui non possunt, sed efficta sunt ab eo qui Pyrrhoneorum sectam ab illo suspensurus erat. et novimus qui hoc excogitavit Sotionem successionum scriptorem. Laert. IX 20 φησὶ δὲ Σωτίων πρῶτον αὐτὸν [Xenophanem] εἰπεῖν ἀκατάληπτ' εἶναι τὰ πάντα, πλανώμενος.

---

[1] c. 11 2 iterare videtur initium. unde alium fontem hic adhibitum esse aliquis coniciat. sed nec hic nec c. 6 2 [cf. Zeller I[4] 213[1]] ex Hippolyti excerptis brevissimis quidquam concluserim. nempe in Theophrasto similia capita ut de principio et deo similiter concepta fuisse consentaneum est, praesertim in Eleatarum doctrina.

[2] c. 13 post Theophrasteum principium Δημόκριτος δὲ Λευκίππου γίνεται γνώριμος iterum incipit Δημόκριτος Δαμασίππου Ἀβδηρίτης πολλοῖς συμβαλὼν γυμνοσοφισταῖς. haec Vitarum scriptorem redolent praesertim cum clausula οὗτος ἐγέλα πάντα κτλ. ab eodem scripta esse debeat, qui flentem Heraclitum induxerat c. 4. cf. infra in c. de Galeni hist. phil.

Sotio Alexandrinus, fortasse Peripateticus [Hecker Philol. V 432], vixit inter Chrysippum quem novit et Heraclidem Lembum Ptolemaeo Philometori aequalem, qui librum eius in epitomen redegit. primus scripsit διαδοχὴν τῶν φιλοσόφων [Diog. II 12] et ad hanc succedendi rationem maior pars fragmentorum pertinet. non est huius loci de Sotionis libro diligentius agere, quoniam nisi omnium biographorum philosophorum reliquiis collectis de Sotionis fontibus et in posteros auctoritate recte iudicari non poterit. nunc ex ista quaestione tantum afferemus, quantum coniunctum est cum Hippolyto. prius vero Sotionei libri conspectum praemittam, ubi librorum ordo secundum Panzerbieteri [Seebode jahrb. V p. 218 sq.] et Roeperi [Philol. III p. 22 sq.] curas, quoad eius fieri potest, restitutus est.

Διαδοχῶν βιβλία ιγ.

I	**Thales. VII sapientes. physici**	VII	**Cynici**
II	**Socrates. Aristippus.**	VIII	**Stoici**
III	Socratici.	IX	**Pythagoras**
IV	**Plato**	X	Eleatici. Democritus
V	Academici	XI	**Pyrrhonii**
VI	Aristoteles et discipuli.	XII	**Epicurus**
		XIII	**Barbari.** [1]

A Roepero bene observatum est ex hoc ordine posteriores scriptores in universum satis accurate aptos esse, ut Diogenis quoque compendium non nimis ab illa tabula recedat. eo magis Hippolyti ratio discrepat. sed tamen non nihil similitudinis. namque quod maxime pupugit Nietscheum, barbaros memorari post legitimum XII librorum numerum, idem in Hippolyto factum est qui Brachmanas Druidasque graecis appendicis instar adnexuit. neque enim Sotio Alexandrinus homo ab illorum sententia abhorruit, qui philosophiam a barbaris excultam inde in Graeciam venisse nugabantur [cf. Nietsche Mus. Rhen. XXIV 205]. ac possit quispiam non solum Democriti cum gymnosophistis [cf. Diogenis prooem.], sed etiam Pythagorae cum Zarata commercium quod est apud Hippolytum ex tali memoria repetere. veri similius fortasse Parmenidis collocationem, quam supra mirabamur ab Hippolyti Vitarum epitomatore propositam, illinc explicabimus. iam vero recte Diogenis loco IX 21 uti licet Ξενοφάνους δὲ διήκουσε Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης (τοῦτον [Xenophanem] Θεόφραστος ἐν τῇ ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι)[2] ὅμως δ' οὖν ἀκούσας καὶ Ξενοφάνους οὐκ

[1] nomina pingiuus expressa coniuncta cum libri numero inveniuntur. cetera e coniectura distributa. bis in Diogenis prooemio scriptum est ἐν τῷ $\overline{\kappa\gamma}$. recte $\overline{\iota\gamma}$ correctum secundum Ambrosii versionem a Roepero et Panzerbietero. Nietschei incredibilem quandam coniecturam recte castigavit Roeperus Philol. XXX 557. exempla istius corruptionis [iota falso cum proximo vocabulo iuncti] sunt innumera cf. Rose de Aristot. lib. ord. p. 87. Cobet. V. L. p. 123. Meineke Anal. Alex. p. 21. exempla Laertiana collegit Roeper l. c. p. 559[2]. addi potest Diog. VII 50 [cf. Jen. Literaturz. 1875 p. 153] Schoell Herm. IV 164. I. Freudenthal Hellenist. Stud. p. 100*.

[2] ambigi posse supra p. 103 sq. dixi utrum primum enuntiatum Diogenes an librarius pervertisset. sed cum καὶ post ἀκούσας vix intellegatur nisi τοῦτον Parmenidem interpre-

ἠκολούθησεν αὐτῷ· ἐκοινώνησε δὲ καὶ Ἀμεινίᾳ καὶ Διοχαίτῃ τῷ Πυθαγορικῷ ὡς ἔφη Σωτίων ... ᾧ καὶ μᾶλλον ἠκολούθησε καὶ ἀποθανόντος ἡρῷον ἱδρύσατο ... ὑπ' Ἀμεινίου ἀλλ' οὐχ ὑπὸ Ξενοφάνους εἰς ἡσυχίαν προετράπη. acumen totius loci contra vulgatam opinionem directum est quae Parmenidem cum Xenophane coniunxit. ipse Sotio Pythagoreum Parmenidem voluerat. nonne mirum est etiam in Hippolyto post Pythagoreos principem nominari Parmenidem, Xenophanem extra ordinem postmodo? iam si coniunxeris Xenophanis ἀκαταληψίαν a Sotione inventam, hoc minimum constare concedes illius διαδοχῶν vestigia quamvis tenuissima in minutulum istum Vitarum scriptorem manasse, cuius ope Hippolytus utebatur.

Nec tamen unus Sotio adgnoscitur. qui quamvis ex toto illo litterarum genere solus praeter Porphyrium Eunapio indoctissimo sophistae et cognitus et lectus esset [cf. Wyttenbach ad Eun. II p. 16], tamen plerique posteriorum ut Laertius et Athenaeus non ipsum manibus usurparunt.[1] nec Hippolytus scriptor ipsum adhibuit. nam pugnat cum Sotione [cf. 14 1] posterius c. 23 ὁ Πύρρων ... τὴν ἀκαταληψίαν ἁπάντων πρῶτος εἰσήγαγεν. ac multa insunt Sotione recentiora. praecipue temporum notationes 1 4 6 7 7 9 8 13 14 1 ex Apollodori Chronicis fluxerunt. hoc tam apertum est ut priori meae commentationi [Mus. Rh. XXXI 23] nihil habeo, quod addam. chronica autem a. 144 a. Chr. primum edita sunt, iterum post a. 119 [Mus. Rh. l. c. 54].

Hinc etiam illud concidit, quod olim calidius arripueram, epitomen Sotionis ab Heraclide confectam principalem Hippolyti fontem fuisse. nam is Ptolemaeo Philometori aequalis paulo antiquior est. Heraclides Lembus Serapionis filius Alexandrinus[2] ἐπιτομὴν τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν

teris, epitomatorem culpandum arbitror. ceterum cum nulla sit causa cur tam brevi spatio post similem Sotionis memoriam § 18 [cf. supra p. 104] Xenophanis magisterium in Parmenideo capite memoretur, etiam in eo quo Laertius eiusve exemplar usus est Sotionis compendio utrumque diremptum fuisse conicias. cf. pp. 166. 168.

[1] Athenaeus coniunctum fere cum Nicia id est ex Nicia citat. Sotio cum Nicia etiam a Stoicorum catalogi Herculanensis compilatore in usum vocatus dicitur a Gomperzio [Jen. Litteraturz. 1875 p. 665]. etiam Hegesander Delphus quaedam ex Sotione transtulisse videtur quod ex Athen. VIII 343 E coniecit Koepke de hypomn. p. 22. 23, 5.

[2] cf. supra p. 82[2] (83). Suidas: Ἡρακλείδης Ὀξυρυγχίτης φιλόσοφος ὁ τοῦ Σαραπίωνος ὃς ἐπεκλήθη Λέμβος γενονὼς ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ ἕκτου [181—146] ὃς τὰς πρὸς Ἀντίοχον ἔθετο συνθήκας. ἔγραψε φιλόσοφα [i. e. διαδοχὴν] καὶ ἄλλα [an λεμβευτικὸν λόγον? Useneruš historias cf. Mueller F H G III 167 significatas mavult Mus. Rh. XXVIII 432]. ceterum idem Lembi cognomen quaecunque origo fuit [cf. Anaxandrid. Ulix. fr. 2. Fr. Comic. III 177: ὄπισθεν ἀκολουθεῖ κόλαξ τῳ· λέμβος ἐπικέκληται] Serapio pater habuisse videtur quod ait Photius cod. 263 p. 171 B. ὁ τοῦ Λέμβου Ἡρακλείδης et potest etiam in Suida intellegi. cognomen a magistro ad discipulum translatum habuit e. g. Diodorus Cronus cf. Panzerbieter l. c. 223 et Demosthenes medicus Alexandri Philalethis discipulus Galen. VIII 727. qui fuerit λεμβευτικὸς λόγος quem Demetrius Magnes [Diog. V 94] cognomen peperisse refert, nescimus. erravit autem Demetrius, cum Heraclidem Καλατιανόν dicit. neque enim Callati in Pontico oppido is natus videtur, cuius patri nomen Serapio fuit. ergo Suidas rectius Oxyrynchiten vocat.

confecit pristino libro dimidio minorem, a Diogene non raro citatam. idem Satyri Vitas in artum coegit ab eodem adhibitas. hanc epitomen ab illa vulgo disiungunt. at mihi quidem non contigit sanam eius rationis causam perspicere. quorsum attinebat easdem vitas e diversis scriptoribus diversis compendiis compilare, cum lectoribus binorum librorum usus minime commodus esset futurus? an mira fuit sua cuique servandi religio, ut separatos scriptores mallet excerptos praebere? at sufficiebat ut adderet ubique ἐκ τῶν Σωτίωνος aut Σατύρου. omnino philosophorum potissimum res, non auctorum nomina illis hominibus cordi fuere. ac multo liberiore ratione Aristophanis Byzantii epitome, ut exemplum promam, Aristotelis περὶ ζῴων composita fuit. ergo Heckeri coniecturam vehementer probo unam esse epitomen Sotionis et Satyri. quid? quod simpliciter Ἡρακλείδης ἐν τῇ ἐπιτομῇ Laert. VIII 52 citatur, ubi ex Satyro haustum apparet. neque alium librum, si mihi credis, intellegit Demetrius Magnes Laert. V 94, ubi τὸν γεγραφότα τὴν διαδοχὴν ἐν ἓξ βιβλίοις Heraclidem inducit.[1] nimirum pretium operae facturus sibi videbatur Sotionis memoriam Satyri excerptis emendatam et auctam breviter comprehendere. neque deest simillimum eius rei exemplum. nam inter complures epitomas, quas Photius c. 213 ab Agatharchide eiusdem Heraclidis anagnosta confectas recenset invenitur ἐπιτομὴ τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων ἀνέμων [? ἀκουσμάτων Westermann, ἐθῶν Mueller, ἀνθρώπων Rohde]. ecce miraculorum scriptores in unum compendium coacti. Heraclidis libri crebra est mentio neque tamen cum librorum numeri nusquam comparerent, de ordine quidquam proferre non arbitrarium tutum erat. tanto maiore gaudio eius epitomes indicem nuper accepimus, quem Useneri curiositas e Ioseppi hypomnestico [ed. I. A. Fabricius cod. pseudepigraph. vet. testam. Hamb. 1723 vol. II p. 325] vulgavit [Mus. Rh. XXVIII 431]. superscriptum est τίνες αἱρέσεις παρ' Ἕλλησι γεγόνασι; en Ioseppi tabula

1	ἡ περὶ τῶν φυσικῶν	11	Ἐμπεδόκλειος
2	ἡ περὶ θεολογίας	12	Ἡρακλείτειος
3	ἡ περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν	13	Ἐλεατική
4	ἡ Σωκρατική	14	Δημοκρίτειος
5	ἡ Κυρηναϊκή	15	Πρωταγόρειος
6	ἡ Κυνική	16	Πυρρωνεία
7	ἡ Ἠλειακή	17	Ἀκαδημαϊκή
8	ἡ Ἐρετριακή	18	Περιπατητική
9	Μεγαρική	19	Στωική
10	Πυθαγόρειος	20	Ἐπικούρειος.

ταύτας τὰς εἴκοσι αἱρέσεις Ἡρακλείδης ὁ Πυθαγορικὸς διεῖλεν ἐν τῷ περὶ τῆς ἐν φιλοσόφοις αἱρέσεως πραγματείας αὐτοῦ βιβλίῳ.[2]

[1] quod Demetrius τὴν διαδοχὴν breviter dicit, cognitam epitomen in vulgus fuisse docet. cf. Usener Mus. Rh. XXVIII 431.

[2] correxit Usenerus περὶ τὰ φυσικά, περὶ θεολογίαν etc., sed mihi dubium quid Heraclides

Memorabilem nacti sumus memoriam, sed quae novas quaestiones excitet. Heraclidis Lembi epitomen non intellegendam esse quamvis titulus discrepet recte vetat Usenerus. nam mirus esset casus, si eiusdem nominis ignotus scriptor in eandem materiam incidisset, qua Heraclides Lembus gloriam sibi peperit. sed Pythagoricus fuit iste Heraclides. itane? nos Heckero libenter credideramus Peripateticum esse conicienti. quid igitur in Ioseppi memoria latet? constat Alexandriae intermortuae Pythagoreae philosophiae velut igniculos esse servatos. pauca et obscura de his nota sunt [cf. Zeller III 2, 83 Rohde Gr. Rom. 67]. atque consulto ipsi sua studia celasse videntur. nam librorum fabrica per fraudem Pythagorae subditorum tunc vigere coepit. certe ultimo a. Chr. saeculo quae subito emergunt pseudepigrapha Pythagoreorum scripta Stoicorum et Peripateticorum doctrina differta, partim iam antea aliquanto Alexandriae circumlata esse veri est simillimum.[1] in eo tenebrionum numero Heraclidem habuit Usenerus Laertium VIII 7 malevolentius interpretatus: φησὶ δ' Ἡρακλείδης ὁ τοῦ Σαραπίωνος ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ γεγραφέναι αὐτὸν καὶ περὶ τοῦ ὅλου ἐν ἔπεσι· δεύτερον τὸν ἱερὸν λόγον οὗ ἡ ἀρχή 'ὦ νέοι ἀλλὰ σέβεσθε μεθ' ἡσυχίης τάδε πάντα', τρίτον περὶ ψυχῆς, τέταρτον περὶ εὐσεβείας πέμπτον Ἡλοθαλῆ τὸν Ἐπιχάρμου τοῦ Κώου πατέρα, ἕκτον Κρότωνα καὶ ἄλλους. τὸν δὲ μυστικὸν λόγον Ἱππάσου φασὶν εἶναι γεγραμμένον ἐπὶ διαβολῇ Πυθαγόρου, πολλοὺς δὲ καὶ ὑπὸ Ἄστωνος τοῦ Κροτωνιάτου γραφέντας ἀνατεθῆναι Πυθαγόρᾳ. 'vaferrima' ait 'perfidia nonnulla Pythagorae monumentorum eum addubitasse quo facilius suos fetus genuinos praedicaret Ptolomaeisque venderet.'[2] indicis fraudem forsitan recte perspexerit Usener, auctorem non perspexit. quid enim Heraclidem apud regem summa gratia florentem et negotiis ita occupatum, ut Agatharchidem a litteris haberet, movisse credis, ut tristi mallet fallendi studio nummulos sibi facere? quid vero cogit ut falsarium quam falsum potius credamus? immo forma indiculi scriptorum initiis instructi suadet ut Alexandrinae bibliothecae catalogum excerptum arbitremur. hoc ad Hermippum Callimachium digitum videtur intendere, qui praeceptoris Pythagorica studia [cf. Heckeri comm. de anthol.

scripserit. reliquam discrepantiam omitto. ultima sic correxit Usenerus ἐν τῷ τῆς περὶ τῶν ἐν φιλοσόφοις αἱρέσεων πραγματείας αὐτοῦ βιβλίῳ. videro de his infra p. 152.

[1] alia sane etiam postea ad Iubam regem fallendum ficta videntur cf. David in schol. Brand. p. 28ᵃ 13.

[2] addit l. c. p. 433 *ich denke, wir haben hier einen der dunkelmaenner beim Namen, die vor Alexander Polyhistor durch die vermehrung der Pythagoreischen litteratur sich weniger verdient als verdienst zu machen bestrebt waren.* ceterum Heraclidem fortasse secutus est Alexander in Vita Platonis, si modo recte Laertii III 5 emendo: ἐφιλοσόφει δὲ τὴν ἀρχὴν ἐν Ἀκαδημίᾳ εἶτα ἐν τῷ κήπῳ τῷ παρὰ τὸν Κολωνόν ὥς φησιν Ἀλέξανδρος ἐν Διοδοχαῖς κατὰ Ἡρακλείδην [vulgo Ἡράκλειτον]. quamquam Heraclidem Ponticum quispiam intellegere possit. eadem dubitatio de Heraclide quem de fabarum abstinentia Pythagoreorum fabulatum dicit Lyd. d. mens. IV p. 68, 19. quam rem cum Alexander tangit Laert. Diog. VIII 34, Aristotelem citat. sequitur apud Lydum Diogenis de eadem re opinio, de qua cf. adnotata ad Hippolyt. I 2 14.

gr. L. B. 1843 p. 268 sqq.] secutus de Pythagora minimum duobus libris scripsit [F. H. G. III p. 41 fr. 21—24]. quos laudat Iosephus c. Ap. I 22 πολλοὶ δὲ τὰ περὶ αὐτὸν ἱστορήκασιν, καὶ τούτων ἐπισημότατός ἐστιν Ἕρμιππος ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἐπιμελής, cui iudicio E. Rohdeus rectissime refragatur, qui contra de eo Mus. Rh. XXVI 562: *was die Spaetern,* inquit, *ihm treuherzig nachschrieben war nichts weniger als ernstgemeinte Litteraturgeschichte, sondern eine giftige Satire auf Pythagoras.* eiusdem generis esse, quae de virorum litteratorum mortibus tradit, mihi constat. accedit quod Laertius l. c. in subditis libris meminit μυστικοῦ λόγου, quem Ἱππάσου φασὶν εἶναι γεγραμμένον ἐπὶ διαβολῇ Πυθαγόρου. ergone Hermippum Heraclidis loco fraudis convictum habemus? ne hunc quidem, si me audis. nam Iosephus l. c. antequam Hermippum citat, αὐτοῦ μὲν οὖν, inquit de Pythagora, οὐδὲν ὁμολογεῖται σύγγραμμα. atque omnino vacillat omne in tanta fallaciae coniuratione discrimen neque quis falsus sit quis fefellerit ipse, facile aliquis dixerit. quid? Aristobulus Philometoris familiaris, quem exemplar istius sectae credideramus, turpiter ipse deceptus est, si modo Freudenthalii patrocinium [Hell. Stud. p. 167] recto talo stare concedimus. Hermippum autem non cito quispiam fallaciae accusarit, qui Aristotelis Theophrastique indices cum vitis diligenter excerptos ab illo esse meminerit [cf. Usener Anal. Theophr. p. 24]. in illos igitur potius Heracliteum illud cadit πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει. Hermippus quidem, si Plinium audis H. N. XXX 4, *de tota arte ea* [magica cf. Laert. I prooem. 8 Ἕρμιππος ἐν τῷ ᾱ περὶ μάγων, Arnob. I 52, Athen. XI p. 478A] *diligentissime scripsit et viciens centum milia versuum a Zoroastre condita indicibus quoque voluminum eius positis explicavit* [cf. Roeper Philol. XXX 559]. vides pinacographi accurationem turpississimae superstitioni [1] coniunctam, unde reliquam eius credulitatem et explicatam velim et excusatam. sed de Hermippo accuratius erit alias disputandum. in viam redeo.

Heraclides igitur in viginti fragmentis ter Pythagorea tetigit [2] neque praecipuo illorum studio conspicuus est. ut ne hinc quidem, cur Pythathagoreum nominaverit Ioseppus pateat. quare frustra Rohdeus [gr. Rom. p. 257 [1]] Lyci vel Lyconis Iasensis mentionem iniecit qui Pythagoreus nominatur librumque de Pythagora conscripsit [Athen. X 468E cf. II 47A 69E]. talia igitur non sufficiunt, ut Ioseppi memoriam omni dubitationis aleae eximant. et erunt quibus alia explicandi via placeat. [3] fieri posse

[1] quae alii de Zarata i. e. Zoroastre fabulantur velut Xanthus personatus Laert. prooem. 2, Alexander Polyhistor [I. Freudenthal Hell. Stud. I 23], Hippolytus I 2 12 ex similibus Alexandrinorum studiis oriuntur. quorum fraudibus plurimas niti de barbarorum philosophia memorias frustra negat F. Schaefer *quid Graeci de origine phil. a barbaris ducenda exist.* Lips. 1877 qui de *fabulis philosophis* vere ipse iudicat p. 17 sqq.

[2] Muellerus F H G l. c. aliter numerat et duo fr. omisit Laert. II 136. 144.

[3] Lembo spreto quemquam ad Heraclidem Didymi Pythagorei [cf. supra p. 80 Suid. s. v. Δίδυμος, Porph. in Ptolem. harmon. p. 191. 209. 210. 212 W. Schmidt Didym. fr. p. 380] patrem confugere veto. nam de hoc ne id quidem constat num libros scripserit, nisi forte idem est Ἡρακλείδης ἐν τῇ μουσικῇ εἰσαγωγῇ, quem de Xenocrate Pythagorae musicorum nu-

dicent, ut Heraclidis Pontici obscura memoria Ioseppum deceperit, cuius de Pythagora scripta [cf. Usener l. c. 432[1] Bernays Theophr. p. 142 Mueller FHG II 197[2]] etiam tum Iulianus [fr. 6 epistul. ed. Hayler p. 153 cf. Rohde Mus. Rh. XXXII 331[1]] suspexit. alii meminerint fortasse Epiphanium christianum et ipsum scriptorem constanti errore Peripateticos et Pythagoreos confudisse anacephalaeos. p. 127. 129. 132. quid est, dicent isti, quod Ioseppum, etiam indoctiorem scriptorem, eiusdem peccati insimulare prohibeat? haec fere proferri possunt de Pythagoreo Heraclide alia aliis probabiliora, certi ut in tali scriptore nihil.

De Heraclidei libri indice paulo expeditior quaestio. primum occurrendum est eis qui viginti sectas cum sex Epitomes libris parum concinere dicant. sed hoc primo obtutu apparet non librorum vel capitum quendam ordinem excerpi, sed successionis schema. nam VII sapientes post physicos primo capite absolutos tractari non poterant. at in prooemio l. I poterat sermo incidere de physicis a Thalete repetendis, cum quo theologorum id est Homeri Hesiodi Pherecydis et VII sapientium memoria, ut fieri solet, coniuncta erat. iam vero hinc corrupti in Ioseppi tituli paulo certior medela petitur. nam in traditis nec minus in emendatis ab Usenero verbis idem et βιβλίον et πραγματεία. desideratur igitur numerus libri. ecce quid mihi placeat: ἐν τῷ πρώτῳ τῆς περὶ φιλοσόφων αἱρέσεων πραγματείας αὐτοῦ βιβλίῳ. differt Heraclidis indiculus ea maxime re a Sotioneo, quod quattuor posterioris temporis sectae Academica Peripatetica Stoica Epicurea successionis ordini interceptae finem faciunt. consentit cum hac ratione Hippolytus qui Epicuro Pyrrhonem addit, quem Heraclidis successio cum Protagora coniunxit. atque haec est vulgaris consuetudo. in Laertio enim Xenophanem Eleatasque excipit Leucippus cum Protagora, tum Diogenem Apolloniaten Anaxarchumque Pyrrhonei, unde Epicurus derivatur. idem stemma Galenus sequitur h. phil. c. 3 et Clemens Al. Strom. I p. 352 P. summa similitudo cum Hippolyteo ordine istinc est repetenda, quod Heraclides Pythagoram Empedoclem Heraclitum coniunctos ante Eleatas enumerat. nam vix potest credi ab alio ullo scriptore iterum tam absonam coniunctionem propositam esse.[1] hoc satis est, unde etiam Heraclidem inter fontes fuisse

---

merorum inventionem vindicante citat Porphyr. in Ptolem. harm. p. 213 inf. W. tempora conveniunt in Heraclidem Ponticum grammaticum sub Claudio et Nerone florentem, sed nihil nisi grammatica is tractavisse videtur. cf. Bernhardy ad Suid. s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός. neque Heraclidem Lembum musices isagoges scriptorem intellegere debebat Zeller I^4 372. nam est aliquid inter successionum et Pythagoreae musices compendium.

[1] de successionis enchiridio ab Eusebio compilato p. 169 dicetur. id similiter ponit Heraclitum post Empedoclem X 14 14 τὸν μὲν οὖν Πυθαγόραν διεδέξατο Θεανὼ ἡ γυνὴ οἵ τε υἱοὶ αὐτοῦ Τηλαυγὴς καὶ Μνήσαρχος, Τηλαυγοῦς δὲ Ἐμπεδοκλῆς ἀκουστὴς γίνεται καθ' ὃν Ἡράκλειτος ὁ σκοτεινὸς ἐγνωρίζετο (!). Laertius Empedoclem et Heraclitum τοῖς σποράδην adscribit, sed tamen illum ordinem quodam modo confirmat. in successione prooemii § 15 omittuntur.

efficiatur. verum longius progredi multa sunt quae nos vetent. ipsa Pythagorae ceteris copiosior descriptio non Heraclidea est. is Metaponti eum inedia obiisse, Hippolytus Crotone concrematum cum discipulis rettulit. tum Platonis et Aristotelis dogmata ab uno certe scriptore composita Christi natali vix sunt superiora. nam a categoriis philosophiam Aristotelis incohandi mos post Andronici demum editionem et disciplinam in scholis invaluit. denique Apollodoreae temporum notationes nisi vi quadam ad Heraclidem referri non possunt. quas ex διαδοχῶν scriptoribus primus adhibuisse videtur suppar fortasse Apollodori Sosicrates [cf. Mus. Rh. XXXI 20]. tamen cum parum de hoc exploratum habeamus, temeritatis est eum in censum vocare. omnino ut facile est eiusmodi scriptiones plures enumerare ut Hippobotum Antisthenem Alexandrum, ita ridiculum in tanta Graecorum huius generis felicitate certum quendam eligere. hoc teneri volo Vitarum compendium, in quo priorum Aristoxeni [I 2 12] Sotionis Heraclidis Apollodori libri excerpti erant, priorem fuisse Hippolyti fontem.

Alter liber ut dixi Theophrasti Opiniones excerptas habuit. unde eclogae ea ratione concinnatae sunt, ut per singula capita quae cuiusque philosophi recensita erant dogmata breviter excerperentur, excerpta suo ordine singulis philosophis adiungerentur. qua diligentia id sit factum, inde perspicias, quod Theophrastei libri partitio haud temeraria coniectura redintegrari possit. quam sic fere habeto: ἀρχή θεός κόσμος γῆ θάλασσα ποταμοί Νεῖλος ἄστρα ἥλιος σελήνη γαλαξίας διάττοντες ἄνεμος ὑετός χάλαζα χιών ἀστραπή ἶρις σεισμός ζῷα. gratissimum autem originis vestigium invitus reliquit quod c. 14 4 non solum Xenophanis, sed etiam contiguam Metrodori de mari opionem transtulit. quis philosophorum dogmata ex Opinionibus composuerit et quando, nescimus. simili tamen libro usus est Pseudo-Plutarchus in Stromatis et Laertius Diogenes. quo pretiosior hic Opinionum fons est, eo magis ne futtilissimi Vitarum compendii excerpta confundantur cavendum est. quocirca utriusque fontis hoc discrimen statuo

Vitarum compendium	Theophrastea excerpta
c. 1	
c. 2	
c. 3	
c. 4	
c. 5	
c. 6 7 οὗτος — ὀλυμπιάδος	c. 6 1—7 νεφέλας
c. 7 9	c. 7 1—8
c. 8 13	c. 8 1—12
	c. 9
c. 10 1	
	c. 11
	c. 12

c. 13 1 Δημόκριτος Δαμασίππου—μάγοις 4 οὗτος—ἀνθρώποις	c. 13 1 Δημόκριτος — γνώριμος. 2—4 προσλαμβάνειν
c. 14 1	c. 14 2—6
	c. 15
	c. 16
c. 18—25. [26?]	

Theophrasteis potissimum reliquiis motus ad recensenda Philosophumena animum adpuli. acerbe ferebam tali scriptori nondum eam curam obtigisse, qua ut qui maxime dignus est. primus Philosophumena usurpavit Menagius, qui Caroli de Montchal archiepiscopi Tolosani codice utebatur passimque excerpta Laertianis animadversionibus immiscuit. tum Iac. Gronovii exstitit princeps editio graece et latine in Thesauri graec. antiqu. vol. X (1701) p. 257—291 et M. Io. Christophori Wolfii [Hamb. 1706]. utraque nisa est codicis Laurentiani apographo neglegenter facto. quod ipse Wolfius intellexit, postquam ab A. M. Salvinio Florentino Laurentianum iterum collatum accepit. quae hinc retractanda erant una cum Sancrofti La Crozei G. Richteri notis et Taurinensis codicis a. Chr. M. Pfaffio collecta discrepantia septem annis post Hamburgi edidit.[1] B. Montefalconius Barberini codicis aliorumque in Italia manuscriptorum varietatem excusserat [cf. Diar. Ital. p. 210] quam Wolfius impetrare nescio quo pacto non potuit [cf. praef. 1713 p. 3]. nactus est eam de la Rue t. I (1733) p. 872—909, qui inde Barberini et Ottoboniani varias lectiones excerpsit; quas praeterea notas addidit melius omisisset. ex Rueana editione descripta est Lommatschiana t. XXV (1848).

Interea dum inventorum ab E. Millero librorum IV—X rumor circumfertur, Roeperus vir acutissimus et eruditione etiam reconditiore imbutus primus ea qua par est religiositate Philosophumena explicavit et sagaciter emendavit [Philol. VII 511. 606]. sed nemo eius exemplum imitatus est. Milleri enim editio Oxon. 1851 novis libris praecipuam curam impendit. nec secus Gottingenses Schneidewinus et Dunckerus Gotting. 1859, qui dum in emaculandis posterioribus libris desudant neglexerunt primum. Roeperi enim coniecturas nullo fere suo iudicio receperunt. nimia festinatione factum est, ut etiam calami inde errores transcriberentur [cf. ad 19 6 ἔχει]. ipsi praeter unum alterumve locum nihil feliciter gesserunt. at nolo vel Schneidewinum inter edendum mortuum vel Dunckerum multis difficultatibus pressum acerbius increpare. cum ipse pleraque absolvissem Patricii Cruicei editionem [Philosophumena rec. Paris. 1860] adii, qui etsi nonnulla, quae Gottingenses nullo

[1] liber rarus sic inscribitur: Compendium historiae philosophae antiquae h. e. Pseudorigenis Philosophumena, ex ipso Ms. Mediceo, denuo collato et alio Taurinensi repetita vice emendata etc. auctore Christophoro Wolfio. Hamburgi apud Christianum Liebezeit s. a. 8°. anno 1713 prodiisse hunc librum collegi ex p. 78.

modo fugere debebant recte restituit, graviora in primo certe libro intacta relinquere maluit.

Adhibui igitur codicem **Barberinum** IV 78 [olim C 304], quadrata B
forma maiore, chartaceum ab eodem librario scriptum saeculo XV vel XVI, quem precibus nostris amicissime morem gerens excussit Fr. de Duhn. continet folia 138. f. 1^r—30^v Origenis philosophumena f. 31^r—50^{rv} Διδύμου κατὰ Μανιχαίων, f. 53^r—81^r Ἀλεξάνδρου Λυκοπολίτου ἐπιστρέφεται ἐξ ἐθνῶν πρὸς τὰς Μανιχαίου δόξας, f. 83^a—87^b Ἰωσήπου ἐκ τοῦ πρὸς Ἕλληνας λόγου ... περὶ τῆς τοῦ παντὸς αἰτίας f. 91^a—138^b Anastasii orationes. Barberini lectiones integras adscripsi (omissis tamen apostrophis, γίνεται et γίγνεται similibus) ut in uno saltem fides codicum aestimari possit.

Ottobonianus 194 saec. XVI e libris Altempsianis continet Didy- O
mum contra Manichaeos et alios scriptores ecclesiasticos, Origenis philosophumena inde a p. 134—166. inspexit eum A. Kiesslingius dignum non esse qui conferretur arbitratus.

Laurentianus IX 32 chart. quadratus saec. XIV a Salvinio satis L
accurate, ut videtur, conlatus ex Wolfii editione innotuit. adscripta est subinde paraphrasis nullius pretii.

sunt hi tres libri simillimi.

Taurinensis C I 10 saec. XVI. index contineri ait Origenis Phi- T
losophumena et Philocalian, sed quindecim folia evulsa sunt posteaque furtum numeris falsis adscriptis celatum. hoc A. Kiesslingius litteris olim ad Usenerum datis docuit. quis tantum flagitium commiserit, non prorsus constat. Passinius quidem Taurinensis catalogi scriptor Pfaffium dubitanter significavit.[1] nobis suspicio etiam certior videtur. nam Christoph. Matthaeus Paffius qui cum Carolo Alexandro principe Wirtembergensi ab a. 1709 usque ad 1712 apud Taurinos degebat et in excutiendis libris Taurinensibus libertate utebatur nullis finibus circumscripta, solus vidit folia Philosophumena complexa, quae excerpsit varietatemque scripturae Wolfio transmisit.[2] [cf. eius praef. ed. 1713 p. 3.] quare non omnis spes abicienda est fore ut alicubi vel Stutgardiae vel Tubingae vel apud Batavos Anglosque — nam hos quoque itineribus suis attigit — evulsa illa folia reperiantur. nos Taurinensem non accurate excussum esse valde dolemus, quia ex exemplo antiquiore et paulo diverso a ceteris deductus vi-

---

[1] p. VIII Pfaffium quidem fraudis et mendacii arguere nolumus aut quod invida manu folia avulserit aut quod codices abstulerit. cf. A. Peyron Emped. et Parmen. fragm. p. 65.

[2] suspicionem magis confirmant quam evellunt quae habet Rathlef gesch. jetztlebender gelehrt. I 350: *Vielleicht hätte Herr Pfaf, der einen freien Zugang zu diesen Büchern erhalten hatte, das beste Theil der Hdss. von den unwissenden Leuten an sich bringen können. Er zog aber die Papiere aus dem Staube hervor, zeigte den grossen Werth derselben und verfertigte darüber ein Verzeichniss. Dabei schrieb er viele Seltenheiten ab. Also gab er . . . Hr. Fabricius in Hamburg etwas zu den Werken des Hippolytus.* [S. Hippol. opp. ed. I. A. Fabricius Hamb. 1716—18.]

detur. sed hic quoque ut ceteri recentes libri pessime corrupti sunt compendiosa scriptura stolide decepti. praesertim extrema vocabula ut fieri solet corrupta neque quidquam hic codicibus est fidei.

Praeter spem egregium nanctus sum instrumentum Cedreni excerpta, quae vel Roeperi memoriam effugerunt. scriptor saec. XI ceteroqui stultissimus in histor. comp. I p. 275 sqq. Bonn. succincte et liberius Philosophumenon aliquot capita compilavit. admixtae sunt eclogae ex Suida petitae velut in Empedocle Anaximandro Anaxagora, sed Hippolytea nullo negotio dirimuntur. codice usus est Cedrenus, ut par est, multo castigatiore. unde facilis est coniectura, quantum vetustiore codice reperto profecturi simus. interea iuvat illius curtam supellectilem aequi bonique consulere. consentaneum est etiam Cedreni codicem paucis locis mendosum fuisse, quibus mirus saepe cum Taurinensi cernitur consensus. uno loco labem per saecula gliscentem et auctam tanquam oculis videmus. 6 4 de Anaximandro τὰ δὲ ἄστρα γίνεσθαι κύκλον πυρός, ἀποκριθέντα τοῦ κατὰ τὸν κόσμον πυρός, περιληφθέντα δ' ὑπὸ ἀέρος. ἐκπνοὰς δ' ὑπάρξαι τόπους τινὰς ἀερώδεις καθ' οὓς φαίνεται τὰ ἄστρα. Anaximandream doctrinam adulteratam esse, non infitiabere, si memineris quae supra exposui p. 25. neque Roeperus negavit, qui traiectis verbis ὑπάρξαι τινὰς ἀερώδεις καθ' οὓς τόπους φαίνεται vulnus suppuratum celavit non sanavit. nam ἀερώδεις nullo pacto cum igneis flaminibus conciliare licet. conlata § 5 παρὰ τὴν τῶν πόρων ἐπίφραξιν et Placitis II 20 1 25 1 olim restitui ὑπάρξαι πόρους τινὰς αὐλώδεις, ut πρηστῆρος αὐλοὶ quodammodo significarentur. emendatio non eget confirmatione. tamen non sine gaudio legi Cedreni lectionem πόρους τινὰς αὀρώδεις qua velut ponte ad verum transeamus. Philosophumenis prooemium pauculis correctis nulla tamen adnotatione adiecta praeposui.

XII DE PLUTARCHI STROMATEON ECLOGA

Plutarchi Stromateon fragmentum, quod ex Eusebii Praeparatione evangelica I 8 seorsum expressimus, nobilissimi scriptoris nomen sine dubio ementitur. et a R. quidem Volkmanno Plutarchi biographo I 169 rerum exilitas formaeque scabrities, quae in hiandi frequentia maxime conspicitur, fraudis indicia afferuntur apertissima. nec multos fore credo qui necopinatum illius patrocinium suscipere velint nisi forte commentarium comminiscuntur ab adulescentulo Plutarcho in scholis conscribillatum, tum nescio quo pacto in medium postea prolatum. oratio certe scholicum habet saporem ne dicam puerilem, ut quae in eodem verborum gyro versetur, quatenus compilatoris non descripti exemplaris est.[1] nec

---

[1] exemplum esto § 4: ἀποφαίνεται δὲ καὶ — ἀποφαίνεται δὲ καὶ — φησὶ δὲ καὶ — ἀποφαίνεται δὲ καὶ — ἀποφαίνεται δὲ καί. nimius est in voce καθόλου §§ 2. 4. 7 bis. 11. singulare est μάλα § 2 μάλα πλατεῖαν et μαλ' ἱκανήν.

omnia recte intellecta. velut § 5 initium subabsurdum esset, nisi Theophrasteis comparatis, quid dicturus esset, cognosceretur. quod Empedocli vulgari philosophorum recentiorum usu ἡγεμονικὸν tribuit aliaque eiusdem modi pauca mittamus. compilatoris, quisquis fuit, consilium aliquatenus illustratur ex titulo. sub splendida enim στρωματέων inscriptione miscellam collegerat farraginem ac, si specimini fidas, satis aridam. sed novimus Graeculorum miram inscribendi felicitatem, qua materias frivolas fucato pittacii splendore venditabant. invenerat titulum fortasse alius Graecus — nam ne ea quidem laus est isti nebuloni —, usurpavit certe latinus scriptor Traiani aequalis Caesellius Vindex, qui Lectiones suas antiquas sub generaliore Stromateon titulo complexus esse videtur [cf. Priscian. p. 210, 7 230, 11 Caesellius Vindex in Stromateo]. Plinio Naturali historiae praefato multa alia nota sunt, Stromateas nondum novit. at novit Gellius qui Noctibus suis prooemiatus Plinianis partim repetitis addit στρωματεῖς. deinde Clemens Alexandrinus fortasse Plutarchum quem credidit aemulatus doctissimum opus hoc nomine insignitum voluit [cf. Dindorf Clem. praef. I xxviii]. pleniorem Pseudoplutarchei libri inscriptionem servavit Lampriae personati catalogus n. 62 [p. 9 ed. Treu] στρωματεῖς ἱστορικοὶ ποιητικοί $\overline{ξβ}'$, ἔνιοι δὲ $\overline{ξθ}'$. numerorum discrepantia, quam a Trevio parum explicatam video [p. 49], repetenda est ex exemplorum diversitate in bibliotheca asservatorum cf. supra p. 27. quod alterum exemplar mancum erat, istinc forsitan quispiam explicet, quod peculiari titulo non nullae eclogae circumferebantur. nec reluctabor si quis n. 184 catalogi περὶ τῶν πρῶτον φιλοσοφησάντων καὶ τῶν ἀπ' αὐτῶν Eusebiano fragmento non differre suspicatus erit. [1] adgnovimus igitur miscellanea, qualia illa aetate collegerunt Favorinus Aelianus nec peior illis Gellius, Plutarchus autem iste longe inferior. nam Eusebius nihil hinc dempsit aut addidit, ut constet compilatorem non solum sine arte sed etiam sine ratione in horreum congessisse quidquid in stili acumen inciderat. sed hoc postmodo. de aetate quaerimus.

Si quis fraudis aperta signa causasque non neglexerit — nam tituli splendor auctorisque mendacium ex eodem mangonis consilio proficiscuntur — aliquantum post Plutarchi mortem progredietur. sed non multum. nam circa medium alterum saeculum maxime in Plutarchi nomen grassata videtur fraus grammaticorum [cf. supra p. 65]. certe Eusebius, quae est mira eius securitas, genuinum fetum credidit.

Scriptoris levitas eo potissimum cernitur quod diversa nullo discrimine permiscuit. nam certo certius est §§ 1—7. 10—12 ex uno deinceps fonte i. e. Theophrastea epitome secundum philosophos ordinata sumptas

---

[1] confirmare videtur istam sive opinionem sive ariolationem quod praecedit n. 183 φυσικὴ ἐπιτομή i. e. geminum exemplum Placitorum n. 61 περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις φυσικῆς ἐπιτομῆς βιβλία $\overline{ε}$. eodem modo uno titulo prior est n. 62 στρωματεῖς. in titulo ἱστορικοὶ scriptores pedestres intellegendi videntur. bipartita enim fuit singulorum capitum divisio, quali Stobaei opus adornatum est.

esse. multa sunt nimis festinanter contracta, delectus nulla certa ratione factus — neque enim ulla causa erat Anaxagoram Archelaum alios omittendi —, sed sucus ac sanguis est Theophrasteus, quemadmodum memoriae singulari bonitate et persentiscat quivis et conspectu nostro p. 133 sqq. satis demonstravimus.[1] ut Hippolyti excerpta Theophrastei corporis totum quasi orbem percurrunt excerpendo, ita Plutarchus in ternis plerumque capitibus de principio mundo astris se cohibet. unde fit ut nonnulla accuratius ab hoc serventur velut Anaximandri cosmogonia memoria dignissima. sed inter eiusmodi quantivis pretii gemmas plane mirabili consilio frivoli de Epicuro et Aristippo flosculi inseruntur. quid tandem illis cum Theophrasti Opinionibus? aliosne philosophos praeter physicos complexum est, quod ad manus fuit, enchiridium? sed abhorret tota ratio. Epicurus dicitur τὸν περὶ θεῶν τῦφον πειρᾶσθαι καταστέλλειν. cur igitur Xenophanis aliorumve de deis opiniones tacentur? Epicurus proposuit ὅτι τέλος τῶν ἀγαθῶν ἡ ἡδονή, Aristippus τέλος ἀγαθῶν τὴν ἡδονήν, κακῶν δὲ τὴν ἀλγηδόνα. cur vero Democriti moralia neglexit itemque ceterorum? ne multa, Epicuri memoria ex vulgari quodam compendio[2] nulla alia causa suppleta videtur quam quia Democrito Democriteum Epicurum adiungere consentaneum erat. tum vero edito ἡδονῆς vocabulo Aristippus quasi ad compositum verbum advocatur. deinde ad Theophrastea revertitur.

Ad Plutarchi Stromateas recognoscendos Gaisfordianis codicibus usi sumus. hi sunt

A Parisinus bibl. nation. 451 [olim 1169, postea 3271] scriptus a. 914 a calligrapho Baane in usum Arethae Caesariensis archiepiscopi. continet V priores libros

H Venetus bibl. Marc. 343, membran. s. XI. cont. I—V

C Parisinus bibl. nation. 466 membr. s. XIV

G Laurentianus VI 9 chartac. form. mai. scriptus a. 1344

F Laurentianus VI 6 saec. XV in Mediceorum usum descriptus

D Parisinus bibl. nat. 467

B Parisinus b. n. 465 s. XIII bombycinus. epitome potius Eusebiani codicis nominanda. l. XII totus desideratur, centena vocabula et versus in ceteris omissa


I Venetus bibl. Marc. 341 chartaceus s. XV a Gaisfordio ad X posteriores libros nec constanter adnotatus. ex I non solum Gaisfordii E [Parisin. 468], sed etiam Venetus 342 Bessarionis iussu descriptus esse dicitur.

---

[1] peritum haec origo non fallet, sed ut uno exemplo pate fiat habes § 4 de Xenophanis sole πυριδίων illud, quod ex philosophi versibus petitum esse non potest, ab Aëtio autem Theophrasti Physicis perspicuis verbis attribuitur.

[2] cf. Euseb. P. E. 20 13 οἱ περὶ τὸν Ἐπίκουρον ἐκ τῆς Ἀριστίππου διαδοχῆς ὁρμώμενοι πάντα ἡδονῆς ἐξῆπτον καὶ αἰσθήσεως μόνα τὰ πάθη καταληπτὰ καὶ τέλος ἀγαθῶν τὴν ἡδονὴν εἶναι ὁριζόμενοι.

Iuvat hoc loco nostram de Eusebii codicibus sententiam proferre, ut votum supra p. 43 susceptum solvamus. constat nec Gaisfordium potuit fallere codicem A ut antiquissimum ita optimum esse librum. sed non vidit ex eodem exemplari unde A, sed subinde religiosius descriptum esse H. quod nos edocuit G. Dindorfius editioni suae praefatus p. VI sqq. altera familia complectitur libros CGD — nam F ex G descriptus videtur. boni sunt CG, futtilis coniecturisque et ex Plutarcho supplementis interpolatus D. tertia classis continet codices BEI, inferior prima et altera. sic ego codices taxo. aliter G. Wolffius Porphyrii de philosophia ex oracul. haur. libr. reliqu. p. 103. is BCG complexus codici I peculiarem locum assignavit. quem secutus est G. Dindorfius. novissime et subtilissime ut solet Freudenthalius [Hellenist. Stud. p. 199 sqq.] rem denuo tractavit. is notitia de codic. Vossiano 197 [simili E I] et Vaticano 1303 s. XV [simili GF] addita primum E ex I, F ex G descriptos negavit. ipse tamen hoc protulit codicum praeter AH stemma



hinc principatum I cum E obtulit, CGF secundo loco collocavit, B, cui D paulo praestaret, in ultimum locum ut interpolatum et truncatum reiecit. neuter mihi verum adsecutus videtur. illud quidem unde quisque descriptus sit, integrum esse iubeo. expediet autem qui ipsos codices inspexerit. forsitan ei loci, qui Freudenthalium in suam opinionem deduxerant, neglegenter in Gaisfordiana notati inveniantur. venia autem danda est unicuique qui illius apparatu nixus manum recensendo admoturus est. adeo et ille codicum crisin subterfugit et qui in eius usum contulerunt accurationem.[1] ut tamen meam opinionem confirmem primum apponam XV 23 sq. ubi Placitis comparatis de vera lectione fere numquam dubitabis.

XV 23

ἐκφαινούσης CDFG [sic Plutarchus]	ἐκφαίνοντα B
προσονομάζομεν CDFG recte	πρὸς ὀνομάζομεν B πῶς ὀνομάζομεν E
ἀνταύγειαν εἶναι τοῦ περὶ τὴν γῆν ceteri e sil.	omiss. BE
24 ἴσον εἶναι ceteri e sil. [sic Plut.]	εἶναι ἴσον BI

[1] hoc ex ipsius verbis patet. velut t. III p. 486 d ἔστι — κόσμος *om.* CD [et B] *et haec inseruisse videntur (!) editores ex Plutarcho.* cum de ceteris nihil dicat codicibus, apparet quam fallax sit e sententio iudicium. idem manifesto apparet p. 483 s. v. μῆλιος.

	ἑπτὰ καὶ εἰκοσαπλασίω CDFG [sic Plutarch.]	ὀκτὼ καὶ εἰκοσαπλασίω BE
	ἀνθρωπείου — Ἐπίκουρος τηλικοῦτον ἡλίκος om. CFG cum lacunae signo	habent BDEI
XV 26	νέφος εἶναι ceteri e sil.	εἶναι om. BI
XV 30	περικείμενον ceteri e sil.	παρακείμενον BI
	Διογένης — ἀνεῖσθαι habent ceteri e sil.	om. BEI
XV 32	κινουμένων ceteri e sil.	ῥινομένων B ῥινουμένων IE
	ἐπιέζετο ceteri e sil.	ἐβιάζετο δὲ BEI


Quas dedi lectiones qualescunque sunt, hoc tamen lacunarum et interpolationis [ut ὀκτὼ καὶ εἰκοσαπλασίω cf. p. 92] consensu cognoscitur consociandos esse codices BEI atque ab altera parte CFG. vacillat inter utrosque recentissimus ab erudito viro correctus et contaminatus D. quem ego ultimo loco numerare haud dubito, cum praesertim ei loci, quibus Freudenthalius non solum codice B sed omnibus eum praestare efficiebat ad unum omnes ex scriptoribus superstitibus aut ex ingenio sint correcti. quid enim? versiculus V 17 3 (64) in omnibus codicibus excidit. habet D [et E?]. huncine tu divinitus servatum an ex Plutarcho — nam is excerpitur — transcriptum putas? sed apage D quem vel Gaisfordius perexiguae auctoritatis duxit. de fide codicis B consentio cum Freudenthalio, dissentio de cognatione. nam in extremis certe libris, quae Placita continent totiens BI in lacunis [cf. e. g. t. IV p. 116. 117 G] et vitiis saepe fortuitis [e. g. μηδὲ ἓν t. III p. 473] consentiunt, ut quae ex superiore tabula evici, nullo modo refutari possint. E, recentissimum exemplum, qua necessitudine cum BI coniunctum sit, non possum diiudicare. num ex I descriptum sit, accuratiore aliquis oculorum examine efficiet. restant CGF, pleniores illi quam BI, qui artissime inter se cohaerent, ita tamen ut C stirpis illius et maior natu et praestantior sit progenies. horum virtutis testimonia praeter superiora ex Placitis collegi haec

in titulo [Eus. XIV 13 9] τοῖς ante φιλοσόφοις om. CFG cum Lampriae catalogo et Plut. codd. AB — τοῖς φιλοσόφοις ceteri.
I 4 tit. συνέστηκεν CDFG — συνέστη ceteri
I 5 4 εἰ γὰρ ὁ μὲν CDFG — εἰ μὲν γὰρ ceteri
I 9 6 ἄμορφον CDFG — εὔμορφον vulgata
II 13 2 ὁ ἀήρ CFG [cf. Stob.] — ἀήρ ceteri
II 13 3 ἀναρπάσαντα πέτρους CDFG — ἀνασπάσαντα πέτρας ceteri
II 14 tit. σχημάτων CFG — σχήματος ceteri
*II 15 4 φαίνωνα FG [E φαίωνα] — φαίνοντα ceteri
*II 16 7 στίλβωνα DFG — στίλβοντα ceteri
*II 16 2 om. ἐναντίους et γὰρ CFG — interpolatur vulgo
II 24 2 τῆς τοῦ πυρός CFG — τῆς om. vulgo
II 30 2 παραμεμίχθαι CFG — μεμίχθαι vulgo

falsae lectiones inveniuntur hae

I 3 1 ἐστιν ἀρχή CFG — ἀρχή ἐστιν recte vulgo
.τοῦ ὕδατος CFG — τῶν ὑδάτων recte vulgo
I 3 18 προστέθεικεν falso CFG — προσέθηκεν rectius vulgo
II 30 1 εἶναι δὲ CFG — εἶναι γὰρ recte vulgo.

in codice C nullum interpolationis vestigium inveni. complura in recentioribus FG. male enim correctum est I 10 1 μὴ ὑφεστῶσα, contra scite excogitatum I 4 4 σωμάτων et αὐγάς. semel II 6 1 FG — ingenione an meliore memoria fisi incertum — verum ἀρχήν pro ἀρχή servarunt soli. sed quod saepius querebar, omnis gradus in lubrico: equidem nihil cupidius opto quam ut denuo excussis codicibus vera codicum propagatio aperiatur. interea quod composui codicum stemma hoc utere mecum



XIII DE THEOPHRASTI IN LAERTIO DIOGENE EXCERPTIS

De Laertii Diogenis fontibus qui ante hos novem annos scribere coepit F. Nietscheus eam quaestionem, quae est de primariis auctoribus et unde quaeque antiquitus profluxerint, tangere noluit. nam quicunque in eo genere, quod et difficillimum duco et fructuosissimum proficere voluerit, is non frivola curiositate auctorum nomina perreptare, sed assiduo labore in mentem et consilia variorum scriptorum quasi insinuare debet. quod ille nec fecit nec facere potuit, quoniam id est subacti ingenii et aetatis maturioris. cum tamen quaestio aliquatenus esset promovenda, Laertii proximos fontes — nam in his fere se continuit — investigandos sibi proposuit. sed ne intra artiores quidem fines eam sobrietatem iudicii praestitit, qua aequalis F. Bahnschii quaestionum de Diogenis Laertii fontibus initia [Gumbinn. 1868] excellunt. at quantillum est quod illi omni dubitatione exemptum affirmare licuit. itaque Nietscheus in campum

ac venationem coniecturarum ingenium immisit et ut audaces fortuna adiuvare solet, contigit ut Dioclem Magnesium ex venatione gloriabundus reportaret. nimirum is eum librum quem nos Laertium nominare consueveramus, conscripsit, ex eo additis poematiis et breviusculis notis Laertius non hausit, sed impudenter descripsit. ecce quam longe relicta sit pusilla Bahnschii dubitatio, qui de Diocle pro certo nihil affirmare se fassus erat [p. 49]. neque fortiter affirmanti Nietscheo defuere, qui plauderent, praesertim cum sine ulla dubitatione recte iudicasset de quibusdam rebus atque omnino non vulgarem sollertiam et felicitatem ingenii prodidisset. eo magis nostrum esse ducimus cum de Laertio dicturi simus, Nietscheanam opinionem non modo incertissimam et aranearum telis tenuiorem demonstrare, sed aperte falsam. absit ut ratiunculas omnes elevem, quibus iste quod voluit perfecit coniectando — ecquem iuvat in tenebris micare —, at primum statim argumentum impugnemus, quo quasi tibicine subtracto tota sit structura casura. orsus est enim a Laertii loco VII 48 ἐν οὖν τοῖς λογικοῖς ταῦτά τε αὐτοῖς δοκεῖ κεφαλαιωδῶς καὶ ἵνα καὶ κατὰ μέρος εἴποιμεν καὶ τάδε, ἅπερ αὐτῶν εἰς τὴν εἰσαγωγικὴν τείνει τέχνην καὶ αὐτὰ ἐπὶ λέξεως τίθησι Διοκλῆς ὁ Μάγνης ἐν τῇ ἐπιδρομῇ τῶν φιλοσόφων λέγων οὕτως.[1] postrema ille sic cepit Mus. Rhen. XXIII 633: ***ut etiam particularia referamus, Diocles M. in philosophorum percursione etiam haec quoad ad artem isagogicam quadrant eaque item ad verbum his verbis usus ponit.*** hinc sane consequitur Dioclem non solum specialem, sed etiam generalem Stoicorum dogmatum partem conscripsisse et Laertium utrimque esse eius mancipium. hinc universum Stoicorum caput, tum Epicureorum, denique cunctos libros esse Dioclis, quae iam sua sponte consequuntur conclusiones. at cum priora latine vertere oblitus sit, plane incertus haereo, quo τὲ illud post ταῦτα referendum sit. nam quoniam post κεφαλαιωδῶς fortius distinctum voluit, mira concinnitate sibi responderent ταῦτά τε δοκεῖ—καὶ ... καὶ τάδε ... καὶ αὐτὰ τίθησι Διοκλῆς. vera interpretatio statim enitescit, simulac καὶ αὐτὰ pro vulgari καὶ ἃ dictum intellexeris. solent enim omnes omnis aetatis Graeci cum praesertim casus varii sint alterum relativum demonstrativo exprimere. neque a Latinis huius inversionis elegantia aliena est. itaque rectissime olim ab Ambrosio sententia intellecta est, quam sic habeto: '***in logicis igitur et haec placent quae summatim exposui et ut singillatim quoque persequar etiam haec, quae quidem ad institutionis artem Stoicorum pertinent quaeque Diocles in philosophorum percursione ad verbum sic ponit.***' ergo proxima § 49 sqq. ex Diocle transcripta sunt, priora unde manarint, Oedipo satius est ad divinandum proponere. ex Diocle nisi delirum fingas Laertium non petita sunt, praesertim cum utra-

[1] Cobeti coniecturas temere excogitatas nec ego curo et recte omisit Nietscheus. unum δοκεῖ [codd. δοκεῖν] recte correxit. Bahnschius p. 42 quia similiter atque ille intellexit, verba corrupta arbitratus in alia omnia discessit. cf. Nietsche Beitraege zur Quellenkunde Basel 1870 p. 7. quid sit εἰσαγωγικὴ τέχνη docet Gellius XVI 8 1.

que doctrina a diverso scriptore profecta sit putanda. [cf. Bahnsch l. c.] neque aliter fere Diocles citari solet nisi cum priore compendio relicto ad alterum se convertit compilator.[1] atque futurum esse auguror ut Dioclea ratione ac praecipue disponendi more perspecto aliquanto certius quid Diogenes furatus sit perspiciatur. modestior sane erit illa scrutatio, sed utique fructuosior quam istius *speciosa miracula.*

Sed dimittamus Nietscheum, ut eodem illo loco utamur ad mirum quoddam institutum Diogenis illustrandum. omnino enim dogmata prius κεφαλαιωδῶς tum κατὰ μέρος explicare solet. quem morem affirmat VII 38 τὰ δὲ δόγματα κοινῶς ἐστι τάδε. λελέχθω δ' ἐπὶ κεφαλαίων ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ποιεῖν εἰώθαμεν. et exstat eiusmodi in multis vitis bipartita decretorum expositio, sed nequaquam constanter. immo III 47 tanquam veniam petit singularia omisurus. hanc igitur satis miram consuetudinem ex fontium diversitate explicandam esse fere consentiunt. videamus quatenus nostra quaestio huic coniecturae faveat.

Ex Theophrasteorum electorum natura binas dogmatum dignoscimus collectiones: alteram ad summaria adscitam cum vitis artius coniunctam breviorem confusaneam, alteram limpidiorem copiosiorem physicis decretis contentam. ut quid intersit probe intellegas, ponam Heraclitei capitis priorem partem

IX 7 ἐδόκει δὲ αὐτῷ καθολικῶς μὲν τάδε. ἐκ πυρὸς τὰ πάντα συνεστάναι καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι. πάντα τε γίνεσθαι καθ' εἱμαρμένην καὶ διὰ τῆς ἐναντιοτροπῆς ἡρμόσθαι τὰ ὄντα. καὶ πάντα ψυχῶν εἶναι καὶ δαιμόνων πλήρη. εἴρηκε δὲ καὶ περὶ τῶν ἐν τῷ κόσμῳ συνισταμένων [πάντων] παθῶν ὅτι τε ὁ ἥλιός ἐστι τὸ μέγεθος ὅσος φαίνεται. λέγει δὲ καί· ψυχῆς πείρατα οὐκ ἂν ἐξεύροι ὁ πᾶσαν ἐπιπορευόμενος ὁδόν, οὕτω βαθὺν λόγον ἔχει. τήν τε οἴησιν ἱερὰν νόσον ἔλεγε καὶ τὴν ὅρασιν ψεύδεσθαι. λαμπρῶς τε ἐνίοτε ἐν τῷ συγγράμματι καὶ σαφῶς ἐκβάλλει ὥστε καὶ τὸν νωθέστατον ῥᾳδίως γνῶναι καὶ δίαρμα ψυχῆς λαβεῖν. ἥ τε βραχύτης καὶ τὸ βάρος τῆς ἑρμηνείας ἀσύγκριτον.

Vides miscellam compositionem. priora usque ad φαίνεται physica quaedam delibata praemittit, quae cum specialis partis ratione concordant. tum secuntur pulchre dicta ex Heracliti libro electa, denique laus scriptoris. talia a biographo mirabilia quaedam et insignia aucupante proficisci solent. quanto distant specialia inde a § 8 ad § 11 καὶ ταῦτα μὲν ἦν αὐτῷ τὰ δοκοῦντα! quanta est rerum gravitas, ordinis concinnitas, iudicii sagacitas. nec fieri potest quin illico Theophrasti quasi quendam saporem sentias.[2] adgnoscimus eandem capitum seriem quam in

[1] locum gravissimum hunc adscribam VI 12 ἀναγράφει δ' αὐτοῦ καὶ Διοκλῆς ταυτί. praecedit Antisthenis dogmatum altera collectio. ergo si Nietscheum sequimur, scribere debebat Laertius ἀναγράφει δ' αὐτοῦ καὶ ταυτί Διοκλῆς. sed recte explicavit Bahnschius p. 44. omnino ab hoc loco acrius ponderando proficisci iubeo eum, qui de Diocle sit scripturus.

[2] integritatem ut sentias affero vicissitudinem ternis elementis igne aqua terra confici, quam Stoici eorumque asseclae quarto aere augere solent. cf. Zeller I[4] 615[4], qui recte

Hippolyto invenimus, de principio, de mundo [§ 8. 9], de astris [§ 9. 10], de meteoris [11]. nec cur terrae memoria desideretur, siletur § 11 περὶ δὲ τῆς γῆς οὐδὲν ἀποφαίνεται ποία τίς ἐστιν ἀλλ' οὐδὲ περὶ τῶν σκαφῶν. **en simul gratum originis testimonium. nam hoc in more habet Peripateticus, ut falsis opinionibus refutatis quae in cuiusque doctrina desiderentur, breviter indicet. constat hoc ex fr. de sensu § 26 de Alcmaeone** περὶ δὲ ἁφῆς οὐκ εἴρηκεν οὔτε πῶς οὔτε τίνι γίνεται. **similiter de Anaxagora § 37** οὐ δηλοῖ δὲ τὰς σωματικωτάτας **[f.** σωματικωτέρας **praeter visum]** αἰσθήσεις. **§ 82 de Democrito** ποῖον δέ τι τὴν φύσιν ὂν ὑπὸ τίνος πάσχει οὐκέτι προσέθηκεν ὅπερ ἴσως ἦν κυριώτατον. Δημόκριτος μὲν οὖν οὕτως ἔνια παραλείπει. **similiter de Diogene l. c. § 9** τὸ δὲ περιέχον ὁποῖόν ἐστιν οὐ δηλοῖ. **et initio § 8** σαφῶς δ' οὐδὲν ἐκτίθεται. **verum enim vero Heracliti obscuritatem qui pervidere voluerit, coniectura carere non poterit. neque ex similitudine coniecturas facere videtur recusasse Theophrastus. Laertius quidem § 9 tradit** γίνεσθαι ἀναθυμιάσεις ἀπό τε γῆς καὶ θαλάττης ἃς μὲν λαμπρὰς καὶ καθαράς, ἃς δὲ σκοτεινάς. αὔξεσθαι δὲ τὸ μὲν πῦρ ὑπὸ τῶν λαμπρῶν, τὸ δ' ὑγρὸν ὑπὸ τῶν ἑτέρων . . . ἀθροιζομένας τὰς λαμπρὰς ἀναθυμιάσεις ἀποτελεῖν φλόγας, ἃς εἶναι τὰ ἄστρα. λαμπροτάτην δὲ εἶναι τὴν τοῦ ἡλίου φλόγα καὶ θερμοτάτην. **Aristoteles contra praefracte de siderum nutrimento quidquam eum docuisse negavit meteorol. II 2 p. 355ᵃ 18** ἄτοπον δὲ καὶ τὸ μόνον φροντίσαι τοῦ ἡλίου, τῶν δ' ἄλλων ἄστρων παριδεῖν αὐτοὺς τὴν σωτηρίαν. **qua in re haud vereor ne quisquam Schusteri temeritatem imitetur Aristotelea suspectantis [1]. sed Theophrastine sit coniectura an compilatoris** φλόγας **arbitrio interpretati, hic sane incertum. Stoici certe Heraclito similem suae opinionem tribuerunt Aët. II 17 4** Ἡράκλειτος καὶ οἱ Στωικοὶ τρέφεσθαι τοὺς ἀστέρας ἐκ τῆς ἐπιγείου ἀναθυμιάσεως **[cf. 20 6. 28 6]. sed afferam certiora. velut § 8** πῦρ εἶναι στοιχεῖον καὶ πυρὸς ἀμοιβὴν τὰ πάντα ἀραιώσει καὶ πυκνώσει γινόμενα· σαφῶς δὲ οὐδὲν ἐκτίθεται. **cum primis conferendum Theophr. fr. 1** Ἵππασος . . . καὶ Ἡράκλειτος . . . πῦρ ἐποιήσαντο τὴν ἀρχὴν καὶ ἐκ πυρὸς ποιοῦσι τὰ ὄντα πυκνώσει καὶ μανώσει . . . πυρὸς γὰρ ἀμοιβὴν εἶναί φησιν Ἡράκλειτος πάντα. πυρὸς ἀμοιβή **recte traditur [cf. Schuster p. 167], sed mira est opinio, qua** πύκνωσις καὶ μάνωσις **Heraclito tribuitur. de notitiae origine cum testibus consentientibus dubitandi nullus sit locus, hic certe Theophrasti adgnoscenda est coniectura. iamne intellegis cur velut ab excusante addatur, quod Laertius feliciter retinuit,** σαφῶς δὲ οὐδὲν ἐκτίθεται? [2] **non**

Schustero refragatur. nec Heracliti fr. 39 quod Bywaterus nuper addidit: τὰ ψυχρὰ [an ψυχρὸν om. τά?] θέρεται, θερμὸν ψύχεται, ὑγρὸν αὐαίνεται, καρφαλέον νοτίζεται ad elementorum quaternionem referas oportet.

[1] Heraclit. fr. p. 124. '*in solchen Nebensachen ist Aristoteles nicht immer der zuverlaessigste*'!

[2] quod Simplicius dicit phys. 32ʳ 46 ἐπὶ γὰρ τούτου μόνου [Anaximenis] Θεόφραστος ἐν τῇ ἱστορίᾳ τὴν μάνωσιν εἴρηκε καὶ τὴν πύκνωσιν, aperto errori debetur. nam de Diogene fr. 2 clare Theophrastus ipso Simplicio teste πυκνουμένου καὶ μανουμένου [τοῦ ἀέρος] usurpaverat. Zeller I⁴ 180⁴ ad priores tantum Ionicos referendum esse putat. fortasse Theo-

possum iterum Schusteri incredibile iudicium silentio praeterire. nam quae ego certissima Theophrasti vestigia probavi, ea Laertio adscripsit. quem vide quo nimium Heraclito patrocinandi studium deduxerit [p. 120[1]. 121]: *man sieht,* inquit, *in dieser sonst sehr nuetzlichen* (!) *compilation den aermlichen geist des Diogenes. Er bemerkt es als auffaellig, dass sich Heraclit ueber dies und das nicht weiter ausspreche, aber dies auf eine im ganzen der schrift begruendete ursache zurückzuführen faellt ihm nicht ein.*' gratularer mehercle isti homuncioni eam ingenii egestatem, qua talia specimina proferre suapte sponte potuisset.

Alter igitur locus a Laertio satis religiose transcriptus est ex Theophrasteo compendio, quale Hippolytus et Pseudo-Plutarchus in Stromatis tractarunt. brevior conspectus ex vitarum aliquo scriptore continuatus videtur, qui et ipse Theophrastum fortasse attigit sed neglegentius et alienis immixtis. idem conficitur ex Leucippi dogmatis. duplex iterum memoria IX 30 et 31—38. quam divisam in conspectu contuli p. 142. inde alterius sylloges origo Theophrastea apparet. Hippolytus quidem consimilia excerpta secutus est neque Placitorum opiniones non consentiunt. quid? luculentiorne potest confirmatio fingi quam quod iudicium illud κατά τινα ἀνάγκην ἣν ὁποία ἐστὶν οὐ διασαφεῖ etiam apud Hippolytum servatur 12 2 τίς δ' ἂν εἴη ἡ ἀνάγκη οὐ διώρισεν?[1] sed ne generalior quidem locus aliunde fluxit, utpote qui nisi brevitate ab altero vix dissentiat. ita fit, cum Hippolytus solito magis festinaverit ut haec ecloga illi sit simillima. dubito tantummodo de ultimis πρῶτός τ' ἀτόμους ἀρχὰς ὑπεστήσατο. nam praeter ordinem atomi nominantur et inventionis nota biographum potius vel Variarum historiarum collectorem redolet. itaque ne hic quidem priori fonti adulterini quiddam deesse videtur.

Bipartita etiam in Anaxagora dogmatum recensio. una perbrevis II 8 οὗτος ἔλεγε τὸν ἥλιον μύδρον εἶναι διάπυρον καὶ μείζω τῆς Πελοποννήσου, οἱ δέ φασι Τάνταλον, τὴν δὲ σελήνην οἰκήσεις ἔχειν ἀλλὰ [cf. supra p. 26] καὶ λόφους καὶ φάραγγας, quo miracula doctrinae selecta et aliena ut Tantalus [cf. schol. Pind. ad Olymp. I 97] inculcata sunt. altera vero perbonae notae e puro Opinionum fonte hausta §§ 8. 9. capitum ordo est servatus (de principiis, mundo, astris, lacteo orbe, cometis, ventis, tonitribus, fulguribus, animantium denique origine) et decreta concinna Hippolyteis ceterisque

---

phrastus apud Anaximenem solum ista clare expressa esse dixerat. omnem difficultatem effugies, si Useneri emendationem τούτου πρώτου mecum probaris. Theophrasti de Heraclito coniectura sive vera est [cf. Schuster p. 261[1]] sive falsa [Zeller I^4 593] suo iure nitebatur Aristotelis locis phys. I 6 p. 189^b 8 metaphys. A 7 p. 988^b 34.

[1] neque hoc Zellerum fugere poterat I^4 788^4 qui recte primum auctorem iudicii indicavit Arist. d. cael. III 2 p. 300^b 9 Metaph. A 4 p. 985^b 19. non praeteribo Theophrastum Leucippo qui inter Democritea ferebatur Μέγαν διάκοσμον vindicasse [Diog. IX 46]. atqui Laertiani excerpti forma, cum repetatur itendidem φησίν [IX 31 cf. Hirzel Unters. I 184[1]], ex Leucippi libro aliquo doctrinam explicatam esse monstrat, quem Μέγαν διάκοσμον fuisse Hirzelius suspicatur.

excerptis, quae in conspectu 3 p. 137 sqq. comparavi. hinc simul apparet etiam ea quae in breviore summario de sole et luna compilata sunt (omissa deinde a Laertio infra) ad Theophrastum quamvis alia via redire. fortasse etiam principium Laertiani capitis eiusdem memoriae non expers est. nam quod et hic et alibi passim tamquam genuinum principium Anaxagorei libri citatur: πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα ὁ νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε, a Theophrasto primo tali modo in brevem formulam contractum videtur [cf. Schaubach p. 67. 128.], cui Aristotelis [Phys. VIII 1 p. 256ᵇ 24] exemplo uti licuit. sed hoc pro certo affirmare nolo.

Eadem divisio etiam in Archelao pellucet. ac II 16 quoniam physicis ethica adduntur ad priorem fontem reducimur. praeterea quae hic pressit καὶ τὰ ζῷα ἀπὸ τῆς ἰλύος γεννηθῆναι infra dilatata sunt. altera accuratior sylloge physica sola complectitur, sed ordo perversus est. maris origo ante animalium generationem ponenda erat et ultima καὶ τὸ πᾶν ἄπειρον ad initium revocanda. sed quantumvis compilatorum culpa genuinus ordo turbatus sit, de Theophrasto auctore ne punctum quidem temporis ambiges. cf. consp. 4 p. 139. Hippolytus certe pleraque egregie confirmat et prioris quoque fontis physica eidem vindicat. maiores turbae in Parmenide cognoscuntur, sed ipsius Theophrasti testimonio ne haesitemus providetur.

IX 21 πρῶτος δ' οὗτος τὴν γῆν ἀπέφηνε σφαιροειδῆ [cf. Theophr. fr. 17] καὶ ἐν μέσῳ κεῖσθαι.

δύο τ' εἶναι στοιχεῖα πῦρ καὶ γῆν καὶ τὸ μὲν δημιουργοῦ τάξιν ἔχειν, τὴν δ' ὕλης [cf. Hippolyt. 11 1 Theophr. fr. 6] γένεσίν τ' ἀνθρώπων ἐξ ἰλύος πρῶτον γενέσθαι

αἴτια [codd. αὐτὸν] δ' ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν, ἐξ ὧν τὰ πάντα συνεστάναι. καὶ τὸν νοῦν καὶ τὴν ψυχὴν ταὐτὸν εἶναι [cf. de sens. § 4], καθὰ μέμνηται καὶ Θεόφραστος ἐν τοῖς Φυσικοῖς πάντων σχεδὸν ἐκτιθέμενος τὰ δόγματα. omnia haec Theophrastea esse pauci erunt qui infitientur. priora inde non suo ordine prolata ex intercedente Vitarum nescio quo enchiridio fluxerunt, cetera ab αἴτια breviter ex ipso Opinionum libro transcripta sunt. nam duplex est exordium: unum δύο τ' εἶναι στοιχεῖα πῦρ καὶ γῆν, alterum αἴτια δ' ὑπάρχειν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν, verbis diversum utrumque, re idem. veri simile est biographum etiam priora § 21 Ξενοφάνους δὲ διήκουσε Παρμενίδης Πύρητος Ἐλεάτης (τοῦτον Θεόφραστος ἐν τῇ Ἐπιτομῇ Ἀναξιμάνδρου φησὶν ἀκοῦσαι), ὅμως δ' οὖν ἀκούσας καὶ Ξενοφάνους οὐκ ἠκολούθησεν αὐτῷ. ἐκοινώνησε δὲ καὶ Ἀμεινίᾳ καὶ Διοχαίτῃ τῷ Πυθαγορικῷ, ὡς ἔφη Σωτίων, ἀνδρὶ πένητι μὲν καλῷ δὲ κἀγαθῷ ᾧ καὶ μᾶλλον ἠκολούθησε καὶ ἀποθανόντος ἡρῷον ἱδρύσατο. γένους θ' ὑπάρχων λαμπροῦ καὶ πλούσιος ὑπ' Ἀμεινίου ἀλλ' οὐχ ὑπὸ Ξενοφάνους εἰς ἡσυχίαν προετράπη scripsisse vel potius ex Sotione vel Sotionis compendio compilasse cf. p. 147. ecce iterum binariae memoriae testimonium: hic Theophrasti Opinionum epitome laudatur — nam alius liber vix cogitari potest — illic ἐν τοῖς Φυσικοῖς.

Adhuc bini fontes disiungi poterant. iam vero enumerabo eas dog-

matum recensiones, quae confusaene an ex alterutro compilatae sint non liquido constat. quod genus Democritea sunt IX 44. principia ex ordine: elementa, mundi origines, solis lunae fabrica, tum καὶ τὴν ψυχὴν ὁμοίως, ἣν καὶ νοῦν ταὐτὸν εἶναι, denique visus. haec e Theophrasto arcessita esse possunt. iam vero extra ordinem necessitatem memorat, quin etiam moralia, ut aliorsum nos deductos esse sentiamus. extrema sunt haec: ποιότητας δὲ νόμῳ εἶναι, φύσει δὲ ἄτομα καὶ τὸ κενόν, quae iam Nietscheo ut prioribus consona alterius partis κατὰ μέρος fragmentum visa sunt [Beitr. p. 19]. quamquam est, quod huic rationi obstet. sed priorem certe fontem ad manum fuisse noli dubitare. contra sola Theophrastea adgnoverim in Diogenis Apolloniatae decretis IX 57 ἐδόκει δὲ αὐτῷ τάδε — ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ. nam ordo est sanus, dogmata Theophrasteis concinna [cf. consp. 8 p. 144]. eandem formam praebent Zenonis Eleatae dogmata IX 29, quae tamen cum physica sint et Empedoclis quam Parmenidis similiora gravissimae dubitationi obnoxia sunt cf. Aëtius I 7 28. antiquus error latere videtur, sed nondum satis explicatus.[1] ceterorum excerptorum copia nos deficit in Empedocleis VIII 76 ἐδόκει δ' αὐτῷ τάδε — 77 ἰχθύς, quae Theophrasteam quidem speciem produnt. sed ne confidentius iudicemus obstat insignis interpretationis error, quem supra allegoriarum scriptoribus proprium dixi p. 90. ergo inferiorum utique adulterium passae sunt, si modo fuerunt, Theophrasti eclogae.[2]

Pergo brevioris fontis vestigia colligere. summatim exponitur de Anaximandri placitis II 1 οὗτος ἔφασκεν — καθαρώτατον πῦρ. imperitiorem manum haec passa sunt. namque excerptor cum singularem philosophi doctrinam non caperet, impudenter Stoica subdidit γῆν κέντρου τάξιν ἐπέχουσαν οὖσαν σφαιροειδῆ. nec minus falsum σελήνην ψευδοφαῆ καὶ ἀπὸ ἡλίου φωτίζεσθαι, quod nominibus confusis ab Anaxagora ad Anaximandrum translatum esse suspicor [cf. Plac. II 30 2 II 28 5]. Stoicus iterum comparet cum soli καθαρώτατον πῦρ adscribit. nec tamen Vitarum scriptor qui haec conflavit Theophrasti fuit ignarus, quod et in conspectu probavi p. 133 et lemmatum confusione vel maxime confirmatum arbitror. neque enim facilis est error nisi in doxographo quodam libro. idem scriptor Anaximenea II 3 οὗτος ἀρχὴν ἀέρα εἶπε καὶ τὸ ἄπειρον, κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄστρα οὐχ ὑπὸ γῆν ἀλλὰ περὶ γῆν ex Opinionibus compilavit. nam ne brevissima quidem haec vitio carent. scriptum oportuit ἀέρα ἄπειρον, sed ad Theophrastea redeuntibus [fr. 2] παρακούσματος fons patet. cognata cum his excerptis sunt de Thalete haec I 27 ἀρχὴν δὲ τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο καὶ τὸν κόσμον ἔμψυχον καὶ δαιμόνων πλήρη. nam ultima de qui-

[1] cum Zenone Stoico confusum esse Eleatam non concedo Zellero I[4] 538. nam e. g. de anima quae dicit Diogenes abhorrent. Aëtii placitum etiam dissimilius. neque ἐξήγησις Ἐμπεδοκλέους, quam Zenoni Suidas tribuit, aliter potest in censum venire, nisi ut veteres commenticio libro falsos dicamus.

[2] conferantur tamen versus ἄλλοτε μὲν φιλότητι — νείκεος ἔχθει § 76 cum Theophr. fr. 3.

bus dixi p. 128[8] in Heracliti fonte biographo recurrunt πάντα ψυχῶν εἶναι καὶ δαιμόνων πλήρη [ex Arist. d. part. an. I 5 p. 645[a] 17]. biographus etiam Xenophanea, undecumque accepit, male mulcavit IX 19 φησὶ δὲ τέτταρα εἶναι τῶν ὄντων στοιχεῖα [? cf. Zeller I[4] 498[1]], κόσμους δὲ ἀπείρους οὐ παραλλάκτους δέ [! cf. Zeller I[4] 500[1]]. τὰ νέφη συνίστασθαι τῆς ἀφ' ἡλίου ἀτμίδος ἀναφερομένης καὶ αἰρούσης αὐτὰ εἰς τὸ περιέχον [intelleges quid sibi velit ex Aët. III 4 4]. οὐσίαν θεοῦ σφαιροειδῆ μηδὲν ὅμοιον ἔχουσαν ἀνθρώπῳ. ὅλον δ' ὁρᾶν καὶ ὅλον ἀκούειν μὴ μέντοι ἀναπνεῖν [? cf. Zeller I[4] 490[3]]. σύμπαντά τ' εἶναι νοῦν καὶ φρόνησιν καὶ ἀίδιον. πρῶτός τ' ἀπεφήνατο ὅτι πᾶν τὸ γινόμενον φθαρτόν ἐστι [nisi πρῶτος illud inepte positum velis, rescribendum ἄφθαρτόν ἐστι conlatis Placitis II 4 7 et 11. sed vereor ne talia ὅτι τὸ πᾶν οὔτε γινόμενον οὔτε φθαρτόν ἐστι perversa sint] καὶ ἡ ψυχὴ πνεῦμα [?]. ἔφη δὲ καὶ τὰ πολλὰ ἥσσω νοῦ εἶναι [ἥσσω ἑνὸς Menagius, at cf. Zeller I[4] 491[1]] καὶ τοῖς τυράννοις ἐντυγχάνειν ἢ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα. vides nullum esse ordinem et apophthegmata, quae continuantur § 20, addita esse. cum Sotio et § 18 et 20 [cf. supra p. 147[2]] et in coniuncto capite de Parmenide § 21 citetur, etiam illa biographorum indoctas manus passa esse veri simile est. ex biographo Philolai quoque manavit caput. qui cum dicit VIII 85 δοκεῖ δ' αὐτῷ πάντα ἀνάγκῃ καὶ ἁρμονίᾳ γίνεσθαι καὶ τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον πρῶτος [ecce biographus!] εἶπεν· οἱ δ' Ἱκέταν τὸν Συρακόσιόν φασιν, Theophrastum (fr. 18) inspexit. melior nota Melissei capitis IX 24 ἐδόκει δ' αὐτῷ τὸ πᾶν ἄπειρον εἶναι καὶ ἀναλλοίωτον καὶ ἀκίνητον καὶ ἓν ὅμοιον ἑαυτῷ καὶ πλῆρες. κίνησίν τε μὴ εἶναι, δοκεῖν δ' εἶναι. ἀλλὰ καὶ περὶ θεῶν ἔλεγε μὴ δεῖν ἀποφαίνεσθαι. μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν. nam species similis est eis, quae de Hippaso notantur VIII 84 ἔφη δὲ χρόνον ὡρισμένον εἶναι τῆς τοῦ κόσμου μεταβολῆς καὶ πεπερασμένον εἶναι τὸ πᾶν καὶ ἀεικίνητον. quae non solum Aëtius similiter rettulit I 5 5 [Theodor. IV 12] Ἵππασος δὲ ὁ Μεταποντῖνος καὶ Ἡράκλειτος ὁ Βλόσωνος ὁ Ἐφέσιος ἓν εἶναι τὸ πᾶν ἀεικίνητον καὶ πεπερασμένον, ἀρχὴν δὲ τὸ πῦρ ἐσχηκέναι, sed etiam, ut simul fontem adgnoscas, Theophrastus fr. 1 Ἵππασος δὲ ὁ Μεταποντῖνος καὶ Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος ἓν καὶ οὗτοι καὶ κινούμενον καὶ πεπερασμένον, ἀλλὰ πῦρ ἐποίησαν τὴν ἀρχὴν ..... ποιεῖ δὲ καὶ τάξιν τινὰ καὶ χρόνον ὡρισμένον τῆς τοῦ κόσμου μεταβολῆς. sed haec hactenus.

Invenimus in Laertii de physicis philosophis capitibus binos scriptores compilatos perinde atque in Hippolyti Philosophumenis. uterque ex Theophrasti thesauro hausit, sed hic primoribus labris res insignes etiam aliunde arcessivit, ille physica tantum sed compositius et prolixius ex unis Opinionibus excerpsit. priorem fontem Laertius coniunctum cum vitis invenisse et transtulisse videtur, alterum laudabili consilio tamquam supplementum addidisse. Laertiana autem est inventio, ut eadem κεφαλαιωδῶς et κατὰ μέρος perspicuitatis gratia exponere sese simulet. scilicet hoc est quod ait Hieronymus *ex necessitate virtutem facere.* ceterum biographi vestigia infra etiam alibi pressa demonstrabo. de Theophrastea epitome a quo et quando facta sit et num cognata sit cum Hippolyti

Plutarchique aliisque excerptis, argutari nolo. satis est scire talia compendia frequenti usu per antiquitatem viguisse.

XIV DE COMPENDIO EUSEBIANO

Simile enchiridion Eusebio ad manum fuit, cuius eclogis excerpta e Plutarcho Aristotele Platone aliis velut glutine coniunxit et continuavit. operae pretium erit disiecta membra colligere et successionis compendium Laertiano simillimum sed multo brevius componere. quo in negotio cavendum tamen est ne Eusebii ipsius vel Clementis memoria quaerentes fallat.[1] nomen scriptoris Eusebius, quia non ad verbum compilat, tacet et frustra aliquis quaesiverit. sed memorabile est, huic quoque Theophrastei corporis copiam fuisse. quod elucet ex Democriti Heracliti Parmenidis opinionibus, quas paulo copiosius excerpsit XIV 3 7—9.

9 ὁ δὲ Δημόκριτος ἀρχὰς τῶν ὅλων ἔφη εἶναι τὸ κενὸν καὶ τὸ πλῆρες τὸ πλῆρες ὂν λέγων καὶ στερεόν, τὸ δὲ κενὸν μὴ ὄν. διὸ καί φησι μηδὲν μᾶλλον τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος εἶναι, ὅτι τε ἐξ αἰδίου τὰ ὄντα ἐν τῷ κενῷ συνεχῶς καὶ ὀξέως κινεῖται.	Hippolyt. 13 2 de Democrito λέγει δὲ ὁμοίως Λευκίππῳ περὶ στοιχείων πλήρους καὶ κενοῦ τὸ μὲν πλῆρες λέγων ὄν, τὸ δὲ κενὸν οὐκ ὄν. ἔλεγε δὲ ὡς ἀεὶ κινουμένων τῶν ὄντων ἐν τῷ κενῷ. cf. Aristot. metaphys. A 4 p. 985^b 4. Theophrast. fr. 8.
8 ὁ δὲ Ἡράκλειτος ἀρχὴν τῶν πάντων ἔφη εἶναι τὸ πῦρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα γίνεται καὶ εἰς ὃ ἀναλύεται. ἀμοιβὴν γὰρ εἶναι τὰ πάντα, χρόνον τε ὡρίσθαι τῆς τῶν πάντων εἰς τὸ πῦρ ἀναλύσεως καὶ τῆς ἐκ τούτου γενέσεως	Theophr. fr. 1 Ἵππασος . . . καὶ Ἡράκλειτος . . . πῦρ ἐποίησαν τὴν ἀρχὴν καὶ ἐκ πυρὸς ποιοῦσι τὰ ὄντα πυκνώσει καὶ μανώσει καὶ διαλύουσι πάλιν εἰς πῦρ ὡς ταύτης μιᾶς οὔσης φύσεως τῆς ὑποκειμένης. πυρὸς γὰρ ἀμοιβὴν εἶναί φησιν Ἡράκλειτος πάντα. ποιεῖ δὲ καὶ τάξιν τινὰ καὶ χρόνον ὡρισμένον τῆς τοῦ κόσμου μεταβολῆς κατά τινα εἱμαρμένην ἀνάγκην cf. p. 164. 168
9 οἵδε μὲν οὖν πάντα κινεῖσθαι ἔφασαν. ὁ δὲ Παρμενίδης τὸ γένος Ἐλεάτης ὢν ἓν μὲν εἶναι τὸ πᾶν, ἀγέννητον	Hippolyt. 11 1 Παρμενίδης ἓν μὲν τὸ πᾶν ὑποτίθεται ἀίδιόν τε καὶ ἀγέννητον καὶ σφαιροειδές.

[1] quoniam a successionum scriptoribus nostrum consilium abhorret, satis est capita indicare, quae eo ordine pono, quo successiones sese excepisse veri simile est P. E X 4 10—17 [sed cf. Clem. Strom. I p. 352P] X 14 11—16 [cf. p. 152] XV 62 7—11 XIV 15 11 XIV 4 13—16 XIV 7 14. 15. XIV 8 15 XV 13 6 XIV 3 6—9 XIV 16 13 XIV 17 10 XIV 19 8—10 XV 18 31. 32 XIV 20 13. 14. hunc fontem cum vulgo nesciant, lemmatum confusio est creberrima velut XIV 17 10 Aristocli continuatur [e. g. a Zellero I^4 861^2] XIV 7 14 Numenio [velut a Gaisfordio et Thedinga Numenii fragm. Bonn. 1875 p. 6. 41].

δὲ καὶ ἀκίνητον καὶ κατὰ σχῆμα σφαιροειδὲς ὑπάρχειν ἐδογμάτιζε.	Theophr. fr. 6 Παρμενίδης . . . κατ' ἀλήθειαν μὲν ἓν τὸ πᾶν καὶ ἀγέννητον καὶ σφαιροειδὲς ὑπολαμβάνων.
XIV 19 9 τὸν μὲν οὖν Μητρόδωρον Δημοκρίτου ἔφασαν ἀκηκοέναι. ἀρχὰς δὲ ἀποφήνασθαι τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενόν.	Theophr. fr. 8 extr. καὶ Μητρόδωρος ὁ Χῖος ἀρχὰς σχεδόν τι τὰς αὐτὰς τοῖς περὶ Δημόκριτον ποιεῖ τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενὸν τὰς πρώτας αἰτίας ὑποθέμενος.

etiam alii aliis usi sunt enchiridiis scriptores ecclesiastici, quorum etsi origo crassis tenebris occultata est (nisi quod Theophrastei non nihil conspicuum est), tamen ut incredibilem harum litterarum ubertatem mireris, brevissime hoc loco mentionem facere non alienum est.

ac Theodoretus quidem habet hoc summarium Graec. aff. cur. II 9—11 Θαλῆς μὲν γὰρ τῶν ἑπτὰ καλουμένων σοφῶν ὁ πρεσβύτατος ἀρχὴν πάντων τὸ ὕδωρ ὑπέλαβεν Ὁμήρῳ γε οἶμαι εἰρηκότι πιστεύσας

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν

Ἀναξίμανδρος δὲ τοῦτον διαδεξάμενος ἀρχὴν ἔφη τὸ ἄπειρον

Ἀναξιμένης δὲ ὁ τούτου διάδοχος καὶ Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης τὸν ἀέρα ξυμφώνως ἀρχὴν προσηγορευσάτην

Ἵππασος δὲ ὁ Μεταποντῖνος καὶ Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος τῷ πυρὶ τὴν ἀρχὴν τῶν πάντων ἀπενειμάτην

ὁ δὲ Ἀκραγαντῖνος Ἐμπεδοκλῆς τὰ στοιχεῖα ἔφη τὰ τέτταρα

Ξενοφάνης δὲ ὁ Κολοφώνιος τὸ πᾶν αΐδιον ἐκ δὲ τῆς γῆς τὰ πάντα

καὶ Παρμενίδης δὲ ὁ τούτου ἑταῖρος ὁ Ἐλεάτης ὡσαύτως τόνδε τὸν λόγον ἐκράτυνε, ψευδὲς δὲ ἀπέφηνε τῶν αἰσθήσεων τὸ κριτήριον ἥκιστα λέγων ἐφικνεῖσθαι τοῦτο τῆς ἀληθείας

Δημόκριτος δὲ ὁ Ἀβδηρίτης ἄπειρον τὸ πᾶν εἴρηκε καὶ ἀγένητον

Ἐπίκουρος δὲ ὁ Νεοκλέους ὁ Ἀθηναῖος ἐκ τῶν ἀτόμων ἐξ ἀρχῆς συστῆναι τὸ πᾶν, εἶναι μέντοι ἄναρχον καὶ ἀΐδιον

καὶ Μητρόδωρος δὲ ὁ Χῖος καὶ Ζήνων ὁ Ἐλεάτης καὶ Διογένης ὁ Σμυρναῖος διαφόρους ἀρχὰς τῶν ὅλων ὑπέθεντο.

non nulla videantur Aëtianis cognata velut praeter vulgaria Hippasi cum Heraclito Xenophanisque placita, quae ex alio Theodoreti loco [cf. ad Aët. I 5 5 et I 3 12] supplevi. sed Parmenidis locus qui initio consentit, in reliquis in plane alia excurrit atque Thaletis opinio Homeri altero illo versu [cf. supra p. 95] confirmatur, ut Aristotelis metaphysica [A 3 p. 983^b 20 sqq.] [1] nescio quo intercedente expressa esse pateat. nam ibi Homerici illius versus memoria et Anaximenes cum Diogene, Hippasus cum Heraclito coniuncti inveniuntur. Empedoclis quoque similiter opinio stringitur p. 984^a 8. cetera de Anaximandro Xenophane Parmenide Democrito Epicuro Metrodoro Chio Zenone Eleate Diogene Smyrnaeo ab Aristotele abhorrent et videntur ex exili quodam successionum compendio hausta ipsiusque vel doctrina vel ariolatione expleta esse. ut si

[1] indidem hausit Chalcidius in Tim. p. 378 Meurs.

quis Xenophanea illa Aëtii non immemorem eum scripsisse contendat, non repugnem. at quod Metrodorum Zenonem Diogenem διαφόρους ἀρχὰς τῶν ὅλων perhibuisse tradit, fumum fecit. quid? cum nemo veterum quid Diogeni Smyrnaeo placuerit, sciverit, tune Theodoretum scivisse credis? mihi vero nihil nisi successionis stemma illi praesto fuisse certum, ubi Diogeni legitimus est ante Anaxarchum locus. velut apud Clementem Strom. I 64 p. 353 P. succedunt Eleatici Xenophanes Parmenides Zeno Leucippus Democritus Protagoras Metrodorus Diogenes Anaxarchus. plenius etiam Eusebii quod dixi compendium Nessa inter Protagoram et Metrodorum interposito cf. Krische Forsch. p. 169. itemque Diog. IX 58 Ἀνάξαρχος Ἀβδηρίτης. οὗτος διήκουσε Διογένους τοῦ Σμυρναίου, οἱ δὲ [? ὁ δὲ] Μητροδώρου τοῦ Χίου ... Μητρόδωρον δὲ Νέσσου τοῦ Χίου, οἱ δὲ Δημοκρίτου φασὶν ἀκοῦσαι. paulo aliter Epiphanius infra p. 176.

Similia Irenaeus c. haer. II 14 cum christianis sectis composuit

II 14 2 *Thales quidem Milesius universorum generationem et initium aquam dixit esse ...*

Homerus autem poeta Oceanum deorum genesin et matrem Thetin dogmatizavit ...

Anaximander autem hoc quod immensum est omnium initium subiecit seminaliter habens in semet ipso omnium genesin: ex quo immensos mundos constare ait ...

Anaxagoras autem qui et atheus cognominatus est dogmatizavit facta animalia decidentibus e caelo in terram seminibus ...

umbram autem et vacuum ipsorum a Democrito et Epicuro sumentes [haeretici] *sibimet ipsis aptaverunt cum illi primum multum sermonem fecerint de vacuo et de atomis: quorum alterum quidem quid esse vocaverunt alterum vero quod non est appellaverunt .... quod autem dicunt imagines esse haec eorum quae sunt manifestissime Democriti et Platonis sententiam edisserunt. Democritus enim primus ait multas et varias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc mundum.*

Plato vero rursus materiam dicit et deum ...

4 *et hoc autem quod ex subiecta materia dicunt fabricatorem fecisse mundum et Anaxagoras et Empedocles et Plato primi ante hos dixerunt ...*

6 *quod autem velint in numeros transferre universum hoc a Pythagoricis acceperunt. primum enim hi initium omnium numeros substituerunt et initium ipsorum parem et imparem ex quibus et quae sensibilia et insensata sunt subiecerunt. et altera quidem substitutionis initia esse, altera autem sensationis et substantiae. ex quibus primis omnia perfecta dicunt quemadmodum statuam de aeramento et de formatione ...*

Pythagorei quaternationem velut genesin et matrem omnium enarrant.

Etiam Irenaei locus Aristotelis commone facit. nam praeter Thalem Homero iunctum etiam Democritus Metaphys. l. c. p. 985^b 5 similiter tractatur. sed pleraque vulgaria sunt praeter Anaximandri opinionem,

quae ut melius intellegatur, graece refingenda erit: Ἀναξίμανδρος δὲ τὸ ἄπειρον ἀρχὴν πάντων ὑπέθετο σπερματικῶς ἔχον ἐν αὐτῷ τὴν γένεσιν τῶν πάντων, ἐξ οὗ συστῆναι ἀπείρους κόσμους. hoc si mittas Stoicum illud σπερματικῶς vix aliud significat quam Plutarcheum [Stromat. 2] τὸ ἄπειρον τὴν πᾶσαν αἰτίαν ἔχειν τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως καὶ φθορᾶς, ἐξ οὗ δή φησι τούς τε οὐρανοὺς ἀποκεκρίσθαι καὶ καθόλου τοὺς ἅπαντας ἀπείρους ὄντας κόσμους. cum extremis Irenaei cf. Simplic. de cael. schol. 480ᵃ 35 Br. Ἀναξίμανδρος μὲν ἄπειρον τῷ μεγέθει τὴν ἀρχὴν θέμενος ἀπείρους ἐξ αὐτοῦ τῷ πλήθει κόσμους ποιεῖν δοκεῖ. de Simplicii errore cf. Zellerus I[4] 215[4], qui tamen ut Irenaeus docet a corrigendo ἐξ αὐτῆς melius abstinuisset. etiam Anaxagorae de animantium origine placitum singulare. cui tamen non defuit Schaubachii fr. p. 182 neque Zelleri I[4] 907[1] patrocinium. sed cum Chrysippum Euripidis fr. 836 N. citet, etsi Anaxagorea haud recte cum tragicis miscuit, [cf. supra p. 94 sq.], tamen erroris fontem haud dubie aperuit. nam simillime Vitruvius et ille quidem sine errore VIII praef. § 1 *Euripides auditor Anaxagorae quem philosophum Athenienses scenicum appellaverunt aera et terram eamque ex coelestium imbrium conceptionibus inseminatam fetus gentium et omnium animalium in mundo procreavisse* etc. quid ipsi Anaxagorae placuerit, videre licet e Theophrasteis p. 139 ex Hippolyto 8 12 et Diogene II 9 collectis cf. infra p. 190.

Arnobius talia prodit adv. nat. II 9

Qui cunctorum originem esse dicit ignem aut aquam non Thaleti aut Heraclito credit?

qui causam in numeris ponit, non Pythagorae Samio, non Archytae?

qui animam dividit et incorporales constituit formas non Platoni Socratico?

qui quintum elementum principalibus applicat causis non Aristoteli Peripateticorum patri?

qui ignem minatur mundo et venerit cum tempus arsurum non Panaetio Chrysippo Zenoni?

qui individuis corporibus mundos semper fabricatur et destruit non Epicuro Democrito Metrodoro?

qui nihil ab homine comprehendi atque omnia caecis obscuritatibus involuta non Arcesilao Carneadi non alicui denique Academiae veteris recentiorisque cultori?

10 *Ipsi denique principes et praedictarum patres sectarum, nonne ipsa ea quae dicunt suis credita suspicionibus dicunt?*

vidit enim Heraclitus res ignium conversionibus fieri?

concretione aquarum Thales?

Pythagoras numeros coire?

incorporales formas Plato?

individuorum Democritus concursiones?

futtilitatem huius eclogae nolo longius persequi. Ionicorum et Italicorum binis exemplis propositis quattuor principales sectas nulla doctrina

explicat. velut Panaetii Stoici nomen cum memoriolae inhaeserit, infeliciter cum exustione mundi coniungitur cf. [Philo] de incorr. mund. p. 248, 11 Bern. si Thaletis *concretionem* credit, posteriorum coniecturas sequitur [cf. Zeller I[4] 180[b]]. una est insignior nota, quod distinguit veterem recentioremque academiam Ciceronis Varronisque exemplum secutus, non posteriorum qui quinque recensere solebant. sed fortasse plures ille ne cognoverat quidem.

Multo melioris notae est Augustini excerptum de civ. dei VIII 2, quod inscribitur *de duobus generibus id est Italico et Ionico eorumque auctoribus* cf. Sidon. Apollin. XV 87 sqq. [Krische p. 167].

Quantum enim adtinet ad litteras Graecas quae lingua inter ceteras gentium clarior habetur, duo philosophorum genera traduntur: unum Italicum ex ea parte Italiae quae quondam magna Graecia nuncupata est, alterum Ionicum in eis terris ubi et nunc Graecia nominatur.

Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium a quo etiam ferunt ipsum philosophiae nomen exortum. nam cum antea sapientes appellarentur qui modo quodam laudabilis vitae aliis praestare videbantur, iste interrogatus quid profiteretur philosophum se esse respondit id est studiosum vel amatorem sapientiae, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur.

Ionici vero generis princeps fuit Thales Milesius unus illorum septem qui sunt appellati sapientes. sed illi sex vitae genere distinguebantur et quibusdam praeceptis ad bene vivendum accommodatis; iste autem Thales ut successores etiam propagaret rerum naturam scrutatus suasque disputationes litteris mandans eminuit maximeque admirabilis extitit, quod astrologiae numeris conprehensis defectus solis et lunae etiam praedicere potuit. aquam tamen putavit rerum esse principium et hinc omnia elementa mundi ipsumque mundum et quae in eo gignuntur existere. nihil autem huic operi quod mundo considerato tam mirabile aspicimus ex divina mente praeposuit.

huic successit Anaximander eius auditor mutavitque de rerum natura opinionem, non enim ex una re sicut Thales ex umore sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putavit. quae rerum principia singularum esse credidit infinita et innumerabiles mundos gignere et quaecumque in eis oriuntur; eosque mundos modo dissolvi modo iterum gigni existimavit quanta quisque aetate sua manere potuerit; nec ipse aliquid divinae menti in his rerum operibus tribuens.

iste Anaximenem discipulum et successorem reliquit qui omnes rerum causas aeri infinito dedit nec deos negavit aut tacuit. non tamen ab ipsis aerem factum sed ipsos ex aere ortos credidit.

Anaxagoras vero eius auditor harum rerum omnium quas videmus effectorem divinum animum sensit et dixit ex infinita materia quae con-

staret similibus inter se particulis rerum omnium quibus suis et propriis singula fieri sed animo faciente divino.

Diogenes quoque Anaximenis alter auditor aerem quidem dixit rerum esse materiam de qua omnia fierent; sed eum esse compotem divinae rationis sine qua nihil ex eo fieri posset.

Anaxagorae successit auditor eius Archelaus. etiam ipse de particulis inter se similibus quibus singula quaeque fierent ita putavit constare omnia ut inesse etiam mentem diceret quae corpora aeterna id est illas particulas coniungendo et dissipando ageret omnia. Socrates huius discipulus fuisse perhibetur magister Platonis propter quem breviter cuncta iste recolui.

Etsi ex biographo haec Ionicorum successio delibata est, quod cum alia tum illa de Diogene *Anaximenis alter auditor* [cf. Kirsche 167] suadent, tamen non fuit ille vulgaris eruditionis. velut de Anaximandro sic loquitur ut Anaxagorea simul obversari videantur. nam *principia singulorum infinita,* non *infinitum* posuit, quod Theophrastum quodammodo praeivisse dicas cf. fr. 4 [Zeller I⁴ 193[1]]. atque proxima *innumerabiles mundos gignere* [Plut. Strom. 2 τοὺς ἅπαντας ἀπείρους ὄντας κόσμους] *et quaecumque in eis oriuntur* [Theophr. fr. 2 Hippol. 6 1 τοὺς οὐρανοὺς καὶ τοὺς ἐν αὐτοῖς κόσμους] *eosque mundos modo dissolvi modo iterum gigni* [Aët. I 3 3 διὸ καὶ γεννᾶσθαι ἀπείρους κόσμους καὶ πάλιν φθείρεσθαι] *quanta quisque aetate sua manere potuerit* [Theophr. fr. 2 κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν] [1] Theophrasteo colore ita tincta sunt, ut origo nullo modo dubia esse possit. Anaximenis doctrinam *non tamen ab ipsis* [deis] *aerem factum sed ipsos ex aere ortos credidit* comparare licet cum Hippol. I 7 1 ἐξ οὗ [aere] τὰ γινόμενα καὶ τὰ γεγονότα καὶ τὰ ἐσόμενα καὶ θεοὺς καὶ θεῖα γίνεσθαι. de deo a Diogene proposito dixi Jen. Literaturz. 1878 p. 9 cf. Krische p. 175. deum creatorem etiam Anaxagorae et Archelao tribuit cum quorum placitis conferendus est Alexander de mixt. p. 140ᵇ 19 οἱ δὲ αὐτῶν οὐ κατ' ἄλλους [l. οὐκ ἀτόμους], ὁμοιομερῆ δέ τινά φασιν ἄπειρα εἶναι σώματα, ἐξ ὧν ἡ τῶν αἰσθητῶν γένεσις σωμάτων γινομένη κατὰ σύγκρισιν καὶ σύνθεσιν. inde patet Augustinum bis τὰ ὁμοιομερῆ falso *particulis inter se similibus* reddidisse, cum recte ἀνομογενεῖς τὰς ἀρχὰς illorum dicat Simplic. phys. f. 7ᵃ 2. unde Zellero I⁴ 880 *dissimilibus,* quae est deterior lectio, placuit. at cum iteretur error et Ciceronis magna apud Augustinum auctoritate excusetur [cf. p. 120[1]] [2], ne frustra ille fuerit vereor. tantum de hisce excerptis compendiariis, quae ut sunt scriptorum erroribus haudquaquam liberi, tamen Theophrasti auctoritatem ne illa quidem dissimulare queunt.

---

[1] latina subobscura sunt. nam *sua* (ut infra *suis et propriis*) premendum est quasi graecum ὡρισμένον χρόνον verterit. nec possum Zellero I⁴ 215[1] non obloqui, qui Democriteas mundorum infinitates significari credit. sed interpretor *infiniti sunt mundi alio altum, quanta cuique aetas concessa est, excipiente.* haec enim est Anaximandrea opinio ἵνα ἡ γένεσις μὴ ἐπιλείπῃ cf. Zeller l. c. 214[2].

[2] Ciceronis studium cum alia illius indiciis tum Pythagorea probant quae Tuscul. V 3 7 nituntur.

XV DE COMPENDIIS EPIPHANII

Invitus et quam potero brevissime de Epiphanii excerptis loquar. quibus nihil in suo genere vitiosius et turbatius esse recte conquestus est Karstenius de Xenophane p. 191. ac profecto nisi sciremus quarto saeculo eius Panaria conscripta esse, de Byzantinorum vel si mirificos errores spectas Arabum fetu cogitandum erat. usque eo omnia in meras nugas conversa sunt. velut in anacephalaeosi (I) Pythagoreos et Peripateticos concordi pace ligavit, Stoicis metempsychosin Hippolyto I 21 3 consentiens adscripsit, quos haud dubie illud σῶμα διὰ σώματος χωρεῖν de anima dictum [cf. Hipp. ib. § 5] decepit. miracula plane similia de quattuor sectis excerpta (II) effutiuntur. de Stoicis prior stribligo accuratius iteratur. tum vero de Zenone plane inaudita haec: Cleanthis filium esse Tyro profectum, deinde Romae aliquamdiu vixisse. subolet aliquid de Zenone Eleate, nihilominus idem, inquit, quod Stoicus etiam ille docuit.[1] frustra te crucies, quid tandem baronis istius cerebello talia comminiscendi causam dederit. nec hercle operae pretium est. Platoni ibidem de prima, secunda, tertia causa quaedam tribuit, quae e Platonis epist. II p. 312 E [cf. Chalcid. in Plat. Tim. p. 277 Meurs.] translata vidit A. Iahnius qui ad Epiphanii Panaria utilissimas symbolas Oehleri editioni adiunxit. idem ὕλην σύγχρονον τῷ θεῷ ex Hippolyti Philosophum. c. 19 4 repetiit. Peripatetici iterum Pythagorae coniuncti in metempsychoseos societatem et ipsi trahuntur. Pythagoras vero ipse in Media obiisse dicitur. sic clare ἐν τῇ Μηδίᾳ scriptum est. nequiquam Menagius ἐνδείᾳ suppeditabat. certe scribendam erat ἐν ἐνδείᾳ ὕδατος καὶ ἄρτου ut idem I p. 333, 22 Dind. Oehlerus latina talia inedia vitam finiisse ante oculos fuisse coniecit. quod si verum esset, haberes et ridiculi erroris originem et orationis tantum non tetrae aliquam excusationem. nam quam non tralaticium philosophorum sermonem calleat, uni cuique statim apparebit. quod genus μεταγγισμοὶ ψυχῶν et πνεῦμα δρακοντοειδές et σκυβαλώδης sordent, elegantiores dicebant μετενσωματώσεις, πνεῦμα περιδινούμενον, ἰλυώδης. verum ad latina propterea confugias non est necesse, quoniam quantum Epiphanius ab aequalibus Cyrillo et Theodoreto distet satis notum est. ceterum unde Mediam iste arripuerit, curiosus non sum. verbo Epicureorum de mundi origine opinionem absolvam, quae nonnulla veri semina continet, pleraque tamen Orphica nisi fallor sapientia ridicule sunt interpolata.

Meliore libro usus est ad successionum ampliorem indicem (III). ordo philosophorum docti cuiusdam et sollertis ingenii est testimonium. quis ille fuerit, haud quaero. sed iuvat successionum divisionem hac tabula discribere.

---

[1] errorem explicant talia, qualia Diogenes IX 29 Eleatae placuisse refert cf. p. 167[1].

I	II	III	IV
Thales	Pherecydes	Empedocles	Plato
Anaximander	Pythagoras	Heraclitus	Aristippus
Anaximenes	Xenophanes	Prodicus	Theodorus
Anaxagoras	Parmenides		Hegesias
Archelaus	Zeno Eleates		Antisthenes
	Melissus		Diogenes
	Leucippus		Crates
	Democritus		
	Metrodorus		
	Protagoras		
	Diogenes		
	Pyrrhon		

V	VI	VII	VIII
Arcesilas	Aristoteles	Zeno	Epicurus
Carneades	Theophrastus	Cleanthes	
	Strato	Persaeus	
	Praxiphanes	Chrysippus	
	Critolaus	Diogenes	
		Panaetius	
		Posidonius	
		Athenodorus	

Consentaneum est excerptorem haud pauca omisisse velut Academicorum pleniorem successionem (nam Epicurum quod solum nominat, e more est), tamen singularis quaedam dispositio apparet. Ionici cum Socrate vulgato ordine, item Italici usque ad Pyrrhonem, Empedocles Heraclitus Prodicus οἱ σποράδην, tum vero ab omnibus ceterorum indicibus discrepans Platonem scriptor Socraticis praeficit atque ab Arcesila mediae academiae parente novam seriem incohat. tum recte Peripatetici et Stoici, ultimus et solus Epicurus. Stoicorum catalogus, quo nusquam fere uberior iuvenitur, ultra Posidonium deducitur. sed etiam apud Laertium illorum διαδοχὴ Caesarum tempora ingressa est.

Optimi deinde scriptoris sunt lemmata patre patriaque notata quae tamen ab Epiphanio haud constanter expressa et infeliciter subinde sunt corrupta. conclamatum est Σωκράτης ὁ τοῦ ἐλμάγλου ἢ Σωφρονίσκου καὶ Φαιναρέτης τῆς μαίας· stupent omnes illud monstrum ἐλμάγλου, tamen emendatio est in proclivi. ut mater μαῖα, sic pater ἑρμογλύφος nominatus fuit, quod certissime olim recens a Porphyrio apud Theodoretum [1] resti-

[1] gr. aff. cur. I. 27 Cyrill. adv. Iul. VI p. 208 A fr. X Nauck. εἰ δὲ δὴ ἑρμογλύφος ἦν [pater]. ibidem ὑπὲρ τῆς μητρὸς ὡς μαίας. Lucian. somn. 18 ὁ δὲ Σωκράτης καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῇ ἑρμογλυφικῇ ταύτῃ τραφείς. vox ἑρμογλύφος uno testimonio Luciani somn. c. 3 nota fuit. ibidem traditur altero loco § 4 λίθων ἐργάτην ἀγαθὸν εἶναι . . . καὶ ἑρμογλυφέα, unde utramque formam consignat Thom. Mag. p. 365. sed rectissime alteram analogia carentem removit Cobetus Var. Lect. p. 81.

tui. occupavit emendationem, Porphyrii tamen immemor, L. Dindorfius thesaur. II p. 137 s. v. βαρσαμέλαιον. hinc mihi simul elucere videtur iam Epiphanium monstro illo elusum esse. nam invenerat Σωκράτης ὁ Σωφρονίσκου τοῦ ἐλμάγλου, ex Σ. τοῦ ἑρμογλύφου corruptum.[1] priores §§ 1—4 probe excerpta. **Archelao** tamen terram principium dedit vulgari errore quippe unde animalia procreata crederet. de **Pythagora** biographorum vulgaris memoria recoquitur. de **Xenophane** similiter loquitur Hippolyto 14 1. plane mente captus scripsit de **Parmenide** quem cum Anaximandro haud levi errore confudisse coniecit Zeller I[4] 514 3. de **Zenone** ut supra. de **Leucippo** germano Sceptico cf. Davis. ad Cic. Acad. II 7, Bake ad Cleomed. p. 391, Iahn ad Epiph. symb. p. 109 et Annal. Philol. X p. 169. idem de **Democriti** placitis recte iudicavit.[2] **Metrodorum** paulo rectius censet, sed **Protagoram** eo malignius cf. Krische p. 134. **Diogeni** unus Cyrenen patriam adscribit, recte tamen etiam Smyrnaeum [cf. p. 223] nominat. **Heraclitea** cum Placitis consonant [cf. p. 179 [1]] **Prodicus** recte, **Plato** cum anacephalaeosi conferendus est. **Cyrenaici** eodem modo quo apud Laertium taxantur apophthegmatis narratis. nec secus **Cynici**. de **Aristotele** anacephalaeosin repetit. in **Stratonis** elementis alteram causam frigoris omittit cf. Krische p. 353. quod infinitas corporis partes falso dixerit vituperatur a Zellero II 2, 740 [3]. **Zenonea** partim recta sunt partim ita ira studioque mutata, ut scriptoris consilium pateat. **Chrysippi** τέλος τὸ ἡδυπαθὲς εἶναι mire depravatum est. aut ἀπαθὲς rescribendum aut ad proximum Diogenem Babylonium referendum censet Gatakerus ad Antonin. comm. p. 102. unde **Panaetium** deorum opinionem absurdam dixisse sciverit Epiphanius nescio. quod de **Posidonio** profertur finem bonorum divitias sanitatemque esse haud dubie ex Diogenis memoria VII 128 ὁ μέντοι Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐτάρκη λέγουσι τὴν ἀρετήν, ἀλλὰ χρείαν εἶναί φασι καὶ ὑγιείας καὶ χορηγίας καὶ ἰσχύος solita vafritie detortum est. contra **Epicurum** sollemnes calumnias iaculatur. unum discere velim unde arripuerit § 15 μηδὲν εἶναι τῶν ἐν τῷ βίῳ ἑκούσιον μήτε μάθησιν μήτε ἀπαιδευσίαν μήτε ἄλλο μηδέν, ἀλλὰ πάντα ἀκούσια γίγνεσθαι πᾶσι· καὶ οὐ χρὴ ψέγειν τινά, ὥς φησιν, οὐδὲ ἐπαινεῖν. οὐ γὰρ ἑκόντες ταῦτα ὑφίστανται. constat Epicureos plane contraria docuisse. non obtundam diutius. nam et indignus est scriptor cui longius immoremur et manent nos quaestiones aliquanto graviores de Aëtii compositione, quo post longiores ambages tandem redeo.

[1] ipsum quod conieceram confirmat Theo progymn. 8 [I 230 W.] Σωκράτης ὁ Φαιναρέτης τῆς μαίας υἱὸς καὶ Σωφρονίσκου τοῦ ἑρμογλύφου.

[2] symbol. l. c. p. 109. *quae Epiphanius subiicit* § 15 καὶ τὸ δοκοῦν δίκαιον οὐκ εἶναι δίκαιον *non Democriti sunt, sed potius Pyrrhoniorum . . . nec magis Democriteae sunt sententiae quae apud Epiphanium sequuntur:* ἐπίνοιαν γὰρ κακὴν . . . ἐλευθερίως ζῆν. *quas sententias ei affinxisse videntur qui ad doctrinam de moribus perperam pertraherent verba Democriti docentis, qualitates rerum* νόμῳ *tantum esse* . . .

XVI DE AETII PLACITORUM COMPOSITIONE

Quod supra p. 74 sqq. accuratius de varia Aëtiani libri natura exposui id paucis nunc placet repetere. ipsius scriptoris sunt prooemia et si quae praefiguntur definitiones [I 9. 10. 11. 12. 14. 15], praeterea priora libri primi capita [I 1. 2] scriptoris verborum aliquantum continent. color his inest mixtus ex Peripatetica et Stoica disciplina i. e. scholasticus. sed haec ipsius Aëtii dos mediocris et a reliqua opinionum sylloge facile discernenda. duplex est harum et species et origo. alterum genus est locorum ex Stoicis Epicureisque libris ad verbum excerptorum, quod variis tamen rivulis accersitum videtur. velut I 6 et I 7 1—10 ex florilegio, III 5 1—9 6. 18 ex meteorologico libello haustum esse conieci. cuius generis quae certo dignosci possunt sunt haec I 4. 6. 7 1—10 III 5 1—9. 6. 18 IV 11. 12. 21. sed dubium est num omnia secluserim. nam Stoicorum item doctrinam diligentius et ipsorum verbis expressam vides IV 20 2. singulari quadam eruditione splendent capita de fato I 27. 28, ubi Ζήνων ἐν τῷ Περὶ φύσεως, I 27 5 Χρύσιππος ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ κόσμου, ἐν τῷ δευτέρῳ Περὶ ὅρων, ἐν τοῖς Περὶ τῆς εἱμαρμένης citantur, unde Stoici cuiusdam de fato libellum in auxilium vocatum conicias. quali usus videtur Diogenianus apud Eusebium XI 8 [cf. ad I 28 3]. hinc certe facile explicatur, quod I 28 1 Heraclito ea opinio tribuitur quae Stoicorum fraudem aperte passa sit.[1]

Alia de causa caput de principiis I 3 in suspicionem cadit. nam cum hoc intersit inter biographos et doxographos ut illi successionis quadam catena constrictos singulos philosophos a suo quemque principe repetant, hi argumentorum potius necessitudinem spectent, biographorum similitudinem unum illud Placitorum caput sequitur. ita §§ 1—6 Ionici recensentur, quorum agmen clauditur § 7 οὗτοι μὲν οὖν ἐφεξῆς ἀλλήλοις ταῖς διαδοχαῖς γενόμενοι τὴν Ἰωνικὴν ἐκπληροῦσι φιλοσοφίαν. tum alter ordo incipit Italicorum § 8 πάλιν δὲ ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς Πυθαγόρας κτλ., item § 9 ἡ δὲ τούτων αἵρεσις Ἰταλικὴ προσηγορεύθη διὰ τὸ τὸν Πυθαγόραν ἐν Ἰταλίᾳ σχολάσαι. mira deinde διαδοχῶν consuetudine [cf. p. 152] Heraclitus Hippasusque § 11 Pythagoreis iuncti sunt, quos Eleatae et Democritei usque ad Epicurum philosophi excipiunt. postremo loco Empedocles Plato Aristotelei Zeno ac si Theodoreto fidas Diogenes Apolloniates, cui Diodorum ex Stobaeo coniunxi, recensentur. Aëtii verum ordinem ex testium discordia non semper certo elicere potui. sed in universum nostro uti pro vero licebit, quoniam congruus est plerorumque biographorum successionibus. similem certe ordinem sequitur Clemens in Strom. I p. 352 Pott., quem infra ex-

[1] Ἡράκλειτος οὐσίαν εἱμαρμένης λόγον τὸν διὰ τῆς οὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντα. αὕτη δέ ἐστι τὸ αἰθέριον σῶμα σπέρμα τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως. Stoicorum συνοικείωσιν notavit Krische Forsch. p. 382.

plicabo. similiorem Epiphanius, quem supra p. 176 descripsi. haec igitur de ordine. sed non desunt interioris cognationis alia vestigia, quae colligere operae pretium videtur.

Epiphanius p. 1086c Pet.	Aëtius I 3
1 Θαλῆς ὁ Μιλήσιος ... ἀρχέγονον πάντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ. ἐξ ὕδατος γάρ φησι τὰ πάντα εἶναι καὶ εἰς ὕδωρ πάλιν ἀναλύεσθαι.	1 Θαλῆς ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ, ἐξ ὕδατος γάρ φησι πάντα εἶναι καὶ εἰς ὕδωρ πάντα ἀναλύεσθαι.
2 Ἀναξίμανδρος ὁ τοῦ Πραξιάδου καὶ αὐτὸς Μιλήσιος τὸ ἄπειρον ἀρχὴν ἁπάντων ἔφησεν εἶναι. ἐκ τούτου γὰρ τὰ πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς αὐτὸ τὰ πάντα ἀναλύεσθαι.	3 Ἀναξίμανδρος δὲ Πραξιάδου Μιλήσιος φησι τῶν ὄντων ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον. ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίγνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα φθείρεσθαι.
3 Ἀναξιμένης ὁ τοῦ Εὐρυστάτου καὶ αὐτὸς Μιλήσιος τὸν ἀέρα τοῦ παντὸς ἀρχὴν εἶναι λέγει καὶ ἐκ τούτου τὰ πάντα.	4 Ἀναξιμένης Εὐρυστράτου Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο, ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίγνεσθαι καὶ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι.
4 Ἀναξαγόρας ὁ τοῦ Ἡγησιβούλου ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν πάντων τὰς ὁμοιομερείας ἔφησεν εἶναι.	5 Ἀναξαγόρας Ἡγησιβούλου Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰς ὁμοιομερείας ἀπεφήνατο.
21 Ἡράκλειτος ὁ τοῦ Βλέσωνος Ἐφέσιος ἐκ πυρὸς ἔλεγε τὰ πάντα εἶναι καὶ εἰς πῦρ πάλιν ἀναλύεσθαι.	11 Ἡράκλειτος καὶ Ἵππασος ὁ Μεταποντῖνος ἀρχὴν τῶν πάντων τὸ πῦρ. ἐκ πυρὸς γὰρ τὰ πάντα καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾶν.

Eiusdem scriptoris utrimque simillima excerpta apparent. neque enim Epiphanius, qui successionis vinculo tenetur haec tantum ex Aëtio hausisse videtur, cetera ex biographo cuius ordinem sequitur. ille enim plane diversa ceteroqui tradiderat. qualem autem hominem fingis Epiphanium, si Ionicos ceteros putas ex Aëtio translatos, ultimum Archelaum ex alio plane contraria docente? accedit quod concordantium capitulorum idem est tenor, ut excepto Anaxagora ceteris philosophis neque prioribus solum sed etiam Heraclito eadem principii causa adscribatur ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς τοῦτο πάντα ἀναλύεσθαι vel similiter. auctor formulae est Aristoteles, qui generatim de omnibus physicis monuerat Metaphys. A 3 p. 983^b 8 ἐξ οὗ γάρ ἐστιν ἅπαντα τὰ ὄντα καὶ ἐξ οὗ γίγνεται πρώτου καὶ εἰς ὃ φθείρεται τελευταῖον ... τοῦτο στοιχεῖον καὶ ταύτην ἀρχήν φασιν εἶναι τῶν ὄντων. sed ad singulos physicos adplicasse videtur Theophrastus velut in fr. 2 de Anaximandro ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίνεσθαι κτλ. et fr. 1 de Heraclito et Hippaso καὶ ἐκ πυρὸς ποιοῦσι τὰ ὄντα ... καὶ διαλύουσι πάλιν εἰς πῦρ ὡς ταύτης μιᾶς οὔσης φύσεως τῆς ὑποκειμένης. inde arripiat aliquis Theophrastum ut Epiphanii Aëtiique fontem. non nego, sed non proximus fuit. nam translatum est ex antiquo fonte in biographorum compendia, ut non mireris si Heraclitea simillime ubique conformata videris:

Aëtius I 3 11	Epiphanius l. c. § 21.	Laertius IX 7	Eusebii comp. XIV 3 8 [cf. p. 169]
Ἡράκλειτος καὶ Ἵππασος. . . ἀρχὴν τῶν πάντων τὸ πῦρ. ἐκ πυρὸς γὰρ τὰ πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾶν λέγουσι.	Ἡράκλειτος ὁ τοῦ Βλέσωνος Ἐφέσιος ἐκ πυρὸς ἔλεγε τὰ πάντα εἶναι καὶ εἰς πῦρ πάλιν ἀναλύεσθαι.	ἐδόκει δ' αὐτῷ καθολικῶς μὲν τάδε. ἐκ πυρὸς τὰ πάντα συνεστάναι καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι.	ὁ δὲ Ἡράκλειτος ἀρχὴν τῶν πάντων ἔφη εἶναι τὸ πῦρ ἐξ οὗ τὰ πάντα γίνεται καὶ εἰς ὃ ἀναλύεται.

atqui Laertii καθολικῶς excerpta Eusebiique compendia ex biographis manasse liquido constat et Aëtius successionum scriptorem capitulorum collocatione arguitur secutum esse. quid igitur cunctamur eundem fontem etiam opinionum aliquantum praebuisse arbitrari? ergo Aëtius rursus a Placitorum sincera memoria descivit. nam idem est qui in hoc capite contra morem philosophos impugnare conatus est. ut I 2 2 Thalem putidius vituperavit ἁμαρτάνει οὖν ὁ Θαλῆς στοιχεῖον καὶ ἀρχὴν λέγων τὸ ὕδωρ, sic Peripateticorum iterum armis Anaximandrum aggreditur I 3 3 ἁμαρτάνει δὲ οὗτος μὴ λέγων τί ἐστι τὸ ἄπειρον πότερον ἀήρ ἐστιν ἢ ὕδωρ ἢ γῆ ἢ ἄλλα τινὰ σώματα. quod commone facit Physicorum III 5 p. 204b 24 εἰσὶ γάρ τινες οἳ τοῦτο ποιοῦσι τὸ ἄπειρον, ἀλλ' οὐκ ἀέρα ἢ ὕδωρ. sed ambiguum Aristotelis de Anaximandro iudicium. clare autem Theophrastus fr. 2 λέγει δ' αὐτὴν [sc. ἀρχὴν Anaximander] μήτε ὕδωρ μήτε ἄλλο τι τῶν καλουμένων εἶναι στοιχείων,[1] quod ex biographo suo sumpsit [cf. Diog. II 1] Aëtius. at Aristoteleum est, quod praecedit in illo λέγει γοῦν διότι ἀπέραντόν ἐστιν ἵνα μηδὲν ἐλλείπῃ ἡ γένεσις ἡ ὑφισταμένη. nam dubium non est quin ex Phys. III 8 p. 208a 8 οὔτε γὰρ ἵνα ἡ γένεσις μὴ ἐπιλείπῃ ἀναγκαῖον ἐνεργείᾳ ἄπειρον εἶναι σῶμα αἰσθητόν delibatum sit. ibidemque c. 4 p. 203b 15 τοῦ δ' εἶναί τι ἄπειρον ἡ πίστις ἐκ πέντε μάλιστ' ἂν συμβαίνοι σκοποῦσιν . . . τῷ οὕτως ἂν μόνως μὴ ὑπολείπειν γένεσιν καὶ φθοράν, εἰ ἄπειρον εἴη ὅθεν ἀφαιρεῖται τὸ γιγνόμενον.

Item quod Anaximandro Aëtius secundo loco obiurgat ἁμαρτάνει οὖν τὴν μὲν ὕλην ἀποφαινόμενος, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον ἀναιρῶν κτλ., ex Peripateticorum mente dictum est. idem fere de Anaximene iudicium I 3 4 nisi quod addit ἀλλὰ καὶ τὸ ποιοῦν αἴτιον χρὴ ὑποτιθέναι, οἷον ἄργυρος οὐκ ἀρκεῖ πρὸς τὸ ἔκπωμα γενέσθαι ἐὰν μὴ τὸ ποιοῦν ᾖ, τουτέστιν ὁ ἀργυροκόπος, ὁμοίως καὶ ἐπὶ τοῦ χαλκοῦ καὶ τοῦ ξύλου καὶ τῆς ἄλλης ὕλης. haec liberioribus verbis eadem exprimunt quae praeivit Aristot. metaphys. A 3 p. 984a 21 sqq. ubi ξύλον et χαλκός exempla reperies. ibidem de Anaxagora locus est p. 984b 15, quem suis verbis[2] iterat Aëtius I 3 5, ubi quod dicit ἐδόκει γὰρ αὐτῷ ἀπορώτατον εἶναι πῶς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος δύναταί τι γενέσθαι ἢ φθείρεσθαι εἰς τὸ μὴ ὄν non suis nititur radicibus, sed Aristotelis phys. I 4 p. 187a 26 ἔοικε δὲ Ἀναξαγόρας ἄπειρα οὕτως οἰηθῆναι διὰ τὸ ὑπολαμβάνειν τὴν

[1] Theophrastea sine dubio repetiit (praeter Diog. II 1 cf. conspect. p. 133) Porphyrius (fortasse etiam Nicolaus) apud Simplic. in phys. f. 32a 35. cf. Zeller I[4] 202 et F. Luetze ueber das ΑΠΕΙΡΟΝ Anaximanders Leipz. 1878 p. 72 sqq.

[2] Aëtii est λόγῳ θεωρητά hic et I 3 18.

κοινὴν δόξαν τῶν φυσικῶν εἶναι ἀληθῆ ὡς οὐ γινομένου οὐδενὸς ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. Aëtii autem vestigia etiam in Pythagorae doctrina I 3 8 pellucent, quae non solum ex lutulentis fontibus hausta [1] sed etiam scholasticis nugis deflexa videtur. praecipue mirabilia sunt extrema οἷον πολλῶν ὄντων ἀνθρώπων οἱ μὲν ἐπὶ μέρους εἰσὶν ἀναίσθητοι κτλ. omnino praeter ea quae ex Aristotele petita sunt, Pythagoreorum placita ex pseudepigraphis illis libris hausta videntur, qui Alexandrinorum aetate et paulo postea confecti sunt. velut Thaleti et Pythagorae II 12 1 vulgaris de quinque zonis doctrina tribuitur eiusdemque generis sunt haec I 7 2 cf. Alex. ap. Laert. VIII 12, I 11 3 I 15 7 cf. Vit. Pythag. ap. Phot. p. 439ᵃ 38, I 19 1 II 4 1 III 14 1. Thalem physicorum parentem omnia talia praeivisse istis consentaneum videbatur velut II 1 2 Θαλῆς καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ ἕνα τὸν κόσμον cf. Zeller I⁴ 179² I⁴ 181⁶ et III 10 1 cf. Zeller I⁴ 182⁴. sed talia etiam ante Aëtium scriptores decipere solebant, ut nisi illa I 3 8 commenta nihil a Placitorum more abhorrere certo possim affirmare.

Nec tertii illius libri primi capitis ceteras memorias Aëtio ex sua lectione innotuisse probabile est. [2] nam ardor ille vel impugnandi vel eruditionem alienam ostentandi cito refrigeratur. qua pigritia feliciter impeditus est ne Placitorum quae dicere soleo vetustorum resolutis staminibus nimium recentioris fili intertexeret. nam ut concedo inter genuinae materiae multitudinem non nulla adulterina latere ab Aëtio in iustam speciem assimulata tamen de universa vetustorum Placitorum indole quin recte iudicaverim uno sed manifestissimo indicio comprobabo. Aëtiani libri ordinem in summam probum hic illic absurdissime esse perversum supra p. 56 sqq. clare demonstravi neque Aëtium turbarum esse auctorem celavi, qui accersitis capitibus pristinam discriptionem transversam egisset. neque enim suum ille consilium quod ad argumentorum quandam continuationem spectabat poterat perducere neque spe ea deiectus aliena subinde inculcare desistebat. quod nisi Aëtium non solum duplicem materiam sed etiam contrariam simul partitionem vesano consilio ipsum invenisse arbitraris, hinc maxime ansam habebis vetustorum Placitorum ambitum certissima ratione recuperandi. ecce adulterinis capitibus supplementisque recisis haec erit

VETUSTORUM PLACITORUM TABULA

I de principiis
  I 3 περὶ ἀρχῶν
    7 11—34 περὶ θεοῦ

[1] monadis et dyadis principia similiter statuerunt Alexander Polyhistor et Eudorus cf. Zeller I⁴ 330. vide Aët. I 7 18.

[2] nam allegoriarum Homericarum similitudo, quae est in Thaletis cum Homero iuncti, Xenophanis Empedoclisque opinionibus [cf. supra p. 95] ut communi sine dubio radice nititur, ita Aëtio eiusque Placitorum fonte antiquior videtur, cum Heracleo uberiorem eius generis conspectum compilaverit. sed accuratiora rimari in tanta obscuritate nolo.

8 περὶ δαιμόνων καὶ ἡρώων
9 περὶ ὕλης
10 περὶ ἰδέας
11 περὶ αἰτίων
12 περὶ σωμάτων 16 περὶ τομῆς σωμάτων
13 περὶ ἐλαχίστων
14 περὶ σχημάτων
15 περὶ χρωμάτων
17 περὶ μίξεως καὶ κράσεως
18 περὶ κενοῦ
19 περὶ τόπου
20 περὶ χώρας
21 περὶ χρόνου 22 περὶ οὐσίας χρόνου
23 περὶ κινήσεως
24 περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς
25 περὶ ἀνάγκης 26 περὶ οὐσίας ἀνάγκης
27 περὶ εἱμαρμένης 28 περὶ οὐσίας εἱμαρμένης
29 περὶ τύχης
30 περὶ φύσεως

II de mundo

II 1—10 περὶ κόσμου [1]
11—12 περὶ οὐρανοῦ
13—19 περὶ ἀστέρων
20—24 περὶ ἡλίου
25—31 περὶ σελήνης

III de sublimibus

III 1 περὶ γαλαξίου
2 περὶ κομητῶν κτλ.
3 περὶ βροντῶν κτλ.
4 περὶ νεφῶν κτλ.
5 περὶ ἴριδος
7 περὶ ἀνέμων
8 περὶ χειμῶνος καὶ θέρους

IV de terrestribus

III 9—15 περὶ γῆς
16—17 περὶ θαλάσσης
IV 1 περὶ Νείλου ἀναβάσεως

V de anima

IV 2— 7 περὶ ψυχῆς
8—10 περὶ αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν
13—15 περὶ ὁράσεως κτλ.

[1] huc pertinet I 5 εἰ ἓν τὸ πᾶν, quod caput vetustis plerumque placitis excepta § 3 constat, sed inter I 4 et 6 propter suum consilium collocavit Aëtius.

16 περὶ ἀκοῆς
17 περὶ ὀσφρήσεως
18 περὶ γεύσεως
19. 20 περὶ φωνῆς·
22 περὶ ἀναπνοῆς
23 περὶ παθῶν
V 1 περὶ μαντικῆς
2 πῶς ὄνειροι γίνονται

VI de corpore

V 3—5 περὶ σπέρματος
6 περὶ συλλήψεως
7 πῶς ἄρρενα γεννᾶται καὶ θήλεα
8 πῶς τέρατα γίνεται
9 διὰ τί πολλάκις γυνὴ συνουσιάζουσα οὐ συλλαμβάνει
10 πῶς δίδυμα καὶ τρίδυμα γίνεται
11 πόθεν γίνονται τῶν γονέων αἱ ὁμοιώσεις καὶ τῶν προγόνων
12 πῶς ἄλλοις γίνονται ὅμοιοι οἱ γεννώμενοι καὶ οὐ τοῖς γονεῦσιν
13 πῶς στεῖραι γίνονται .αἱ γυναῖκες καὶ ἄγονοι οἱ ἄνδρες
14 διὰ τί αἱ ἡμίονοι στεῖραι
15—18 εἰ τὸ ἔμβρυον ζῷον κτλ.
19—21 περὶ ζῴων
22 ἐκ ποίων μερῶν συνίσταται ἕκαστον τῶν ἐν ἡμῖν γενικῶν μερῶν
23 πότε ἄρχεται ἄνθρωπος τῆς τελειότητος
26 πῶς ηὐξήθη τὰ φυτὰ καὶ εἰ ζῷα
27 περὶ τροφῆς
28 περὶ ὀρέξεως τῶν ζῴων
24—25 περὶ ὕπνου καὶ θανάτου
29 πῶς γίνεται πυρετός
30 περὶ ὑγείας καὶ νόσου καὶ γήρως

Capitum ordinem quamvis singillatim tanquam genuinum vel plenum praestare insipientis sit [1], tamen in universum habes talem, qualis a prudente scriptore profectus esse videatur. quam sit Theophrastei operis similis, infra accuratius exponam. quod in sex libros omnem materiam circumscripsi, non solum ipsam argumentorum concinnitatem secutus sum, sed etiam Aëtii tenue vestigium, qui capitibus III 9 sqq. separatim praefatur III 8 2 περιγεγραμμένων δέ μοι τῶν μεταρσίων ἐφοδευθήσεται καὶ τὰ πρόσγεια. neque aliud dissimulabo quod me movit, etsi quam incertum sit ipse haud ignorem. constat eximia illa Ottonis Iahnii commentatione [Ber. der saechs. Ges. phil. II 1850 281 sqq.] in A. Corneli Celsi amplo disciplinarum orbe, cui Cesti Graeculorum more [Plin. N. H. praef. 24]

[1] inprimis cave minutiora illa capitula, quo Aëtius argumenta proposita dissecuit, vetusto exemplari propria fuisse putes. immo nisi generaliorem olim fuisse partitionem credas vix errores Aëtii explicari possunt, quales p. 84 attuli.

nomen inditum erat, sex de philosophorum opinionibus libros [1] infuisse, quorum argumentum Augustinus praef. ad haeres. ad Quoddeusvultum sic adumbravit: *Opiniones omnium philosophorum qui sectas varias condiderunt usque ad tempora sua (neque enim plus poterat) sex non parvis voluminibus quidam Celsus absolvit. nec redarguit aliquem sed tantum quid sentiret aperuit ea brevitate sermonis ut tantum adhiberet eloquii quantum rei nec laudandae nec vituperandae nec affirmandae aut defendendae sed aperiendae iudicandaeque sufficeret, cum ferme centum philosophos nominasset quorum non omnes instituerunt haereses proprias: quoniam nec illos tacendos putavit, qui suos magistros sine ulla dissensione secuti sunt.*

Non ovum ovo similius quam Celsus vetustis Placitis. librorum numerus, nostram rationem si sequaris, idem, eadem iudicandi cautio, brevitas sermonis eadem, fere idem denique philosophorum numerus. nam ex Aëtio nunc supersunt ad XC, plures olim fuisse utique probabile. neque numerum alia ratione facile assequaris nisi qua Placita abutuntur, ut non philosophi modo, sed etiam mathematici medici grammatici incredibili diligentia in censum vocentur nec nobiles modo sed etiam minorum gentium et quos alta oblivio premit premetque. Celsi opus num logica et ethica attigerit ambiguum videatur. sed si Placitorum tantam similitudinem adgnoveris physicos solos quorum praecipue inde a Theophrasto in libris agitabatur diversitas, tractatos conicies. quid? si Augustini descriptio ad amussim ad genuina Placita — nam Aëtii supplementa hinc quoque diversa vides — quadrat, nonne Celsum eadem materia usum esse verisimile? absurdum enim est latinum scriptorem ac praesertim *mediocri virum ingenio* [Quint. XII 11 24] suo sibi sudore talia conquisivisse arbitrari.

Tantum probabiliter suspicari licet. de aetate autem vetustorum Placitorum cave ne ex Celso quidquam concludas. velut si Xenarchum ultimum in Aëtio philosophum in testimonium voces, qui iusto intervallo a latini scriptoris aetate distat. Aëtii quidem mentio a genuinorum Placitorum forma haud recedit: IV 3 10 Ξέναρχος ὁ Περιπατητικὸς καί τινες ἕτεροι τῆς αὐτῆς αἱρέσεως τὴν κατὰ τὸ εἶδος τελειότητα καὶ ἐντελέχειαν καθ' ἑαυτὴν οὖσαν ἅμα καὶ μετὰ τοῦ σώματος συντεταγμένην. at subit mirari cur ea opinio, quae ab Aristotelea IV 2 6 proposita non multum diversa est, adversariis illius adgregetur, quibus priores dilucide scriptor opposuit. nam 3 1 οὗτοι, inquit, πάντες οἱ προτεταγμένοι (c. 2 1—8) ἀσώματον τὴν ψυχὴν ὑποτίθενται φύσιν λέγοντες αὐτοκίνητον καὶ οὐσίαν νοητὴν καὶ τοῦ φυσικοῦ ὀργανικοῦ ζωὴν ἔχοντος ἐντελέχειαν. ergo suspicor Xenarchum ex Aëtii memoria additum esse neque qui causam circumspexerit, probabili argumento destituetur [cf. supra p. 135]. nam Peripateticae institutionis exstant quaedam vestigia atque omnino illa de sensibus capita IV 8—18 in variarum

[1] apud Suidam est Κελσῖνος Εὐδώρου Κασταβαλεὺς φιλόσοφος ἔγραψε συναγωγὴν δογμάτων πάσης αἱρέσεως φιλοσόφου. Celsinus qui homo fuerit nescitur. frustra vexavit quosdam Celsi similitudo.

opinionum pugna velut luxuriantur, ut praeter Stoicorum libros, quos dixi, aliena nonnulla parum disposita, sed ceterorum Placitorum formae utcunque accommodata ab Aëtio in auxilium vocata videantur. adde quod ἤδη particula in illis de sensu capitibus ter singulariter dicta est.

IV 8 9 οἱ ἀπὸ τῶν ἀρχαίων (?) τῶν περὶ τὰ σώματα ἀσωμάτων λόγων ἅπερ ἤδη σχήματα προσαγορεύουσιν.

9 11 Ἐπίκουρος τῶν αἰσθητῶν ἡδονὰς ἤδη καὶ τὰς λύπας

9 13 Χρύσιππος τὸ μὲν γενικὸν ἡδὺ νοητόν, τὸ δὲ εἰδικὸν καὶ προσπῖπτον ἤδη αἰσθητόν

apparet particulam plane intellegi non posse nisi in sententiarum pleno conexu, quem si suppleas, proxime accedit Aristotelis quidam usus, quem Vahlenus [Wiener Sitzungsber. t. 72 p. 28 '] docte illustravit.[1] qui genuini Placitorum coloris non ignarus est, etiam alia absona in illis capitibus inveniet velut Academiacorum crebram mentionem IV 8 13 9 2 9 18 13 2 13 6 vel Timagorae vituperationem IV 13 6 Τιμαγόρας εἷς τῶν παραχαραξάντων ἐν συχνοῖς τὴν Ἐπικούρειον αἵρεσιν.[2] ergo his capitibus non magis uteris quam adulterinis illis, quae ipsa formae et argumentorum diversitas damnat.

Iam vero in vetustis Placitis ultimi summa constantia Posidonius et Asclepiades nominantur, ut hinc quoque singularem Xenarchi mentionem aliorsum pertinere cernas. ab horum igitur virorum aetate quamquam neutrius tempora satis certo constituta sunt[3], eius quaestio proficisci debet, qui de origine gravissimae illius syllogae certiora efficere voluerit. atque Asclepiadi cum tantus honor sit in Placitis, V. Roseus Ar. pseudep. p. 381 inter illius potissimum asseclas Placitorum scriptorem indagandum esse opinabatur. Asclepiadis enim discipulus Alexander Philalethes Strabonis aequalis *in libro primo de semine* Diogenis Erasistrati Herophili Stoicorum Aristotelis Dioclis opiniones collegerat ac diiudicaverat. hanc memoriam servavit Theodorus Priscianus in Physicis [Octavii Horatiani ad Euseb. l. IV edidit Heremannus comes a Neuenar Argent. 1532 p. 103]. ibi porro Dioclis maxime doctrina explicatur, num ex eodem

---

[1] eodem modo Ποσειδώνιος γοῦν IV 13 3 inepte dicitur nisi decretum aliis continuatum arbitraris.

[2] ne ab Aëtio Stobaei (Damasceni) opiniones, quae desunt in brevissimo Plutarchi conspectu abiudices, moneo formam lemmatum et decretorum ita accommodatam esse ad ceterorum Placitorum similitudinem ut neque Stobaeus neque alius nisi Aëtius ipse diversa in unum conciliasse putandus sit. de uno IV 13 10 dubito quod a reliqua simplicitate lemmatum haud paulum distat. reliquam Stobaeanae dotis praestantiam quae illic cum maxime apparet cum Plutarcheis comparare supervacaneum arbitror.

[3] de Posidonio sequor Toepelmannum [de Posidonio Rhodio rerum scriptor. Bonn. 1867 p. 4—10], qui in lucem editum Posidonium a. 130 vel 129 a. Chr., mortuum a. 46 vel 45 statuit. Panaetius magister brevi ante 109 mortuus esse videtur. Asclepiadis calculi etiam minus accurate subduci possunt. Harlesii quidem computatione [medic. Asclepiadis dictorum lustrat. Bonn. 1828 p. 12 sqq.] equidem uti nolui. vix errabis utrumque si inde ab ineunte I ante Chr. saeculo maxima auctoritate florere coepisse sumpseris.

Alexandro, incompertum nobis. sed Alexandri Philalethis librum quintum περὶ τῶν ἀρεσκόντων affert Galenus VIII 726. quo testimonio arrepto V. Roseus Theodori memoriam ex eodem quinto περὶ τῶν ἀρεσκόντων libro deductam ratus non solum medica, sed etiam philosopha denique universam Placitorum materiam ab Alexandro collectam opinatus est. sic enim ille l. c. *ceterum adnotandum est fundamentum libri illius de placitis veterum (quos Galenus appellare solet et Soranus) medicorum et philosophorum atque praeter eos recentis unius Asclepiadis Bithyni (semel empirici citantur V 18) paulo post Asclepiadem i. e. Augusteo seculo iactum videri ab auctore neque Platonis amico (I 5. I 7) neque Stoicorum et contra Epicureos etiam disputante (IV 19), quibus tamen fere consentiret (I 7. I. 4 ubi cf. Cael. Aurel. cel. I 14 de Asclepiade, de quo veteres omnes corripiente Gal. XI 163), scilicet ab ipso fortasse Alexandro Philalethe Asclepiadeo cuius quintum τῶν ἀρεσκόντων (medica et physiologica continentem ut quintus epitomae) citat Galenus VIII 726. at haec incerta sunt.* immo, quod pace viri doctissimi dicatur, falsissima. sufficit ut quid intersit inter Alexandri librum et vetusta Placita qualia Aëtio ad manum fuere intellegas, ipsum Galeni locum subnotare [1]. scilicet argumentum ex medicinae penetralibus petitum quod nihil pertinet ad animantium naturam velut l. V Placitorum, tum definiendi accuratio prorsus discrepant. paulo aptior est locus de semine ex Theodoro citatus, sed is ex libro primo de semine petitus dicitur, quem non vereor ne quis Roseum imitatus cum illo confundat. sed in hoc coniectandi genere diutius morari nolo. nam *plus scire velle* ait Seneca *quam sit satis, intemperantiae esse.* neque ego in tanta memoriae obscuritate vetusti Placitorum collectoris nomen vano aucupio sectabor. at quando collecta sint et a quali homine primum compilata, hoc accuratius demonstrare possumus, immo debemus.

Quo in negotio severioris quaestionis laborem ne subterfugiamus, quo longioribus anfractibus tandem in rectam viam perveniemus. disputaturus sum de Varronis loghistoricis et primum quidem de Censorino. *non potest dubium esse,* inquit O. Iahnius vir cautissimus et a frivola fontium venatione remotissimus [praef. p. VIII], *quin Varro is auctor sit quem ubique fere secutus est Censorinus, cuius cum saepissime ipse mentionem faciat tum aliis locis hodieque probari potest eum Varronis auctoritate usum esse et ex doctissimi viri ingentibus divitiis copiolas suas derivasse.*

[1] Gal. de puls. IV 4 VIII 725 ὅ γε μὴν Ἡροφίλειος Ἀλέξανδρος ὁ Φιλαλήθης ἐπικληθεὶς διττὸν ἐποιήσατο διὰ τὰς τοιαύτας ἐπηρείας τὸν ὁρισμὸν τοῦ σφυγμοῦ τὸν μὲν ἕτερον ἐξ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἐξ οἰκείας φύσεως ὃν ὡς ἐν ὑποκειμένοις ὀνομάζει, τὸν δὲ ἕτερον ὡς ἐν ἐπισκέψει. τὸν μὲν οὖν ὡς ἐν ὑποκειμένοις σφυγμὸν εἶναί φησι καρδίας καὶ ἀρτηριῶν συστολὴν καὶ διάστασιν ἀπροαιρέτως οἵαν τε φαίνεσθαι. τὸν δὲ ὡς ἐν ἐπισκέψει τὴν ἐκ τῆς τῶν ἀρτηριῶν διὰ παντὸς ἀπροαιρέτου κινήσεως πρὸς τὴν ἁφὴν πληγὴν καὶ τὸ μετὰ τὴν πληγὴν γινόμενον διάλειμμα καὶ λέγει γέ τινας λογισμοὺς ἐπ' αὐτοῖς ὡς οἴεται πιθανοὺς ἐν τῷ $\bar{ε}$ τῶν ἀρεσκόντων ὥσπερ καὶ ὁ Ταραντῖνος Ἡρακλείδης ἐν οἷς ἀντιλέγει πρὸς τὸ περὶ σφυγμῶν Ἡροφίλου.

quamquam de quibusdam locis dubitavit Zellerus [1], de uno praefracte negavit. quod si concedimus actum est de nostra disputatione, cui nisi totam prioris partis materiam Varronianam esse dederis praecidentur omnes persuadendi nervi. haesitandi illi ansam dederunt cum leviora alia tum Pythagorae Ocelli Archytae de mundi aeternitate testimonia. age Censorini locum perpendamus c. 4 3 p. 9, 3 Iahn. *sed prior illa sententia qua semper humanum genus fuisse creditur auctores habet Pythagoran Samium et Occelum* [2] *Lucanum et Archytan Tarentinum omnesque adeo Pythagoricos. sed et Plato Atheniensis et Xenocrates et Dicaearchus Messenius itemque antiquae academiae philosophi non aliud videntur opinati, Aristoteles quoque Stagirites et Theophrastus multique praeterea non ignobiles Peripatetici idem scripserunt.* Ocelli qui exstat liber de universi natura perspicue laudatur, ubi c. 3 Peripatetica doctrina sub prisci illius Pythagorei vendidatur persona [cf. Bernays Theophr. ueber d. Froemm. p. 44 V. Rose Ar. ps. p. 35]. qui scriptor cum Aristotelis de generatione et interitu librum valide compilaverit [cf. e. g. 2 1 cum Ar. p. 335^b 38, § 11 p. 331^b 35, § 13—19 p. 331^a 26 sqq. v. Syrian. in metaph. p. 931^a 11 Usen.] vix ante Andronici aetatem vixisse videtur, qui in vulgus illud Aristoteleorum scriptorum genus extulit. idem Thrasyllo antiquior est qui fictarum epistularum, quibus Ocelli subdita scripta commendarentur [Laert. VIII 80. 81], alteram inter Platonicas recepit. ergo cum Iubam pseudepigrapha Pythagoreorum scripta avide coemisse traditum sit, proclivis est coniectura Augusteo aevo cum alia tum Ocelli illius stramenticii fetus confectos esse [cf. Mullach F. Ph. G. I 283]. sed fallit haec opinio. nam quod forma libelli ceteris eiusmodi furtis haud paulo praestet, quod scite Wyttenbachius monuit, urguere nolo quia haec est eruditionis et artis laus [3] non aetatis discrimen, sed obstat ad quem redeo Censorini locus. neque enim fieri poterat ut Censorinus hanc tabulam philosophorum ipse inveniret neque traditam a Varrone multum mutasse videtur. nam id agit scriptor ut omnes illarum sectarum participes uno ore aeternum esse mortale genus affirmare doceat. quocirca singularum sectarum bini adiunguntur magistris discipuli [4] sequiturque asseclarum ceterorum consensus. ergo

---

[1] III 2, 81 [1] *ob auch die Angaben bei Censorin* c. 10 sq. 12 4. 13 *von Varro herstammen ist unsicher.* c. 4 3 *wo Pythagoras Ocellus und Archytas als Zeugen fuer die Ewigkeit der Welt angefuehrt werden, gewiss nicht.*

[2] ex potiorum codicum DR lectione occeium Occelum quam Ocellum quod Iahnius scripsit restituere malui. cf. varietas a Mullachio F. Ph. G. I 288 not. collecta.

[3] non nulla accurate ex vetusto exemplari transcripsit velut c. 4 mire prioribus adnexum ex Aristoxeni Πυθαγορικαῖς ἀποφάσεσιν, quod conlatis Jamblicho V. P. 209—213 et Aristoxeno apud Stob. flor. t. 101 4 recte contra Wyttenbachium probavit E. Rohde Mus. Rh. XXVII 52.

[4] aequabilitatem laedit Peripateticorum schola, cui tertius praeter Aristotelem et Theophrastum deest. sed inter Platonicos occurrit Dicaearchus, quem oculorum errore translatum credo in Platonici nescio cuius locum (nisi forte propter inimicitiarum cum Aristotele obscuram quandam famam [cf. Themist. Soph. p. 285B. Mueller F. H. G. II 224] a

frustra erunt, qui Pythagoram ceteraque tutati Ocellum Archytamque tamquam interpolatos expellant. accedit quod patriae adduntur Pythagorae Platoni Dicaearcho Aristoteli, idemque mos in Ocello Archytaque observatur. quid multa? ipse Varro accedat suae doctrinae vindex de re rust. II 1 3: *igitur, inquam, et pecua cum semper fuisse sit necesse natura (sive enim aliquod fuit principium generandi animalium ut putavit Thales Milesius et Zeno Citieus sive contra principium horum extitit nullum ut credidit Pythagoras Samius et Aristoteles Stagerites) necesse est humanae vitae a summa memoria gradatim descendisse ad hanc aetatem ut scribit Dicaearchus* ... ecce Pythagoras cum Aristotele et Dicaearcho eiusdem opinionis patroni, quae in Censorino accuratius exponitur. neque philosophorum patriae non adduntur. de Romanorum Varronisque Pythagoricis studiis dictum est a M. Hertzio de Nigid. Fig. p. 24 cf. Ritschelii opusc. III 442. Ocelli liber quando compositus sit ne Varronis quidem aetate certo efficitur. nam si Andronico quod supra dixi inferior fuit falsarius a sene Varrone novorum librorum ut in grammaticis aucupe legi poterat. quamquam veri simile Aristotelis non ipsum de generatione librum illum adhibuisse, sed excerptum et explanatum a iuniore quodam Peripatetico, quos constat Stoicis coloribus parum pepercisse. quod genus est in Ocell. 2 5 αἱ δὲ δυνάμεις οὔτε φθείρονται οὔτε γίνονται. λόγοι γὰρ ἀσώματοι τυγχάνουσι τούτων, quod Arii fr. 4 in memoriam revocat, qui similibus eclogis Andronico partim superioribus in Aristoteleis uti consuevit. de Archytae memoria nihil quod dicam habeo, nisi quod dubium non est quin ex subdito ea quoque hausta sit libello. neque enim Varroni eiusmodi quaestiones scrupulos parabant qui Archytam Pythagoreum inter rei rusticae scriptores enumeravit d. r. r. I 1 8 quem Demetrius Magnesius ab homonymis secreverat cf. Laert. VIII 82 γεγόνασι δ' Ἀρχῦται τέτταρες ... τρίτος περὶ γεωργίας γεγραφώς. sed haec quidem de Pythagoreorum in Varrone fraudibus.

Censorini igitur prior pars (4—15) ex Varronis loghistoricis accurate excerpta est. atque cum *Atticus sive de numeris* [l. muneribus cf. Ritschelii op. III 405] et *Tubero de origine humana* ab ipso compilatore 2 2 p. 6, 5 et 9 1 p. 22, 13 citentur, Tuberonem maxime in suum usum vertisse compilatorem propter argumenti similitudinem consentaneum est. altera libelli pars non minus Varroniana ex quibus libris hausta sit, iudicium cohibeo, cum Gruppeus [Herm. X 54 sqq.] non omnia recte enodavisse videatur. neque quidquam ad nostram de Tuberone quaestionem facit. nostra interest priorem partem de origine humana c. 4—15 examinare. atque c. 4 postquam Peripateticam et recentiorum Pythagoreorum doctrinam semper fuisse humanum genus exposuit, adversarios inducit.

Peripateticis seiunctum esse Dicaearchum opinaris). erroris instar, quem statuo a Censorino commissum, infra promam.

4 7 *Anaximander Milesius videri sibi ex aqua terraque calefactis exortos esse sive pisces seu piscibus simillima animalia, in his homines concrevisse fetusque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illos viros mulieresque qui iam se alere possent processisse.*

Plac. V 19 4 Ἀναξίμανδρος ἐν ὑγρῷ γεννηθῆναι τὰ πρῶτα ζῷα φλοιοῖς περιεχόμενα ἀκανθώδεσι, προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἀποβαίνειν ἐπὶ τὸ ξηρότερον καὶ περιρρηγνυμένου τοῦ φλοιοῦ ἐπ' ὀλίγον χρόνον μεταβιῶναι cf. supra p. 135.

8 *Empedocles* [1] *autem . . . tale quiddam confirmat. primo membra singula ex terra quasi praegnate passim edita deinde coisse et effecisse solidi hominis materiam igni simul et umori permixtam. . .*

*haec eadem opinio etiam in Parmenide Velins * te fuit pauculis exceptis ab Empedocle † dissensis.* [2]

Plac. V 19 5 Ἐμπεδοκλῆς τὰς πρώτας γενέσεις τῶν ζῴων καὶ φυτῶν μηδαμῶς ὁλοκλήρους γενέσθαι, ἀσυμφυέσι δὲ τοῖς μορίοις διεζευγμένας, τὰς δὲ δευτέρας συμφυομένων τῶν μερῶν εἰδωλοφανεῖς, τὰς δὲ τρίτας τῶν ὁλοφυῶν κτλ.

9 *Democrito vero Abderitae ex aqua limoque primum visum est* [libri *esse*] *homines procreatos.*

cf. Plac. V 19 [Gal.] Proleg. p. 21.

nec longe secus Epicurus. is enim credidit limo calfacto uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum increvisse et infantibus ex se editis ingenitum lactis umorem natura ministrante praebuisse, quos ita educatos et adultos genus hominum propagasse.

aliter Plac. 19 2.

secuntur Zenonis et mythologorum sententiae [cf. Servius ad Verg. Aen. I 743].

5 2 *igitur semen unde exeat inter sapientiae professores non constat.*

Parmenides enim tum ex dextris tum e laevis partibus oriri putavit.

Plac. V 7 4 Ἀναξαγόρας Παρμενίδης τὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν καταβάλλεσθαι εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τῆς μήτρας, τὰ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ ἀριστερά.

Hipponi vero Metapontino sive ut Aristoxenus auctor est Samio [3] *ex medullis profluere semen videtur idque eo probari quod post admissionem pecudum si quis mares interimat medullas utpote exhaustas non reperiat.*

cf. Hippolyt. 16 2.

---

[1] hanc opinionem in iocum lepidissimum vertit Varro in Eumenidibus satura fr. 27 B [23 R] *Empedocles natos homines ex terra ait ut blitum.*

[2] sententiam mutilatam sic intellego: *Veliensi* [*Eleate*] *fuit p. e. ab Empedocle non dissentiente.*

[3] cf. Iamblich. V. P. 267 Zeller I[4] 232[3].

sed hanc opinionem non nulli refellunt ut Anaxagoras Democritus et Alcmaeon Crotoniates.....	cf. Plac. V 3 3. 6.
5 4 *illud quoque ambiguam facit inter auctores opinionem utrumne ex patris tantummodo semine partus nascatur ut Diogenes et Hippon Stoicique scripserunt an etiam ex matris quod Anaxagorae et Alcmaeoni nec non Parmenidi Empedoclique et Epicuro visum est.*	Plac. V 5 εἰ καὶ αἱ θήλειαι προΐενται σπέρμα. V 5 3 Ἵππων προΐεσθαι μὲν σπέρμα τὰς θηλείας . . . μὴ μέντοι εἰς ζῳογονίαν τοῦτο συμβάλλεσθαι . . . V 5 1 Πυθαγόρας Ἐπίκουρος Δημόκριτος καὶ τὸ θῆλυ προΐεσθαι σπέρμα.
5 *de conformatione autem partus nihilo minus definite se scire Alcmaeon confessus est ratus neminem posse perspicere quid primum in infante formetur.*	V 17 τί πρῶτον τελεσιουργεῖται ἐν τῇ γαστρί. V 17 3 Ἀλκμαίων τὴν κεφαλὴν ἐν ᾗ ἐστι τὸ ἡγεμονικόν.[1]
6 1 *Empedocles quem in hoc Aristoteles secutus est ante omnia cor iudicavit increscere, quod hominis vitam maxime contineat.*	V 17 2 Ἀριστοτέλης πρῶτον τὴν ὀσφὺν ὡς τρόπιν νεώς.[2]
Hippon vero caput in quo est animi principale.	cf. V 17 3.
Democritus alvum cum capite quae plurimum habent ex inani.	cf. V 17 6 ἄλλοι δὲ τὸν ὀμφαλόν [cf. Plut. d. am. prol. p. 495].
Anaxagoras cerebrum unde omnes sunt sensus.	
Diogenes Apolloniates ex umore primum carnem fieri existimavit tum ex carne ossa nervosque et ceteras partes enasci.	
2 *at Stoici una totum infantem figurari dixerunt ut una nascitur aliturque. sunt qui id opinentur ipsa fieri natura ut Aristoteles atque Epicurus. sunt qui potentia spiritus semen comitantis ut Stoici ferme universi.*	V 17 1 οἱ Στωικοὶ ἅμα ὅλον γίγνεσθαι.
sunt qui aetherium calorem inesse arbitrentur qui membra disponat Anaxagoran secuti.	cf. V 19 3 v. p. 94 et 172.

[1] haud dubie Aëtius vera tradit. nam constat in Placitis τὸ ἡγεμονικόν Alcmaeonis de quo infra dicetur, contra eadem opinio a Varrone Hipponi tribuitur inferius, qui et ipse de cerebri natura quaedam coniecisse videtur cf. Hippol. 16 2.

[2] Aëtius erravit. nam cor principium indicavit Aristoteles cf. de gen. anim. II 6

6 3 *utcumque tamen formatus infans quemadmodum in matris utero alatur duplex opinio est.* | V 16 πῶς τρέφεται τὰ ἔμβρυα.

Anaxagorae enim ceterisque compluribus per umbilicum cibus administrari videtur. | V 16 2 οἱ Στωικοὶ διὰ τοῦ χορίου καὶ τοῦ ὀμφαλοῦ.

at Diogenes et Hippon existimarunt esse in alvo prominens quiddam quod infans ore adprehendat ⟨et⟩ ex eo alimentum ita trahat ut cum editus est ex matris uberibus. [1] | cf. V 16 1.

4 *ceterum ut mares feminaeve nascantur quid causae esset varie ab isdem philosophis proditum est.* | V 7 πῶς ἄρρενα γεννᾶται καὶ θήλεα.

nam ex quo parente seminis amplius fuit eius sexum repraesentari dixit Alcmaeon.

ex seminibus autem tenuioribus feminas ex densioribus mares fieri Hippon adfirmat. | V 7 3 Ἱππῶναξ [sic Aëtius] παρὰ τὸ συνεστὸς ἢ καὶ ἰσχυρὸν ἢ παρὰ τὸ ῥευστικόν τε καὶ ἀσθενέστερον σπέρμα.

5 *utrius vero parentis principium sedem prius occupaverit, eius reddi naturam Democritus rettulit:* | V 7 6 Δημόκριτος τὰ μὲν κοινὰ μέρη ἐξ ὁποτέρου ἂν τύχῃ τὰ δὲ ἰδιάζοντα κατ' ἐπικράτειαν [cf. Arist. d. gen. anim. p. 764ᵃ 10].

at inter se certare feminas [feminae libri] *et mares et penes utrum victoria sit eius habitum referri auctor est Parmenides.*

6 *ex dextris partibus profuso semine mares gigni at e laevis feminas Anaxagoras Empedoclesque consentiunt.* | V 7 4 Ἀναξαγόρας Παρμενίδης τὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν καταβάλλεσθαι εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τῆς μήτρας τὰ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ ἀριστερά.

Interrumpam hic excerptorum seriem non quo lectores de summa similitudine moneam, quae nisi ex usu recentioris sylloges Epicureos et Stoicos complexae Stoicaque disciplina tinctae explicari nequit, sed ut Censorini novissimi capitis 6 4—6 turbas quasdam aperiam et quoad eius fieri potest in pristinum ordinem reducam.

Hipponis opinio vere traditur id quod Placita testantur. iam cetera dubia sunt. in Parmenidis opinione prompta est erroris obrussa. exstat enim illius versus δεξιτεροῖσιν [scil. μέρεσιν] μὲν κούρους, λαιοῖσι δὲ κούρας.

p. 742ᵇ 36. τρόπιν νεὼς sumptum videri possit ex Arist. metaphys. Δ 1 p. 1013ᵃ 4. cf. Lactant. opif. 5 *quasi carinam compegit quam nos dicimus spinam.*

[1] cf. Aristotelis de animal. epitome Aristophanea ed. Rose Anecd. gr. II p. 32: διαπίπτειν δέ φησι Διογένην τὸν Ἀπολλωνιάτην εἰρηκότα ταῖς κοτυληδόσι ταῖς ἐν τῇ μήτρᾳ τρέφεσθαι τὰ ἔμβρυα. Roseus in Censorino suadet *ex quo* pro *ex eo*.

hanc doctrinam Anaxagorae et Hippocrati persuasit cf. Menag. ad Diog. II 9. itaque recte Placita V 7 4 Ἀναξαγόρας Παρμενίδης τὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν καταβάλλεσθαι εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τῆς μήτρας [scil. tum mares gigni], τὰ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ ἀριστερά [sc. feminas] cf. Censorinus ipse V 2 ***Parmenides tum ex dextris tum ex laevis partibus oriri putavit.*** idem de Anaxagora Aristoteles de gener. anim. IV 1 p. 763b 31 ... οἷον Ἀναξαγόρας καὶ ἕτεροι τῶν φυσιολόγων· γίνεσθαί τε γὰρ ἐκ τοῦ ἄρρενος τὸ σπέρμα, τὸ δὲ θῆλυ παρέχειν τὸν τόπον καὶ εἶναι τὸ μὲν ἄρρεν ἐκ τῶν δεξιῶν τὸ δὲ θῆλυ ἐκ τῶν ἀριστερῶν καὶ τῆς ὑστέρας τὰ μὲν ἄρρενα ἐν τοῖς δεξιοῖς εἶναι τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. cf. Philop. ad h. l. (Venet. 1526) f. 81v 16.

Empedoclis sententia quam coniungit Censorinus plane alia erat, quemadmodum cum alii tum Aristoteles l. c. docet.[1] nam ad calorem omnia rettulit Empedocles. ad hanc lucem compara Censorini verba 6 5 ***at inter se certare — Anaxagoras Empedoclesque consentiunt.*** quid? concordiam finxit Censorinus inter eos quos contrariae rationis tamquam exemplaria opponit Aristoteles? atqui recte in proxima § 7 Empedoclis placitum ipse Censorinus explicavit. age mutentur vices Parmenidesque in Empedoclis locum substituatur. tum veram habebis et Placitis consonam opinionem. Empedoclis lemma aut residuum est omissa opinione aut repetitum ex insequenti paragrapho, quae ab Empedocle incipit. sed prior sententia nunc lemmate caret. quocirca Democritum descendere iubeamus, cuius vicina in Placitis et Aristotele memoria aliter accurate cum Censorino non potest conciliari. ceterum ad eundem fortasse Democritum pertinent quae Stoicis apud Aëtium V 11 3 perverse continuantur προΐεσθαι δὲ καὶ τὴν γυναῖκα σπέρμα· κἂν μὲν ἐπικρατήσῃ τὸ τῆς γυναικὸς ὅμοιον εἶναι τὸ γεννώμενον τῇ μητρί, ἐὰν δὲ τὸ τοῦ ἀνδρὸς τῷ πατρί cf. V 5 1. Democrito igitur in proxima traiecto post Hipponem § 5 una relinquitur anonymi sententia, quam noli cum Hipponis altera in Placitis opinione § 7 εἰ μὲν ἡ γονὴ κρατήσειεν ἄρρεν, εἰ δ' ἡ τροφὴ θῆλυ componere. sed fieri potest ut duplex eius memoria Censorinum in oculorum errorem induxerit, quem ceterae turbae sponte sequebantur. pergo Placitorum concentum demonstrare.

6 6 ***quorum opiniones ut de hac specie congruae ita de similitudine liberorum dispariles***	Plac. V 11 πόθεν γίνονται τῶν γονέων αἱ ὁμοιώσεις καὶ τῶν προγόνων.
super qua re Empedocles disputata ratione talia profatur: si par	V 11 1 Ἐμπεδοκλῆς ὁμοιότητας γίνεσθαι κατ' ἐπικράτειαν τῶν σπερματι-

[1] Parmenidem et Empedoclem parum scite copulavit etiam Galenus ad Hippocr. epidem. IV 2, XVII 1 p. 1002 K. τὸ μέντοι ἄρρεν ἐν τῷ δεξιῷ μέρει τῆς μήτρας κυΐσκεσθαι καὶ ἄλλοι τῶν παλαιοτάτων ἀνδρῶν εἰρήκασιν. ὁ μὲν γὰρ Παρμενίδης οὕτως ἔφη 'δεξιτεροῖσι μὲν κούροις λαιοῖσι δ' αὖ κούρας', ὁ δ' Ἐμπεδοκλῆς οὕτως 'ἐν γὰρ θερμοτέρῳ τὸ κατ' ἄρρενα ἔπλετο γαίης καὶ μέλανες διὰ τοῦτο καὶ ἀνδρωδέστεροι ἄνδρες καὶ λαχνήεντες μᾶλλον. in causa fuit fortasse quod Aristoteles l. c. p. 765a 35 utramque rationem suo arbitratu quodammodo conciliare conatus est.

calor in parentum seminibus fuit patri similem marem procreari, si frigus feminam matri similem. quodsi patris calidius erit et frigidius matris, puerum fore qui matris vultum repraesentet: at si calidius matris, patris autem fuerit frigidius puellam futuram quae patris reddat similitudinem.

χῶν γόνων, ἀνομοιότητας δὲ τῆς ἐν τῷ σπέρματι θερμασίας ἐξατμισθείσης.

hinc Aëtio quaedam lux affulget. postrema quidem utrimque consentiunt, cum Aëtiana ἀνομοιότητας δὲ τῆς ἐν τῷ σπέρματι θερμασίας ἐξατμισθείσης accuratius ab illo explicentur *quodsi patris calidius* etc. at priora discrepant. Censorinus caloris aequabilitatem causam dixit, Placita seminum certantium potentiam. uter verius rettulerit non potest ambigi cf. Censor. 6 10. Aëtium autem contraxisse puto talia ἐὰν ἴσον ᾖ τὸ θερμόν, κρατεῖν τὸ τοῦ ἄρρενος σπέρμα, ἐὰν δὲ τὸ ψυχρόν, τὸ τοῦ θήλεος cf. Philopon. in Ar. de gen. IV 1 (Ven. 1526) f. 81ᵛ 25.

6 8 *Anaxagoras autem eius parentis faciem referre liberos iudicavit qui seminis amplius contulisset.*

ceterum Parmenidis sententia est cum dexterae partes semina dederint tunc filios esse patri consimiles, cum laevae tunc matri.

Plac. V 11 2 Παρμενίδης ὅταν μὲν ἀπὸ τοῦ δεξιοῦ μέρους τῆς μήτρας ὁ γόνος ἀποκριθῇ τοῖς πατράσιν, ὅταν δὲ ἀπὸ τοῦ ἀριστεροῦ ταῖς μητράσιν.

ad Anaxagoram Aëtii comparatio est nulla. sed similiter Lactantius qui Varronis librum undecumque cognitum habuit de opif. c. 12 *id autem praevalet e duobus quod fuerit uberius. alterum enim quodammodo amplectitur atque includit. hinc plerumque fieri solet ut unius tantum lineamenta praetendant. si vero aequa fuerit ex pari semine permixtio figuras quoque misceri ut soboles illa communis aut neutrum videatur.* eodem spectat Aristot. de gen. anim. IV 3 p. 769ᵃ 9 ἔνιοι μὲν γάρ φασιν ἀφ' ὁποτέρου ἂν ἔλθῃ σπέρμα πλέον, τούτῳ γίγνεσθαι μᾶλλον ἐοικός . . . ἂν δ' ἴσον ἔλθῃ ἀφ' ἑκατέρου, τοῦτο δ' οὐδετέρου γίγνεσθαι ὅμοιον.

Parmenidea promiscuo in utroque errore conversa sunt. volebant dicere e dextris partibus mares oriri ac cetera similiter. vide quae supra et ad Aëtii locum dixerim, cf. Zeller I⁴ 528. quid ipsi philosopho de similitudine placuerit ex Sorano verso a Caelio Aureliano de morb. chron. IV 9 p. 545 Wetst. notum est.[1] mares feminasque ex bene tem-

[1] *Parmenides in libris quos de natura scripsit, eventu inquit conceptionis molles aliquando seu subactos homines generari. . . . . .*

femina virque simul Veneris cum germina miscent,
venis informans [an *unius in formam?*] *diverso ex sanguine virtus*
temperiem servans bene condita corpora fingit.
at si virtutes permixto semine pugnent

peratis seminibus suis locis gigni, mares dextris, feminas laevis utriusque sexus partibus. si vero semen a dextra ortum forte in laevam mulieris pervenerit aut invicem, tum ambiguum sexum et '*utriusque veneris*' i. e. hermaphroditos procreari. quam doctrinam novo licet testimonio Lactantii confirmare, qui verbosius ut solet et Tulliano more Varroniana opinor sequitur c. 12 l. c. *dispares quoque naturae hoc modo fieri putantur. cum forte in laevam uteri partem masculinae stirpis semen inciderit, marem quidem gigni opinatio est. sed quia sit in feminina parte conceptus, aliquid in se habere femineum supra quam decus virile patiatur vel formam insignem . . . item si partem in dextram semen feminini sexus influxerit, feminam quidem procreari, sed quoniam in masculina parte concepta sit habere in se aliquid virilitatis ultra quam sexus ratio permittat. si vero masculinum in dexteram, femininum in sinistram pervenerit, utrosque fetus recte pervenire* [*l. provenire*]. [1]

Consulto fui molestior in explicanda Parmenidis opinione quo brevius corruptum vel truncatum Aëtii locum persanare liceret. quae dimidiata supra apposui V 7 4 integra sic se habent:

Παρμενίδης τὰ μὲν ἐκ τῶν δεξιῶν καταβάλλεσθαι εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τῆς μήτρας, τὰ δ' ἐκ τῶν ἀριστερῶν εἰς τὰ ἀριστερά. εἰ δ' ἐναλλαγείη τὰ τῆς καταβολῆς, γίνεσθαι θήλεα. priora explicavi p. 192, ultima aut truncata sunt e talibus τὰ μὲν ἄρρενα γίνεσθαι θηλύτερα, τὰ δὲ θήλεα ἀρρενικώτερα aut corrupta ex γίνεσθαι ἀρρενοθήλεα. utrum praestet, suo quisque arbitratu optabit. [2] continuo Varroniana ex Censorino

6 9 *sequitur de geminis, qui ut aliquando nascantur modo seminis fieri Hippon ratus est:*	V 10 πῶς δίδυμα καὶ τρίδυμα γίνεται.
id enim cum amplius est quam uni satis fuit bifariam diduci.	V 10 1 Ἐμπεδοκλῆς δίδυμα καὶ τρίδυμα γίνεσθαι κατὰ πλεονασμὸν καὶ περισχισμὸν τοῦ σπέρματος.
10 *id ipsum ferme Empedocles videtur sensisse. nam causas quidem cur divide-*	

nec faciant unam permixto in corpore dirae,
nascentem gemino vexabunt semine sexum.

vult enim seminum praeter materias esse virtutes quae si se ita miscuerint ut eiusdem corporis faciant unam, congruam sexui generent voluntatem; si autem permixto semine corporeo virtutes separatae permanserint, utriusque veneris natos appetentia sequatur. cf. Karsten Parm. p. 127.

[1] Parmenideam rationem sed in contrarium versam sequitur Diocles, opinor, medicus apud Theodor. Priscian. [Octav. Horat. ed. Argent. 1532 p. 110].

[2] cf. Pseudo-Hippocr. d. diaet. I 28 [t. VI p. 502 L.] ἢν δὲ ἀπὸ μὲν τῆς γυναικὸς ἄρσεν ἀποκριθῇ, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀνδρὸς θῆλυ, κρατήσῃ δὲ τὸ ἄρσεν, αὔξεται τὸν αὐτὸν τρόπον τῷ προτέρῳ, τὸ δὲ [sc. ἄρσεν] μειοῦται· γίνονται δὲ οὗτοι ἀνδρόγυνοι καὶ καλέονται τοῦτο ὀρθῶς. ἀρρενόθηλυς est apud Plutarchum de Isid. et Osir. 43 p. 368. Theol. arithm. p. 33, 9 Ast. Porphyr. ap. Euseb. III 11 10. Athenagor. suppl. p. 108 Ott. Maneth. 5, 140. Epiphan. I. 308 Oehl. idem valet ἀνδρόθηλυς quod in notissimo Philostrati de Favorino loco invenitur V. S. 18 διφυὴς δὲ ἐτέχθη καὶ ἀνδρόθηλυς. cf. V. Rose Anecd. gr. I 71. v. Lobeck ad Phryn. p. 536.

retur non posuit, partiri tantummodo ait et si utrumque sedes aeque calidas occupaverit utrumque marem nasci, si frigidas aeque utramque feminam si vero alterum calidiorem alterum frigidiorem dispari sexu partum futurum.

Censorino collato tamquam officinam compilatoris Aëtii introspicias. causas ille Empedoclem partitionis non attulisse religiose prodit. sed coniecit similiter atque Hipponem eum statuisse. quid Aëtius? coniecturam pro certo amplexus utramque opinionem in unam compegit. pariter ariolatur V 8 1.[1]

7 1 *superest dicere de* ***temporibus*** *quibus partus soleant esse ad nascendum maturi* . . .

2 *iam primum quoto post conceptionem mense infantes edi soleant, frequenter agitatum inter veteres nondum convenit.*

Hippon *Metapontinus a septimo ad decimum mensem nasci posse existimavit*....[2]

4 *huic opinioni in parte aliqua repugnant alii, in parte*[3] *consentiunt.*

5 *nam septimo mense parere mulierem posse plurimi adfirmant, ut* ***Theano*** *Pythagorica* ***Aristoteles*** *Peripateticus* ***Diocles Euenor Straton Empedocles Epigenes*** *multique praeterea quorum omnium consensus* ***Euryphontem*** *Cnidium non deterret id ipsum intrepide perneganlem.*

V 18 4 οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀριστοτέλην καὶ Ἱπποκράτην φασὶν ἐὰν μὲν ἐκπληρωθῇ ἡ μήτρα ἐν τοῖς ἑπτὰ μησί, τότε . . . γεννᾶσθαι γόνιμα. Ἐμπεδοκλῆς cf. V 18 1. Εὐρυφῶν ὁ ἰατρός . . . V 18 7.

6 *contra eum ferme omnes* ***Epicharmum*** [p. 298 Lor.] *secuti octavo mense nasci negaverunt.* ***Diocles*** *tamen Carystius et* ***Aristoteles*** *Stagirites aliter senserunt. nono autem et decimo mense cum Chaldaei plurimi et idem supra mihi nominatus* ***Aristoteles*** *edi posse partum putaverint. neque* ***Epigenes*** *Byzantius nono fieri posse contendit nec* ***Hippocrates*** *Cous decimo.*

V 18 3 Πόλυβος Διοκλῆς οἱ Ἐμπειρικοὶ καὶ τὸν ὄγδοον μῆνα ἴσασι γόνιμον ἀτονώτερον δέ πως cf. V 18 4.

cf. V 18 4.

7 *ceterum undecimum mensem* ***Aristo-***

[1] similem materiam collectam invenit Seneca de benef. VII 1 5 *utrum unus concubitus spargatur in duos an totiens concepti sint.* intellege περισχισμὸν et ἐπισύλληψιν quae in Placitis Empedoclis Asclepiadi atque Erasistrato Stoicis adscripta sunt.

[2] *aestimavit* libri. sequitur de septenarii numeri vi cf. ad Placit. V 23 1.

[3] Iahnius scripsit *alii, alia in parte.*

teles [1] *solus recipit* [*l. recepit*], *ceteri universi inprobarunt.*

Sequitur Chaldaeorum ratio c. 8 cum Placitis V 18 6 οἱ μαθηματικοὶ κτέ. in summum congrua, sed multo uberior. etiam magis consentiret si haec τὰ δὲ ἀσύνδετα ζῴδιά ἐστιν ἐὰν τῶν οἰκοδεσποτούντων ἀστέρων τυγχάνῃ. ἐὰν γάρ τις τούτων τὴν ζωὴν καὶ τὸν βίον κληρώσῃ, δυστυχεῖς καὶ ἀχρόνους σημαίνει, quae neque ipsa intellego nec cum reliqua ratione cohaerent, interpolata esse sive ab Aëtio sive a Plutarcho crederemus. maxime huic coniecturae favet quod regnantibus planetis omissis cetera similia fient Chaldaeorum doctrinae quam excerpsit Geminus Elem. astron. Uranol. Pet. p. 6 D. [2] Epigenem infra astrologum nominavit Censorinus 17 4 et coniunxit cum Beroso. eosdem coniunctos ex Varrone citat Plinius N. H. VII 160. [3]

---

[1] Hist. anim. VII 4 p. 584b 1. V. Rose Ar. pseud. p. 382. inde Varronis facetiae in Testamento satura fr. 4 p. 229 R. *si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur, ii si erunt* ὄνοι λύρας *exheredes sunto. quod si quis undecimo mense* κατ' Ἀριστοτέλη *natus est, Accio idem quod Titio ius esto apud me.*

[2] fortasse olim interpolatorum loco haec explicatio exstitit: τὰ δὲ σύνδετα ζῴδιά ἐστιν κατὰ διάμετρον· κριὸς πρὸς ζυγόν, ταῦρος πρὸς σκορπίον κτλ. cf. Manil. II 395 sqq. sed de omnibus his rebus nihil pro certo possum affirmare ut hospes in astrologorum nugis.

[3] non praetereundus erat Manilius qui dicitur, si Gruppeo fides habenda esset [Herm. XI 235 sqq.] e Varrone illud carmen totum haustum esse contendenti. quod secus est. ipsa prima eius verba '*denn die griechischen Astronomen beginnen die Aufzaehlung der Zodiacalbilder mit dem Krebs, waehrend die Roemer von dem Widder ausgehen*' miram ignorationem produnt. nam etsi Eudoxi parapegma a leone initium cepit, Callippus atque Dionysius a cancro, posteriores ab ariete velut Posidoniani Geminus p. 1 Achillesque p. 144 E Pet. et quod pluris est ipse Ptolemaeus perspicuis verbis almag. II 7 p. 32 Bas. 90 Halm. quem Theo comm. in tab. man. ed. Halma p. 28 sq. sequitur. ceterum non nullae tabulae variant partim antiquo ordine servato (almag. II 12 p. 51 B. 134 Halm. tab. man. ed. Halm. II 98 sqq.) partim capricorno proposito tab. man. I 148 sqq. quis arietem primus introduxerit Graecorum ambigitur. nam quod posuit Letronneus [*sur l'origine du zodiaque Grec et sur plusieurs points* etc. Journ. des sav. 1839 p. 448 sed cf. eiusdem *sur l'origine Grecque du zod. prétend. Égypt.* § V Revue de deux mondes 1837, Mélanges d'érudition de Letr. p. 32—34] Hipparchum zodiacum ad arietis initium ordinasse, eo nititur quod Ptolemaei fixarum stellarum tabulam alm. VII extr. VIII Hipparcheam credunt, ubi p. 184 sqq. Bas. aries dux est signorum. quod aliter se habere docuit Schaubachius [Iahns archiv f. phil. u. paed. VII 55 sqq. X 334. 336]. Hipparchus in commentario qui exstat de Arato itendidem a cancro progreditur p. 245 sqq. 249 sqq. Pet. sed fieri potuisse ut etiam in arietem incideret Hipparchus existimat Usenerus, qui de astronomorum rationibus sua me eruditione benigne adiuvit. ceterum ut astronomorum omnino non tantum intererat, quod signum principatum haberet modo quaterna anni spatia observarentur, ita astrologis hoc vel inprimis respiciendum fuit. de Chaldaeis antiquis cf. Lenormant *Anfaenge der Cultur* II 48. inde Sext. adv. mathem. V 7. 11. 21 artem eorum expositurus ab ariete incipit itemque Hippolyt. refut. IV 15 p. 80, 14 Gott. V 13 p. 180, 36. 43. 182, 50. VI 28 p. 268, 15. apertius schol. Arat. p. 99, 39 Bekk. διὰ τί ἀπὸ τοῦ καρκίνου ἤρξατο [Aratus] καὶ ταῦτα τῶν Αἰγυπτίων ἀεὶ ἀπὸ κριοῦ λαμβανόντων τὴν ἀρχήν; ὅτι εἰώθει ἀεὶ ἀπὸ τῶν βορείων ἄρχεσθαι, βορειότερος δέ ἐστι πάντων ὁ καρκίνος. οἱ δὲ Αἰγύπτιοι εἰκότως ἀπὸ τοῦ κριοῦ ποιοῦνται τὴν ἀρχὴν πάντα τὰ ζῴδια κατὰ ἀναλογίαν λαμβάνοντες τῶν μελῶν. Aegyptios non veteres intellego qui a cancro (Sirli

9 1 *hac* ***Chaldaeorum*** *sententia explicata transeo ad opinionem Pythagoricam* ***Varroni*** *tractatam in libro qui vocatur* ***Tubero*** *et intus subscribitur* ***de origine humana.***

2 *quae quidem ratio praecipue recipienda ad veritatem proxime videtur accedere.*

alii *enim plerique, cum omnes partus non uno tempore fiant maturi, una tamen eademque tempora omnibus conformandis dederunt. ut* ***Diogenes*** *Apolloniates qui masculis corpus ait quattuor mensibus formari et feminis quinque,*

vel ***Hippon*** *qui diebus LX infantem scribit formari et quarto mense carnem fieri concretam quinto ungues capillumve nasci septimo iam hominem esse perfectum.*

3 ***Pythagoras*** *autem quod erat credibilius dixit partus esse genera duo alterum septem mensum alterum decem, sed priorem aliis dierum numeris conformari aliis posteriorem. eos vero numeros qui in uno quoque partu aliquid adferunt mutationis, dum aut semen in sanguinem aut sanguis in carnem aut caro in hominis figuram convertitur inter se conlatos rationem habere eam quam voces habent quae in musice* σύμφωνοι *vocantur.*

cf. Plac. V 21 ἐν πόσῳ χρόνῳ μορφοῦται τὰ ζῷα ἐν γαστρὶ ὄντα.

Omitto Varronis musicam rationem alienam a nostro instituto. sed iuvat Varroniana apud alios Placitorum electa qualia subinde adnotavi paulo diligentius colligere. Lactantius in libro de opificio dei illius auctoritatem maxime ad etymologias nominatim arcessivit ut c. 8 *a quo foratu frontem nominatam Varro existimavit* vel c. 10 *eos ciliorum tegminibus occuluit unde oculos dictos esse Varroni placet.* ibidemque *Varro a ligando cibo putat linguae nomen impositum* cf. c. 13 *mulieris viri* c. 14 *renum* c. 15 *vocis* [1] veriloquia. gravissimam vero doctrinam de hominum generatione c. 12 compressit. praeter superiora illa duas eclogas promam:

ortu) annum incipiebant, sed apotelesmaticos [cf. Lucian. astrol. 7] qui Petosirin et Nechepsonem antiquos Aegypti reges tamquam astrologiae inventores et gravissimos scriptores suspiciebant. cf. Usener Mus. Rhen. XXVI 158. Ch. Graux *Revue de philol.* II 71 26. Not. et extr. XVIII 2 p. 36. Romani quibus aries sollemne est initium quin non ipsorum fastos [cf. Mommsen r. Chronol. [2] 307] sed graecum usum sint secuti, equidem non dubito.

[1] varias de *voce* opiniones ex graeco fonte expressit Gellius V 15. indidem c. 16 de *vi oculorum* Placitorum more excerptum. sed fontem ut invenirem non contigit.

ipsum semen quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni corpore ad venam genitalem confluere ibique concrescere.

non potest fieri quin Varronis eruditionem [cf. Censorin. 5 2 Plac. V 3] adgnoscas. sed ecce etiam nomen

conceptum igitur Varro et Aristoteles sic fieri arbitrantur. aiunt enim non tantum maribus inesse semen verum etiam feminis. et inde plerumque matribus similes procreari. sed earum sanguine esse purgatum: quodsi recte cum virili mixtum sit utraque concreta et simul coagulata informari. primum quidem cor homini confingi, quod in eo sit et vita hominis et sapientia, denique totum opus quadragesimo die consummari.

de Aristotelis doctrina a Varrone recepta cf. Rose Ar. ps. p. 383. Plac. V 5 2. 6 1. de corde crescendi initio cf. Censorin. 6 1 et supra p. 190[2] de quadragesimo die Plac. V 21 1. [1]

Similis opinionum enumeratio Varroni in Commentis Lucani Bernensibus tribuitur p. 220, 19 Usener.

Varro dixit somnia nasci aut ex abundantia principiorum aut deminutione, cum aut plus nobis caloris est aut minus aut plus humoris aut minus aut plus aeris aut minus aut plus terreni aut minus. nam cum plus ignis est, in somnis potiones et omne genus refrigerationis desideramus, cum aeris abundantia volare nos et sublimia petere et in ceteris sui similia colligi.

Epicurus dicit atomos influere animis nostris in imaginibus corporum et ea quae gessimus aut quae gesturi sumus per quietem videri.

Plato item dixit iecur nostrum leviore suco praestare splendorem velut speculum [in] quo dum inciderint imagines illae quas Epicurus tradit animum eas videre et quae habeat somnia conici [?]. quaecumque igitur videamus aut per recordationem rerum quas gessimus aut per metum, dum timemus qualia eventura sint, prospicimus.

---

[1] ex reliqua Lactantii libri parte insigne c. 17. *an si mihi quis dixerit aeneum esse caelum aut vitreum aut ut Empedocles ait aerem glacialem* [cf. Plac. II 11 2] *statimne assentias?* de mundo Varro in Tuberone quoque egerat. cf. Prob. ad Verg. ecl. 31 p. 19, 1K. *ad quam imaginem Varro mundo ovum comparavit* [Plac. II 2 1 Achill. s. p. 127 Pet. Comm. Lucani p. 153, 24 Cassiod. Sen. t. II p. 560[b] Gar.] *in logistorico qui inscribitur Tubero de origine humana sic dicens 'caelum ut testa item vitellum ut terra, inter illa duo humor quasi ἰχμὰς inclusus aer in quo calor'. in eodem etiam libro Varro interpretatur vitellum appellatum quia generet vitalia.* nempe a mundo sive aeterno sive mortali similiter de humana origine disceptabant. ergo Tuberonis fuit initium quale Placitorum V 19 καθ' οὓς μὲν γενητὸς ὁ κόσμος γενητὰ τὰ ζῷα καὶ φθαρτά εἰσιν. cf. Sueton. reliqu. p. 193 Reiff. mundi aeterni opinionem Varronianam impugnat libros Antiquitatum divinarum respiciens Tertullianus ad nat. II 3. cf. Philargyrus ad Verg. Georg. II 336 *Varro autem in satura quae scribitur de salute ait mundum haud natum esse neque mori. Plato autem natum at non mori. Metrodorus autem neque natum neque mori. Zenon ex hoc mundo quamvis aliqua intereant, tamen ipsum perpetuo manere quia inhaereant ei elementa e quibus generantur materiae ut dixit crescere quidem sed ad interitum non pervenire manentibus elementis a quibus revalescant.* opiniones si a Varrone collectae fuerunt, a satura abhorrent. cf. Riese Varr. sat. rel. p. 45 sq. quae de Xenophanis studio Varroniano nugatus sit Krahner comm. de Varron. N. Brandenb. 1846 p. 8 nolo refutare.

ibidemque p. 289, 3

alii existimant animas statim elisas corpore solvi ac dissipari in principia sua inter quos Epicurus.[1]

alii solidas quidem postquam exierint de corpore permanere, deinde tractu temporis dissipari. haec opinio Stoicorum.

alii integras decedere sicuti venerint in corpora et semper manere. haec auctoritas in duas opiniones scinditur.

alii enim dicunt liberatas a vinculo corporis in caelum reverti inter quos sunt Peripatetici et cum Platone suo Academici.

alii ire per corpora multorum animalium, quadrigentesimo sexsagesimo et altero anno rursus in corpora reverti humana: huius opinionis conditor Pythagoras.

Plac. IV 7 4 Δημόκριτος Ἐπίκουρος φθαρτὴν τῷ σώματι συνδιαφθειρομένην.

IV 7 3 οἱ Στωικοὶ ἐξιοῦσαν τῶν σωμάτων διαρκεῖν μὲν καὶ καθ' ἑαυτὰς ζῆν ἔφασαν, ἀλλὰ τὴν μὲν ἀσθενεστέραν . . . ἐπ' ὀλίγον, τὴν δέ γε ἰσχυροτέραν . . . μέχρι τῆς τοῦ παντὸς ἐκπυρώσεως.

prius caput de somniis universae Placitorum rationi concinit, sed V 2 πῶς ὄνειροι γίνονται non potest comparari, quia Democriti Stratonis Herophili tantum sententiae exstant. Varroni quae opinio tribuitur, dubium non est quin Empedoclea sit, quod Usenerus coniecit. idem alteram de anima seriem sine testimonio traditam recte auctori suo vindicavit et loghistoricis maxime collectas eiusmodi sententias assignavit[2]. quam opinionem Censorini testimonio satis stabilivimus.

Cognatae originis sunt quae Reifferscheidius ex Isidori maxime de natura rerum compendio Suetonii Prati libro IX inseruit. non nulla cum Placitis convenire ille probe perspexerat cum Suetonii pr. Caes. libr. reliqu. p. 444: *Isidorus*, inquit, *easdem fere quaestiones naturales tractat quas scriptor Graecus quem Plutarchum esse dicunt in placitis philosopho-*

---

[1] cf. p. 304, 9 *secundum Epicureos qui dicunt post mortem animam non durare sed interire cum corpore.*

[2] p. 221, ad v. 6 *hucusque Varro quem in loghistoricis hac ratione philosophorum sententias conposuisse vel potius compositas ex eodem libro quem praeter Stobaeum personati Plutarchus et Galenus* [nobis pro his dicendus Aëtius] *compilaverunt repetisse idoneus auctor est Censorinus.* Varronis animae patrocinium laudat Claudianus Mamert. d. stat. an. II 7 *M. Varro sui saeculi peritissimus et teste Tullio omnium sine dubitatione doctissimus quid in musicis quid in arithmeticis quid in geometricis quid in* φιλοσοφουμένων *libris divina quadam disputatione contendit nisi ut a visibilibus ad invisibilia a localibus ad illocalia a corporeis ad incorporea miris aeternae artis modis abstrahat animum et in corpora hoc est in adversa sibi dilapsum sui compotem faciat? cui si corpus esset corpus adversum esse non posset.*

rum libris primo secundo tertio proponit. sed intercedit inter eos haec differentia quod ille semper auctores sententiarum nominat, Isidorus nominibus eorum suppressis generaliter eos sic fere significat: gentiles veteres antiqui sapientes philosophi physici alii quidam. sed quae de origine Isidori ceterorumque eius generis scriptoribus posuit, non ita stabilita sunt ut tuto insistere possis [cf. G. Becker n. jahrb. f. phil. 1863, 642]. neque multum ille profecit perpetua Placitorum comparatione, quam Suetonio suo subnotavit, quia perpauca accurate respici, pleraque frustra citari manifestum est.

Memorabilis est Augustini enarr. in psalm. X 3 expositio [Sueton. ed. R. p. 209], quam Isidorus de nat. rer. 18 nominatim excerpsit [cf. schol. German. p. 197, 9 sqq. ed. Breysig, Censorin. fr. III p. 80, 6 Jahn. supra p. 53] *duae sunt de luna opiniones probabiles. harum autem quae vera sit aut non omnino aut difficillime arbitror posse hominem scire. cum enim quaeritur unde lumen habeat, alii dicunt suum habere sed globum eius dimidium lucere dimidium autem obscurum esse, dum autem movetur in circulo suo eandem partem qua lucet paulatim ad terras converti ut videri nobis possit et ideo prius quasi corniculatam apparere. . . . alii autem dicunt non habere lunam lumen proprium sed a sole illustrari.* Reifferscheidius ad hunc locum uberrima ex Plutarchi Plac. II 28. 25 excerpta frustra proposuit. nam quia Stobaei supplementa adhibere noluit, priorem opinionem Berosi esse eum fugit. etenim si Placita coniunges II 28 1 . . Βήρωσος ἴδιον αὐτὴν ἔχειν φῶς 25 12 Βήρωσος ἡμιπύρωτον σφαῖραν τὴν σελήνην 29 2 Βήρωσος [deficere lunam] κατὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς ἐπιστροφὴν τοῦ ἀπυρώτου μέρους, ad graecum exemplar haud dubie reduceris. ut Suetonii auctoritas hoc loco nequiquam invocatur ab editore, ita Varronis nomen non temere quispiam protulerit. nam Augustinus quantum debuerit illi in vulgus est notum idemque constat de Vitruvio, qui eandem memoriam repetit IX 1 16 *nunc de crescenti lumine lunae deminutioneque uti traditum est nobis a maioribus dicam* IX 2 1 *Berosus . . . pilam*[1] *esse ex dimidia parte candentem reliqua habere caeruleo colore.* quae Vitruvius *maioribus* se debere dicit vix errabimus si auctori Varroni, quo uti solet, reddemus, cum praesertim Berosum a Varrone citatum supra p. 196 viderimus.

Isidor. de nat. r. 20 [Hygin. P. A. IV 14 Sueton. p. 212 R.] *alii autem dicunt defectum solis fieri, si foramen aeris quo sol radios fundit aliquo spiritu contrahatur sive obturetur. haec physici et sapientes dicunt.* ex omni Placitorum nube ab editore contracta nullum in conspectum venire potest nisi Anaximandreum II 29 1 Ἀναξίμανδρος τοῦ στομίου τοῦ περὶ τὸν τροχὸν ἐπιφραττομένου. *foramen aeris* breviuscule dictum, quod debebat

---

[1] hoc vocabulo utitur etiam Augustin. l. c. *nam et si facias pilam ex dimidia parte candidam et ex dimidia obscuram* cet.

foramen orbis ex aere compacti. nam hanc supra explicavi doctrinam p. 33. in proximis est insignis error.

Isidor. l. c. 21 [Suet. p. 213R] *nam dicunt Stoici omnem terram montibus claudi quorum umbra fertur luna subito non apparere.* levitatem breviantis non castigavit editor. quid enim Stoicos tam puerilia finxisse putamus, quos constat statuisse [Plac. II 29 6] τὰς ἐκλείψεις [efficere lunam] εἰς τὸ σκίασμα τῆς γῆς ἐμπίπτουσαν cf. Laert. VII 145? sed iste ad priscorum simplicitatem redierat. nam montes luminibus astrorum officere docuerat Anaximenes Hippolyt. 7 6. accurate concinit cum Placitis stellarum cadentium explicatio, quam tamen non explicavit editor:

Isidor. l. c. 25 [Sueton. p. 218R.] *falsa . . . opinio est nocte stellas cadere cum sciamus ex aethere lapsos igniculos ire per caelum portarique ventis* . . . [Servius georg. I 366 quem R. citat ex graeco alio fonte fluxit] cf. Placit. III 2 9 Ἀναξαγόρας τοὺς καλουμένους διᾴττοντας ἀπὸ τοῦ αἰθέρος σπινθήρων δίκην καταφέρεσθαι.

Tantum Placitorum refert similitudinem. cetera aut abhorrentia aut pervulgata praetermitto. Varronis igitur uno loco auctoritas certius aliquanto per compilatorum nebulas pellucere videtur. ergo nisi Placitorum similitudo in Censorini excerptis manifesto perspecta esset, illa equidem in auxilium vocare non ausim. nunc vero probatae causae testes minoris fidei accedere haud gravaberis.

Varro loghistoricos suos circa iniens octavum a. u. c. saeclum conscripsisse videtur. sequor enim Ritschelii rationem [opusc. III 414 Krische Goett. gel. Stud. II 1845 p. 172: nihil contra facit Gruppe Herm. XI 239]. '*de Tuberone,* inquit, *controversia esse nequit quin is sit L. Aelius Tubero quem novimus M. Ciceronis et condiscipulum et contubernalem et affinem et familiarem, Q. Ciceronis in Asia a. 693 legatum hominem cum ingenio tum doctrina excellentem, ut est pro Ligario c. 4 cui etiam Aenesidemus* λόγους Πυρρωνείους *suos inscripsit teste Photio bibl. c. 212.* ergo ut tandem longae sed necessariae disputationis calculos subducamus, ante octavum saeculum uberrimus Placitorum liber exstitit Stoicos Epicureosque multoque uberius priores et physicos et medicos complexus et profectus aut a Stoico aut eclectico illorum verbis uso. nam recentia insunt multa et antiqua recenter tractata. eo ad Tuberonem certe usus est Varro eodemque Aëtius. ergo cum Posidonii et Asclepiadis temporibus Aëtii fons circumscriptus sit, qui idem fuit Varronis, vetustorum Placitorum origines ab exeunte a. u. c. saeculo septimo repetendas esse consequitur. Asclepiades in Censorini excerptis de natura hominis forte non citatur, sed de musices vi c. 12 ex eodem opinor Tuberone, ad quem mox dabitur reditus. ceterum ne opus quidem est subtiliore annorum computatione. constat Varrone et Asclepiadem et Posidonium una aetate superiores esse [cf. p. 185[3]] neque minus constat novissimo cuique libro inhiasse polyhistoris curiositatem, ut hinc quidem nihil oboriri queat difficultatis. sed age cetera videamus num nostris calculis conveniant.

Saeculi sui morem egregie perspexit Varro, cum sic aequales philosophos incusavit [sentent. Varr. p. 266, 28 Riese]: *eo hodie philosophia perducitur ut praeclare nobiscum agatur si in his aetatem consumimus exponendis quibus antiqui suae portionem commodabant contexendis. apum mella comedimus, non ipsi facimus!* ac ne forte putes intra solos Varrones Cicerones Arios Aëtios illud studium contineri, unum quem illo saeculo novae sectae credunt conditorem Aenesidemum ipsum quoque priorum scrinia compilasse et contaminasse potius quam nova peperisse demonstrabo. sed ea tantum attingam, quae cum Placitis necessario sunt vinculo coniuncta.

Notissimus est Platonis in Phaedone locus p. 96 B ubi Empedoclis Anaximenis vel Diogenis Heracliti Alcmaeonis [cf. Hirzel Herm. XI 241] de anima decreta comprehendit. καὶ πότερον τὸ αἷμά ἐστιν ᾧ φρονοῦμεν ἢ ὁ ἀὴρ ἢ τὸ πῦρ ἢ τούτων μὲν οὐδέν, ὁ δὲ ἐγκέφαλός ἐστιν ὁ τὰς αἰσθήσεις παρέχων τοῦ ἀκούειν καὶ ὁρᾶν καὶ ὀσφραίνεσθαι, ἐκ τούτων δὲ γίγνοιτο μνήμη καὶ δόξα, ἐκ δὲ μνήμης καὶ δόξης λαβούσης τὸ ἠρεμεῖν κατὰ ταῦτα γίγνεσθαι ἐπιστήμην. tum Aristoteles ampliorem veterum conspectum de anima I 2 proposuit. sed ab utraque ratione posteriorum curiositas multum distat. audi Ciceronem in Tusculanis I 9

18 *Sunt enim qui discessum animi a corpore putent esse mortem.*

sunt qui nullum censeant fieri discessum sed una animum et corpus occidere animumque in corpore extingui. qui discedere animum censent, alii statim dissipari alii diu permanere alii semper. [cf. Comm. Bernens. supra p. 198.]

quid sit porro ipse animus aut ubi aut unde, magna dissensio est.

aliis cor ipsum animus videtur . . .

19 *Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem.*

aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere.

aliis nec cor ipsum placet nec cerebri quandam partem esse animum sed

alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum.

Animum autem alii animam ut fere nostri. declarat nomen. nam et agere animam et efflare dicimus; ipse autem animus ab anima dictus est.

Zenoni Stoico animus ignis videtur.

X. *sed haec quidem quae dixi cor cerebrum animam ignem vulgo. reliqua fere singuli, ut multo ante veteres, proxime autem Aristoxenus musicus idemque philosophus ipsius corporis intentionem quandam velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur. sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri tamquam in cantu sonos. 20. hic ab artificio suo non recessit et tamen dixit aliquid quod ipsum quale esset erat multo ante et dictum et explanatum a Platone.*

Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse verum: numerum dixit esse cuius vis ut iam ante Pythagorae visum erat in natura maxuma esset.

eius doctor Plato triplicem finxit animum cuius principatum id est

rationem in capite sicut in arce posuit et duas partes ei parere voluit iram et cupiditatem quas locis suis iram in pectore cupiditatem subter praecordia locavit.

21 ***Dicaearchus** autem in eo sermone* . . . [a Cicerone e sua lectione inserta]

***Aristoteles** longe omnibus — Platonem semper excipio — praestans et ingenio et diligentia cum quattuor nota illa genera principiorum esset complexus e quibus omnia orerentur quintam quandam naturam censet esse e qua sit mens. cogitare enim et providere et discere et docere et invenire aliquid et tam multa alia meminisse amare odisse cupere timere angi laetari haec et similia eorum in horum quattuor generum inesse nullo putat: quintum genus adhibet vacans nomine et sic ipsum animum* ἐνδελέχειαν *appellat novo nomine quasi quandam continuatam motionem et perennem.*

XI. nisi quae me forte fugiunt haec sunt fere de animo sententiae. ***Democritum** enim magnum illum quidem virum sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito omittamus. nihil est enim apud istos quod non atomorum turba conficiat.*

Eximiam hanc opinionum tabulam non ipse composuit Cicero. nam in istius libros cum maxime Varronis querelae cadunt. itaque praeter Dicaearchum *delicias suas* reliqua in alieno agro invenit, praesertim ea quae nominibus omissis velut furtim strinxit.[1] etenim opinionum minutarum ieiunitate lecturos ne obtunderet verebatur. de ipsis opinionibus poteram uti soleo ceterorum similitudines adnotare, quod ab interpretibus non satis accurate factum video. sed omitto quia eandem apud posteriores materiam satis superque repetiturus sum, unde quid de Ciceroniano loco iudicandum sit etiam clarius perspicietur. proficiscor a Tertulliani[2] de anima libro selectae eruditionis plenissimo.

c. 15 . . . . *ut neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum **Heraclitum***	Plac. IV 3 12 Ἡράκλειτος τὴν μὲν τοῦ κόσμου ψυχήν · . . τὴν δὲ ἐν τοῖς ζῴοις ἀπὸ τῆς ἐκτὸς καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀναθυμιάσεως ὁμογενῆ
*neque per totum corpus ventilari secundum **Moschionem***	
*neque in capite concludi secundum **Platonem***	IV 5 1 Πλάτων Δημόκριτος ἐν ὅλῃ τῇ κεφαλῇ [Plutarch.]
*neque in vertice potius praesidere secundum **Xenocratem***	
*neque in cerebro cubare secundum **Hippocratem***	IV 5 1 Ἱπποκράτης . . . ἐν ἐγκεφάλῳ τοῦτο ἱδρῦσθαι [Theodoret.]
*sed nec circa cerebri fundamentum ut **Herophilus***	IV 5 4 Ἡρόφιλος ἐν τῇ τοῦ ἐγκεφάλου κοιλίᾳ ἥτις ἐστὶ καὶ βάσις

[1] cf. Sext. adv. mathem. VII 313. vide infra p. 209.

[2] cf. Tert. de resurr. carn. 15. *sed etsi in cerebro vel in medio superciliorum discrimine vel ubiubi philosophis placet principalitas sensuum consecrata est quod* ἡγεμονικόν *appellatur, caro erit omne animae cogitatorium.*

nec in membranulis ut [Strato et] Erasistratus	IV 5 3 Ἐρασίστρατος περὶ τὴν μήνιγγα τοῦ ἐγκεφάλου ἣν ἐπικρανίδα λέγει
nec in superciliorum meditullio ut Strato physicus	IV 5 2 Στράτων ἐν μεσοφρύῳ
nec in tota lorica pectoris ut Epicurus	IV 5 5 . . . Ἐπίκουρος ἐν ὅλῳ τῷ θώρακι
sed quod et Aegyptii renuntiaverunt et qui divinarum commentatores renuntiaverunt [?] *ut et ille versus Orphei vel Empedoclis 'namque homini sanguis circumcordialis est sensus'.*	IV 5 8 Ἐμπεδοκλῆς ἐν τῇ τοῦ αἵματος συστάσει
etiam Protagoras (!) *etiam Apollodorus et Chrysippus haec sapiunt ut vel ab istis retusus Asclepiades capras suas quaerat sine corde balantes* [de Asclepiade cf. c. 15 in.]	IV 5 10 Πυθαγόρας τὸ μὲν ζωτικὸν περὶ τὴν καρδίαν IV 5 6 οἱ Στωικοὶ πάντες ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ

Graeca quae contuli tam speciose conveniunt ut primo quisque obtutu quam arte cohaereant perspiciat. nec tamen recte quispiam Tertullianum Aëtio usum suspicabitur. cuius copiae cum non solum ex Plutarcho sed etiam ex Theodoreto cognitae sint, mirum esset, si Moschion Xenocrates Aegyptii Apollodorus et Chrysippus aut omissi apud illos aut generaliore lemmate comprehensi essent. adde quod Heracliti opinio distat et Empedoclis integer versus citatur idem quem Cicero l. c. significat αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα [329 St.], qui in Aëtio breviter tangitur. Protagoras sane ex ista serie expellendus est. Praxagoras Pamelio videbatur, nos paulo probabilius Pythagoram ex Aëtio reducemus. sed fuit latini scriptoris fons etiam uberior. eiusdem capitis initio postquam Dicaearchi philosophi, Andreae et Asclepiadis medicorum principale tollentium opiniones reiectae sunt, fere eosdem philosophos, quos exhibui, brevi indiculo complexus praemittit: *sed plures philosophi adversus Dicaearchum: Plato Strato Epicurus Democritus Empedocles Socrates* [l. *Xenocrates*] *Aristoteles et medici adversus Andrean et Asclepiadem: Herophilus Erasistratus Diocles Hippocrates et ipse Soranus.* nova lemmata exsurgunt haec *Democritus* [Plac. IV 5 1] *Aristoteles Diocles*[1] atque *Soranus*, qui mox in certamen vocabitur, simulac c. 43. 54. 14 contulero cum Placitis.

[1] apud Theodoretum legitur Placit. IV 5 6—8 Ἐμπεδοκλῆς δὲ καὶ Ἀριστοκλῆς καὶ τῶν Στωικῶν ἡ ξυμμορία τὴν καρδίαν κτέ. Aristocles nullus est in Placitis. restituunt vulgo probabiliter Ἀριστοτέλης. nonne Tertulliano uti licet ad rescribendum Ἀριστο⟨τέλης Διο⟩κλῆς? fuit cum etiam in Plutarcho IV 5 7 Διογένης ex Διοκλῆς corruptum putarem [cf. Rose A. Ps. p. 379, 6 a. i.]. certe nulla est controversia quin Stoicam manum passa sit si

Tertull. c. 43.	Plac. V 24 4
Stoici somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant.	Πλάτων οἱ Στωικοὶ τὸν μὲν ὕπνον γίνεσθαι ἀνέσει τοῦ αἰσθητικοῦ πνεύματος
Epicurei deminutionem spiritus animalis.	
Anaxagoras cum Xenophane defetiscentiam.	V 25 2 Ἀναξαγόρας κατὰ κόπον τῆς σωματικῆς ἐνεργείας γίνεσθαι
Empedocles et Parmenides refrigerationem.	V 25 4 Ἐμπεδοκλῆς . . . ὕπνον δὲ γίνεσθαι διαχωρισμὸν τοῦ πυρώδους
Strato segregationem consati spiritus	
Democritus indigentiam spiritus	
Aristoteles marcorem circumcordialis caloris	V 25 1 Ἀριστοτέλης . . . ἢ τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ καταψυχθὲν θερμόν
c. 54.	
. . . *omnes ferme philosophi; qui immortalitatem animae qualiter qualiter volunt, tamen vindicant ut Pythagoras ut Empedocles ut Plato*	IV 7 1 καὶ Πυθαγόρας . . . καὶ Πλάτων καὶ Ἐμπεδοκλῆς . . . ἄφθαρτον εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπεφήνατο.
quique aliquod illi tempus indulgent ab excessu usque in conflagrationem universitatis ut Stoici suas solas id est sapientum animas in supernis mansionibus collocant.	IV 7 3 [cf. Theod.] οἱ δὲ Στωικοὶ τὰς χωριζομένας τῶν σωμάτων ψυχὰς διαρχεῖν μὲν καὶ καθ' ἑαυτὰς ζῆν . . . τὴν δὲ ἰσχυροτέραν οἵα ἐστὶ περὶ τοὺς σοφοὺς καὶ μέχρι τῆς τοῦ παντὸς ἐκπυρώσεως.
c. 14 *dividitur autem in partes nunc in duas a Platone*	IV 4 2 Πυθαγόρας Πλάτων ... διμερῆ τὴν ψυχήν.
nunc in tres a Zenone	
nunc in quinque ⟨ab Aristotele⟩ [1]	IV 4 3 [cf. Theodoret.] ὁ δὲ Ἀριστοτέλης πέντε εἶναι ταύτης ἔφησεν ἐνεργείας τὴν ὀρεκτικὴν τὴν θρεπτικὴν τὴν αἰσθητικὴν τὴν μεταβατικὴν τὴν διανοητικήν.
et in sex a Panaetio	
in septem a Sorano	
etiam in octo penes Chrysippum	IV 4 οἱ Στωικοὶ ἐξ ὀκτὼ μερῶν φασι συνεστάναι.
etiam in novem penes Apollophanem	
sed etiam in decem apud quos-	

genuina est Diogenis opinio. cf. Panzerbieteri fr. p. 87. Philippsonis ὕλη p. 202[2] Zeller I[4] 263[2].

[1] addidi *ab Aristotele* ‖ in versu extr. est *decem apud* in ed. princ., *duodecim apud* in cod. Agobard. et Oehleriana ‖ p. 206, 5 *in duodecim* vulgo, codd. et Oehler *XVII* ‖ p. 206, 6 *ita aliae* cod. A. reliqui *in alias*.

dam Stoicorum et in duas amplius apud Posidonium qui a duobus exorsus titulis principali quod aiunt ἡγεμονικὸν et rationali quod aiunt λογικὸν in duodecim exinde prosecuit, ita aliae ex aliis species dividunt animam.

quantopere c. 43 et 54 Aëtio gemella sint, non est quod fusius doceam. novissimum tamen caput ut est Placitis multo uberius ita difficultatibus quoque non nullis obstructum. nam Posidonii tam mira videtur sententia, ut Zellerus prorsus desperaverit.[1] forsitan audaciae videatur dissuadente illo periculum facere. sed faciam tamen. duodecim partes bifariam scinduntur, ergo senae utrique titulo tribuuntur. atqui sex partes proposuerat Panaetius octo vulgatis τὸ φωνητικὸν et τὸ σπερματικὸν detrahens. eandem rationem secutus erat Mnesarchus Panaetii successor. Galen. h. phil. c. 24 p. 257 K. Μνήσαρχος δὲ τὴν Στωικῶν ὑπόληψιν ἐπικρίνων τὸ φωνητικὸν καὶ τὸ σπερματικὸν περιεῖλεν οἰηθεὶς τῆς αἰσθητικῆς δυνάμεως ταῦτα ⟨μὴ⟩ μετέχειν. μέρη δὲ τῆς ψυχῆς ᾠήθη μόνον τὸ λογικὸν καὶ τὸ αἰσθητικόν. i. e. quinque sensus et principale. iamne apparet quomodo in ridiculum sit errorem ductus Tertullianus? nempe Posidonius sex Panaetii partes amplexus generaliter addidit τὸ αἰσθητικὸν καὶ τὸ λογικὸν ἢ ἡγεμονικόν quos titulos cum senis illis singulos inesse crederet ad ingentem numerum pervenit. hinc altera pullulavit illius stribligo quasi ullo modo λογικόν et ἡγεμονικόν distaret. eadem simplicitate ad denarium Stoicorum numerum diluendum venitur. idem Galenus manum commodat p. 256. Στωικοὶ δὲ τέσσαρα μέρη τῆς ψυχῆς εἶναί φασι λογικὸν αἰσθητικὸν φωνητικὸν σπερματικόν [cf. Nemes. 15 p. 96]. quibus cum eodem errore Panaetii sex adderet, sane decem effecit.

Sed sit Tertullianus in his argutiis inscitius versatus, tamen praeclaro usus est libro. cuius auctor inter vetustos philosophos iniuria occultus iamiam prodeat res suas repetiturus. nam eo est compilator animi candore, ut ne tantillum quidem dubitationis quem sequeretur reliquerit. Soranus Ephesius Stoicorum, ut videtur, opinionem tradens et hic et supra ita monstratur, ut apertius non possit.[2] tamen rara eius

[1] III 1, 517[2] *inwieweit dieser annahme neben dem missverständlichen, was sie zu enthalten scheint, richtiges zu grunde liegt, getraue ich mir nicht zu entscheiden.*

[2] c. 15 extremus *et ipse Soranus.* similiter c. 25 post optimas medicorum memorias: *hoc* [de instrumentis velut *anulocultro, hebeti unco,* ἐμβρυοσφάκτῃ loquitur] *et Hippocrates habuit et Asclepiades et Erasistratus et maiorum* [l. vivorum] *quoque prosector Herophilus* et *mitior ipse Soranus.* ergo istinc manavit c. 10 *Herophilus ille medicus aut lanius, qui sexcentos exsecuit ut naturam scrutaretur qui hominem odit* [l. occidit] *ut nosset, nescio an omnia interna eius liquido exploravit ipsa morte mutante quae vixerant* [?] *et morte non simplici sed ipsa inter artificia exsectionis errante. philosophi* etc. Soranum medicorum historiae operam navasse ex scholiis Oribasii III 687 Daremb. discimus, ubi illum ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς citant.

religiositas hic non substitit. c. 6 *de insignioribus argumentationibus*, inquit, *erit etiam illa quod omne corpus corporalibus ali iudicent animam vero ut incorporalem incorporalibus sapientiae scilicet studiis. sed nec hic gradus stabit etiam Sorano methodicae medicinae instructissimo auctore respondente animam corporalibus quoque ali . . . ita etiam ipse Soranus plenissime super anima commentatus quatuor voluminibus et cum omnibus philosophorum sententiis expertus corporalem animae substantiam vindicat etsi illam immortalitate fraudavit.*

Soranus igitur clarus methodicus idemque eruditus philologus Traiano suppar pretiosum illum opinionum thesaurum collegit, cuius heres est factus Tertullianus. hinc non modo quae nominatim afferuntur c. 8. 13. 25, sed quotquot de medicis et philosophis paulo melioris notae inveniuntur, accurate pro captu Tertulliani describuntur. dices 'credo medicos, sed philosophos unde a Sorano quam a Tertulliano ex Aëtio fortasse transvectos arbitrari mavis?' possum de fideli concordia monere, qua sine commissura medici et philosophi miscentur [1], possum Tertullianum testari qui eum *cum omnibus philosophorum sententiis expertum* dicit, sed tu rei gravissimae magna desideras et invicta argumenta. quid? si idem tibi caput περὶ ἡγεμονικοῦ, unde profectus sum, ex eiusdem Sorani libro περὶ ἐτυμολογιῶν τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου apponam, victusne dabis manus? en Pollucis excerptum cum Placitis iterum conlatum.

Polluc. onom. II 226.	Aët. Plac. IV 5.
καὶ ἔστιν ἡ ψυχὴ πνεῦμα ἢ πῦρ ἢ αἷμα ἢ ὅτι ἂν δοκῇ τοῖς σοφοῖς . . .	IV 5 1 Ἱπποκράτης μὲν γὰρ καὶ Δημόκριτος καὶ Πλάτων ἐν ἐγκεφάλῳ τοῦτο ἱδρῦσθαί εἰρήκασιν.
καὶ ὁ μὲν νοῦς καὶ λογισμὸς καὶ ἡγεμονικόν, εἴτε περὶ ἐγκεφάλῳ [2] κατὰ Πυθαγόραν καὶ Πλάτωνα ἱδρυμένος.	IV 5 10 Πυθαγόρας . . . τὸ δὲ λογικὸν καὶ νοερὸν περὶ τὴν κεφαλήν.
εἴτ᾽ ἐν παρεγκεφαλίδι ἢ μήνιγξιν ὡς πολλοῖς τῶν ἰατρῶν δοκεῖ.	IV 5 3 Ἐρασίστρατος περὶ τὴν μήνιγγα τοῦ ἐγκεφάλου ἣν καὶ ἐπικρανίδα λέγει.
εἴτε κατὰ τὸ μεσόφρυον ὡς ἔλεγε Στράτων.	IV 5 2 Στράτων ἐν μεσοφρύῳ.
εἴτε περὶ τὸ αἷμα ὡς Ἐμπεδοκλῆς τε καὶ Ἀριστοτέλης.	IV 5 8 Ἐμπεδοκλῆς ἐν τῇ τοῦ αἵματος συστάσει. cf. Theodoret.
εἴτε περὶ τὴν καρδίαν ὡς ἡ Στοά.	IV 5 6 οἱ Στωικοὶ πάντες ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ.

Similitudo quanta sit vides. sed rationem debeo, cur Soranei libri vestigia certissime adgnoscere mihi videar. iam in E. Rohdei de Iulii

[1] velut Moschio c. 15. is fuit methodicus ante Plinium, Sorano utique notus etsi de libello περὶ τῶν γυναικείων παθῶν Moschionis qui ex latino versus Soranique eiusdem tituli libello est simillimus, nondum satis constat. sed citat Soranus Moschionem διὰ τοῦ κοσμητικοῦ apud Galen. XII 416.

[2] supra p. 203 erat *in capite*. sed haec est perpetua confusio velut Plutarchus quoque l. c. ἐν τῇ κεφαλῇ cf. IV 5 10.

Pollucis fontibus quaestionum corollario recte observatum est p. 85 pauca in onomastici altero libro e Sorani etymologiis decerpta esse. sed haec ille aliud agens lento bracchio quaesivit, quae denuo erunt auctioribus subsidiis pertractanda. neque enim ad manum tunc erant Milleri e codice Florentino Etymologici supplementa, unde Sorano quoque non nihil affluxit nec Meletii monachi de natura hominis synopsin novit, quo praeter Nemesium et Basilium Sorani integer paene libellus male dilaceratus intextus est [cf. de Galeni histor. phil. sent. contr. V]. hinc igitur adscitis Orionis etymologi conspicuis fragmentis [cf. Kleist de Philoxeni stud. etymol. Gryph. 1865 p. 16 sq.] Sorani etymologias ut ineptas plerumque more veterum ita optimae eruditionis refertissimas [1] facile restituere licebit. quo facto fore ut de Polluce quoque certius iudicari possit scio. sed hoc alias. constat et ab Rohdeo intellectum est praeter Aristotelis de historia animalium libros et praecipue Rufi περὶ ὀνομασίας τοῦ ἀνθρώπου [2] vix quidquam alienae originis arcessitum esse nisi Soranea. ergo illo loco cum de Sorano ex Tertulliano c. 15 constet et Rufi ratio abhorreat, certo certius Pollucis fontem exploratum habemus. mos est Sorano conlectam eruditionem ubivis venditare. unde quae in etymologiis proposita erat μήτρας vocis originatio iterum apparet in arte obstetricia [ed. Diez p. 5 cf. περὶ μήτρας Rohde p. 86]. sed est Pollucis ecloga paulo contractior non solum in verbis sed etiam si Tertullianum conferas in opinionibus. unum tamen ex fuga licet revocare. nam quod Pollux II 46 de cerebello (παρεγκεφαλίς) dicit καλεῖται δὲ καὶ ἐπικρανίς non dubito ex Sorani de Erasistrato loco quin petitum sit. [3] licet hinc Aëtii incredibilem errorem castigare et Sorano duce emendare. consentiunt Plutarchus et Theodoretus Erasistratum animi sedem collocasse περὶ τὴν μήνιγγα τοῦ ἐγκεφάλου ἣν καὶ ἐπικρανίδα λέγει [Theodoretus: περὶ τὴν τοῦ ἐγκεφάλου μήνιγγα κτλ.]. si quis num medicus fuerit Aëtius haesitet, hoc uno loco omnem dubitationem profligo. Quid? medicum tam rudem fuisse credis, ut *piam matrem* cum cerebello confunderet? cerebrum enim duabus membranis (μήνιγξιν) contineri constat, quarum alteram circum os validiorem (duram matrem vocant) alteram circum cerebrum infirmiorem esse docent (piam matrem vel μήνιγγα κατ' ἐξοχήν), cf. Rufus p. 40 Turn. antiqui velut Hippocrates περὶ σαρκῶν [4] et Empedocles v. 322 St. etiam

[1] Soranus a Tzetza exeges. in Il. p. 126 H. laudatur in eis qui τῆς Ὁμηρικῆς ἐτυμολογίας ἐπεμελήθησαν.

[2] Rufum post Hauptium Herm. III 224 Rohdeus recte monstravit. Rufi epitomis, unde integrum opus aliquando restituendum erit, praeter editas duas et Pollucis excerpta [Rohde p. 87] etiam ὀνοματοποιία τῆς τοῦ ἀνθρώπου θέσεως addenda est, quam ex codice Palatino Vatic. 302 s. XVI chart. f. 84r descriptam habeo. alterum exemplum Colonn. n. 12, cuius meminit Daremberg not. et extr. I p. 125, Romae, invenire non contigit.

[3] immo certum est, cum Meletius p. 54, 18 Cr. habeat καὶ ἡ παρεγκεφαλὶς ἣν καὶ ἐπικρανίδα [codd. παραχρανίδα, C παρεγκρανίδα] καλοῦσιν.

[4] sed propria vel illi distinctio constat. de loc. hom. 2 [VI p. 280 L.] μήνιγγες δὲ δύο εἰσὶ τοῦ ἐγκεφάλου ἡ μὲν ἐπάνω παχυτέρη, ἡ δὲ λεπτὴ τοῦ ἐγκεφάλου ἁπτομένη.

de aliarum cavernarum tunicis μήνιγγος voce utebantur. sed nemo hercle unquam ipsum cerebrum vel cerebellum membranam vocavit. neque si quis praevaricatus Aëtiana torqueat ut ἣν ad proximum ἐπικρανίδα referat et ἐγκεφάλου id esse interpretamentum explicet, quidquam lucrabitur. constat enim ἐπικρανίδα unum sonare cerebellum [cf. Galen. II 728, 12]. erroris causam hanc suspicor pristini exemplaris formulam dedisse: περὶ τὴν τοῦ ἐγκεφάλου μήνιγγα ἢ παρεγκεφαλίδα ἣν καὶ ἐπικρανίδα καλοῦσιν. sic homo umbratilis labi poterat. sed lapsus est etiam Pollux sive librarius. nam vulgatur εἴτε παρ' ἐγκεφαλίδι. vocem nihili ἐγκεφαλίδος, quam tulit Bekkerus, leniter coniunctis vocabulis παρεγκεφαλίδι emendavit L. Dindorfius in Thesauro: ipse praepositionem necessariam addidi. Soranus autem fuit qui suopte marte μήνιγγας pro singulari numero poneret. nam Tertullianus quoque *in membranulis* vertit.

Singulari fortuna contingit, ut etiam ultra Soranum quaestionem promovere liceat. nam cum Tulliana [cf. p. 202] consimilia sint, antiquum fontem velut odoramur. quem monstrat Sextus adv. mathem. VII 313 ἐπεί περ εἰ ἑαυτὸν καταλαμβάνει ὁ νοῦς καὶ τὸν τόπον ἐν ᾧ ἐστι συγκαταλήψεται. πᾶν γὰρ τὸ καταλαμβάνον σύν τινι τόπῳ καταλαμβάνεται. εἰ δὲ καὶ τὸν τόπον ὁ νοῦς τὸν ἐν ᾧ ἔστι συγκαταλαμβάνει ἑαυτῷ ἐχρῆν μὴ διαφωνεῖσθαι τοῦτον παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, τῶν μὲν κεφαλὴν λεγόντων εἶναι τῶν δὲ θώρακα καὶ ἐπ' εἴδους τῶν μὲν ἐγκέφαλον τῶν δὲ μήνιγγα τινῶν δὲ καρδίαν ἄλλων δὲ ἥπατος πύλας ἤ τι τοιοῦτο μέρος τοῦ σώματος. διαφωνοῦσι δέ γε περὶ τούτου οἱ δογματικοὶ τῶν φιλοσόφων. οὐκ ἄρα καταλαμβάνει ἑαυτὸν ὁ νοῦς. quod dicit ἥπατος πύλας ad Platon. Tim. p. 71 spectare videtur. sed novit ut Placita μήνιγγα singularem. scepticum quendam opinionum dissensionem cavillantem per transennam videas. nomen paulo infra apparet

VII 349 οἱ μὲν μηδέν φασιν εἶναι αὐτὴν [sc. διάνοιαν] παρὰ τὸ πῶς ἔχον σῶμα καθάπερ ὁ Δικαίαρχος οἱ δὲ εἶναι μὲν ἔλεγον οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ δὲ τόπῳ περιέχεσθαι, ἀλλ' οἱ μὲν ἐκτὸς τοῦ σώματος ὡς Αἰνησίδημος κατὰ Ἡράκλειτον, οἱ δὲ ἐν ὅλῳ τῷ σώματι καθάπερ τινὲς κατὰ Δημόκριτον οἱ δὲ ἐν μέρει τοῦ σώματος ὧν πάλιν πολυσχιδεῖς εἰσιν αἱ γνῶμαι καὶ οἱ μὲν διαφέρειν αὐτὴν τῶν αἰσθήσεων ὡς οἱ πλείους οἱ δὲ αὐτὴν εἶναι τὰς αἰσθήσεις καθάπερ διά τινων ὀπῶν τῶν αἰσθητηρίων προκύπτουσαν ἧς στάσεως ἦρξε Στράτων τε ὁ φυσικὸς καὶ Αἰνησίδημος.	Tertull. c. 15 [cf. p. 203] *ut neque extrinsecus agitari putes principale istud secundum Heraclitum.* idem c. 14 *non longe hoc exemplum est a Stratone et Aenesidemo et Heraclito. nam et ipsi unitatem animae tuentur quae in totum corpus diffusa et ubique ipsa velut flatus in calamo per cavernas ita per sensualia variis modis emicet non tam concisa quam dispensata.*

quae hic Aenesidemo ipsi tribuuntur opiniones, dubitari nequit quin ab illo explicatae tantum et diiudicatae fuerint. de Heraclito certe constat, quia utramque opinionem animam et extrinsecus agitari sive vagari et

per sensualia prorumpere in Sexti loco VII 129 comprehensam videmus. τοῦτον δὴ τὸν θεῖον λόγον καθ' Ἡράκλειτον δι' ἀναπνοῆς σπάσαντες νοεροὶ γινόμεθα καὶ ἐν μὲν ὕπνοις ληθαῖοι κατὰ δὲ ἔγερσιν πάλιν ἔμφρονες. ἐν γὰρ τοῖς ὕπνοις μυσάντων τῶν αἰσθητικῶν πόρων χωρίζεται τῆς πρὸς τὸ περιέχον συμφυΐας ὁ ἐν ἡμῖν νοῦς μόνης τῆς κατὰ ἀναπνοὴν προσφύσεως σῳζομένης οἱονεί τινος ῥίζης, χωρισθείς τε ἀποβάλλει ἣν πρότερον εἶχε μνημονικὴν δύναμιν. ἐν δὲ ἐγρηγορόσι πάλιν διὰ τῶν αἰσθητικῶν πόρων ὥσπερ διά τινων θυρίδων προκύψας [1] καὶ τῷ περιέχοντι συμβαλὼν λογικὴν ἐνδύεται δύναμιν. ὅνπερ οὖν τρόπον οἱ ἄνθρακες πλησιάσαντες τῷ πυρὶ κατ' ἀλλοίωσιν διάπυροι γίνονται χωρισθέντες δὲ σβέννυνται, οὕτω καὶ ἡ ἐπιξενωθεῖσα τοῖς ἡμετέροις σώμασιν ἀπὸ τοῦ περιέχοντος μοῖρα κατὰ μὲν τὸν χωρισμὸν ἄλογος γίνεται κατὰ δὲ τὴν διὰ τῶν πλείστων πόρων σύμφυσιν ὁμοιοειδὴς τῷ ὅλῳ καθίσταται. [2] Aenesidemo haec deberi eo maxime intellegitur, quod τὸ περιέχον (ab Heraclito eadem obscuritate qua ab Anaxagora fr. 2 dictum) quasi τὸν περιέχοντα [sc. ἀέρα] vulgari consuetudine dixisset, explicavit. nam aera in istius commentario intellegendum esse patet. idem autem Aenesidemus affertur testis Tertull. c. 9 *non ut aer sit ipsa substantia eius* [animae] *etsi hoc Aenesidemo visum est et Anaximeni puto secundum quosdam et Heraclito.* hinc cum Stoicae doctrinae quae animam ἀπόσπασμα τῆς τοῦ παντὸς ψυχῆς volebat meminisset, ad singularem hanc sententiam pervenit cf. Sext. phys. II 233 τό τε ὂν κατὰ τὸν Ἡράκλειτον ἀήρ ἐστιν ὥς φησιν ὁ Αἰνησίδημος. simul id elementum proposuit, unde facillime extenuando et densendo perpetuam vicissitudinem Heraclito affingeret, quam scepticus homo in illo maxime suspiciebat. nam coniuncta est his contrariorum concordia discors, quam Pyrrhoniis viam muniisse Aenesidemus perseveravit. Sext. P. H. I 210.

Si verum est quod coniecimus Aenesidemi esse Sextiana VII 129 et his vicina, intellegemus, qua ratione Sextus et Soranus ipsi Aenesidemo eas sententias tribuere possint, a quibus fuerit ut qui maxime remotus. nam sicut eclectici eius saeculi dogmaticorum omnium miram concordiam contendebant, ita Aenesidemus dubitationis semina per philosophorum continuationem indagavit et collecta proposuit. qua in re cum illos magis quam se loquentes faceret [cf. supra καθ' Ἡράκλειτον ... γινόμεθα], errores infinitos apud posteriores procreavit, qui explanatorem opinionum eundem patronum credebant. hinc factum ut quem veteres resuscitasse Pyrrhonis sectam dicebant, eundem inconstantia absurda modo scepticum modo dogmaticum praesertim Heracliteum viri docti arbitrarentur. quo in genere nemo argutius versatus est quam Leander Haasius de philosophorum

---

[1] cf. Philon. fragm. p. 615 Mang. ἐκ τοῦ περὶ κοσμοποιίας. αἱ αἰσθήσεις θυρίσιν ἐοίκασι. διὰ γὰρ τούτων ὡσανεὶ θυρίδων ἐπεισέρχεται τῷ νῷ ἡ κατάληψις τῶν αἰσθητῶν, καὶ πάλιν ὁ νοῦς ἐκκύπτει διὰ αὐτῶν. μέρος δέ ἐστι τῶν θυρίδων, λέγω δὴ τῶν αἰσθήσεων, ἡ ὅρασις.

[2] Plac. IV 3 12 τὴν δ' ἐν τοῖς ζῴοις [ψυχὴν] ἀπὸ τῆς ἐκτὸς καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀναθυμιάσεως ὁμογενῆ.

scepticorum succession. Wirciburg. 1875 p. 44 sq. miror unum quod ille quasi principium statuit *certum veri falsique adgnovisse eum iudicium.* quod sane tradit Sextus VIII 8 οἱ δὲ περὶ τὸν Αἰνησίδημον καθ' Ἡράκλειτον καὶ τὸν Ἐπίκουρον ἐπὶ τὰ αἰσθητὰ κοινῶς κατενεχθέντες ἐν εἴδει διέστησαν. οἱ μὲν γὰρ περὶ τὸν Αἰνησίδημον λέγουσί τινα τῶν φαινομένων διαφορὰν καί φασι τούτων τὰ μὲν κοινῶς πᾶσι φαίνεσθαι, τὰ δὲ ἰδίως τινί, ὧν ἀληθῆ μὲν εἶναι τὰ κοινῶς πᾶσι φαινόμενα, ψευδῆ δὲ τὰ μὴ τοιαῦτα. quam facile erat paucis paginis ante VII 131 Aenesidemi verba sed de Heraclito ea dicta inspicere τὸ μὲν κοινῇ πᾶσι φαινόμενον τοῦτ' εἶναι πιστόν ... τὸ δέ τινι μόνῳ προσπῖπτον ἄπιστον ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν. nimirum Aenesidemus qui antiquioribus scepticis ab Haasio recte adnumeratur, de sensuum fide maxime dubitabat. quare priorum de hac re opiniones diligenter et copiose collegit. at iunioribus sensuum fide acquiescentibus omnem investigandi laborem ut inanem et animos perturbantem reicere placuit, unde Aenesidemi scientiam atque disquisitionem, qua priorum pericula explicaverat, riserunt P. Hyp. I 210 sq. at mehercules plane aliter in eum invecturi erant, si ille quod vulgo credunt relicto scepticae sectae patrocinio dogmaticorum more de aere et consensu communi ceterisque, quae Sextus fabulatur, affirmavisset. Aenesidemum qui vere intellegere voluerit, a Photii Pyrrhoniorum librorum excerpto c. 212 proficisci debet, Sexto nisi cautissime non utetur, quippe qui doctrinam multifariam propagatam sine iudicio tradat.[1] sed de Sexti fide infra c. XVIII. Aenesidemus igitur, ut ad propositum redeam, dubitandi causam ex ipsa philosophorum pugna petivit velut Clitomachus in Ciceronis Lucullo quem vituperat propterea Sextus adv. math. IX 1 p. 391, 25 B. neque uberior erat discordiae locus quam de anima philosophorum opiniones, quas haud dubie saeculi more ex exemplari quodam transcripsit. ergo cum Aëtii summa similitudo per tot tamque diversos compilatores servata sit, non me contineo quin etiam Aenesidemum Placitorum vetustorum doctrina adiutum dicam. neque metuo ne alia probabilior ratio inveniatur, modo Soranum Sceptici maxime vestigia secutum esse concedas. vide modo quam accurata sit temporum concordia. vix enim dubium est quod Haasius l. c. p. 15 contra Zellerum recte evicisse videtur, quin ad eundem L. Tuberonem Ciceronis familiarem Pyrrhonios suos libros miserit Aenesidemus, cuius nomine Varro loghistoricum quem dixi ornatum volebat.[2] eadem condicio Tulliani catalogi, quem ex Tusculanis excerpsi, ut etiam huic ex commodissimo illo thesauro aliquantum redundasse existimemus. sed illud ad certum haud aeque adduci potest. nam ipsa Placita adiisse Ciceronem cum parum sit credibile, cuius opera et intercessione usus sit vix umquam enodabi-

[1] iuniorum Scepticorum compendia monstrat P. H. I 222 νῦν δὲ ὡς ἐν ὑπομνήματι διαλαμβάνομεν κατὰ Μηνόδοτον καὶ Αἰνησίδημον. de Menodoto saeculi alterius p. Chr. ineuntis medico empirico cf. Haas l. c. p. 74 sq.

[2] Tuberoni familiari Panaetii libros de officiis scripsit Hecato Rhodius cf. Cic. de off. III 15 63. acad. prior. II 44 135. ergo studia philosophiae avita huic familiae.

tur. academiam redolet exordium II 23 ***harum sententiarum quae vera sit deus aliqui viderit: quae veri simillima, magna quaestio est.*** sed Ciceronem non ipsum loqui quis probare possit? hoc nolim opineris Aenesidemo eum usum esse. Sceptici enim fama intra sectae fines continebatur, ut ne aequalibus quidem innotesceret. [1] certe Cicero, qui compluribus locis [cf. Haas p. 36] fortasse ex Antiochi ore veterum Scepticorum disciplinam fractam et exstinctam perseveravit, Aenesidemi librum aut non cognovit aut consulto ignoravit. quam molesta et fortuitis casibus obnoxia tum temporis fuerit librorum etiam vulgatiorum cognitio, Ciceronis epistulae abunde docent. inter alia huc quadrant, quae de Niconis περὶ πολυφαγίας Trebatio scribit VII 20 3. quae cum ita sint, unde Sorano tam reconditae doctrinae cognitio obtigit? nempe ex medici cuiusdam sceptici libro. constat enim inde a Pyrrhone ad Sextum paene omnes medicinae studuisse scepticos. de Aenesidemo quidem nihil constat. sed non solum Empirici, verum etiam certe ab altero p. Chr. saeculo methodici, quod mireris, scepticam rationem amplexabantur, qua via methodico Sorano Aenesidemi notitia tradita videtur.

Veri simile est praeter Aenesidemum Soranum grandiori suo libro etiam alios fontes adhibuisse, quibus etsi cum Placitis aliquantum intercedit cognationis, tamen plus apparet discrepantiae. velut Tertulliani c. 5 ***accerserit Eubulum aliquem et Critolaum et Xenocratem et isto in loco amicum Platonis Aristotelem. fortassean extruentur magis ad auferendam animae corpulentiam, si non alios e contrario inspexerint et quidem plures corpus animae vindicantes. nec illos dico solos qui eam de manifestis corporalibus effingunt ut Hipparchus et Heraclitus ex igni ut Hippon et Thales ex aqua ut Empedocles et Critias ex sanguine ut Epicurus ex atomis, si et atomi corpulentias de coitu suo cogunt ut Critolaus et Peripatetici eius ex quinta nescio qua substantia, si et illa corpus quia corpora includit: sed etiam Stoicos allego qui spiritum praedicantes animam paene nobiscum, qua proxima inter se flatus et spiritus, tamen corpus animam facile persuadebunt. denique Zeno consitum spiritum definiens animam hoc modo instruit 'quo' inquit 'digresso animal emoritur corpus est, consito autem spiritu digresso animal emoritur, ergo consitus spiritus corpus est, consitus autem spiritus anima est, ergo corpus est anima. vult et Cleanthes non solum corporis lineamentis sed et animae notis similitudinem parentibus in filios respondere, de speculo scilicet morum et ingeniorum et affectuum, corporis autem similitudinem et dissimilitudinem capere et animam. itaque corpus similitudini et dissimilitudini obnoxium. item corporalium et incorporalium passiones inter se non communicare. porro et animam compati corpori, cui laeso ictibus vulneribus***

[1] Diogenis et Aristoclis apud Eusebium memoria Scepticis iunioribus debetur. contra Aenesidemum etiam illud facit, quod Stoicorum omninoque recentioris aetatis sententiae ut Ciceroni ita Aëtio plurimae immixtae sunt, Sceptici Heracliteorum explicatio nusquam.

ulceribus condolescit, et corpus animae, cui afflictae cura angore amore coaegrescit [sic Latinius, codd. *cohaerescit*] *per detrimentum socii rigoris, cuius pudorem et pavorem rubore atque pallore testatur. igitur anima corpus ex corporalium passionum communione.* [cf. c. 25 v. C. Wachsmuth ind. schol. hib. Gott. 1875 p. 12] *sed et Chrysippus manum ei porrigit constituens corporalia ab incorporalibus derelinqui omnino non posse quia nec contingantur ab eis . . . derelicto autem corpore ab anima affici morte. igitur corpus anima quae nisi corporalis corpus non derelinqueret.*

Inter tot tamque egregiae notae opiniones vix una alterave Placitorum similitudinem stringit. velut Hipparchi (!) et Heracliti placita illic inveniuntur IV 3 4 Παρμενίδης δὲ καὶ Ἵππασος καὶ Ἡράκλειτος πυρώδη ταύτην κεκλήκασιν. sed sufficit hoc ne Aenesidemi memoriam Sorano obversatam putemus, qui aeris patrocinium hic quoque suscepit cf. Tertull. c. 9 supra 210, 17, ubi post Heraclitum continuatur *nec ut lumen etsi hoc placuit Pontico Heraclidi.* similiter Heraclidis opinio exstat in Aëtio IV 3 6 Ἡρακλείδης φωτοειδῆ τὴν ψυχὴν ὡρίσατο. sed quis ex fortuita eiusmodi concordantia quidquam concludere audeat praesertim in ea materia quae perpetuis philosophorum disceptationibus una omnium maxime agitata sit? quod ut aliis exemplis probemus, Macrobii uberrimum placitorum de anima conspectum subiciamus somn. Scipion. I 14 19.

Plato dixit animam essentiam se moventem, Xenocrates numerum se moventem, Aristoteles ἐντελέχειαν, *Pythagoras et Philolaus harmoniam, Posidonius ideam, Asclepiades quinque sensuum exercitium sibi consonum, Hippocrates spiritum tenuem per corpus omne dispersum, Heraclides Ponticus lucem, Heraclitus physicus scintillam stellaris essentiae, Zenon concretum corpori spiritum, Democritus spiritum insertum atomis hac facilitate motus ut corpus illi omne sit pervium, Critolaus Peripateticus constare eam de quinta essentia, Hipparchus* (!) *ignem, Anaximenes aera, Empedocles et Critias sanguinem, Parmenides ex terra et igne, Xenophanes ex terra et aqua, Boethos ex aere et igne, Epicurus speciem ex igne et aere et spiritu mixtam.*

Consentit cum his Aëtii Plato IV 2 5 οὐσίαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινητήν, Xenocrates §§ 3. 4 ἀριθμὸν αὑτὸν κινοῦντα, Aristoteles § 6 ἐντελέχειαν, § 8 Asclepiades συγγυμνασίαν τῶν αἰσθήσεων, Heraclides IV 3 6 φωτοειδῆ τὴν ψυχὴν, Anaximenes § 2 ἀερώδη, Epicurus § 11 κρᾶμα ἐκ τεττάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους ἐκ ποιοῦ ἀερώδους ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου. cetera discrepant. Soraneis conveniunt Critolaus Peripateticus, tum Empedocles et Critias coniuncti et quod mirum est Hipparchus ille eodem mendo ex Hippaso corruptus. quae concordia necessitudinis indicium videtur, nisi forte casui tantum tribui mavis.[1] Macrobiani exemplaris memoria, quatenus cum Aëtio consentit,

[1] ceterum Heracliti in Macrobio opinio longe distat a vulgari sententia nec tamen ex eius doctrina explicari non potest.

haud cunctor ex vetustis Placitis derivatum arbitrari quod ne temere coniectum credas Asclepiadem et Posidonium Placitorum novissimos philosophos illic iuxta positos esse memento. sed certiora vix efficias quia quibus rivulis Macrobio tam proba materia affluxerit nondum satis est compertum. eiusdem eruditionis tenuia vestigia in Philoponi de anima arguta magis quam scita disputatione dispiciuntur.

f. A''ᵛ [p. 4] Venet. 1535.

Καθόλου δὲ τὴν ψυχὴν οἱ μέν φασιν ἀσώματον εἶναι, οἱ δὲ σῶμα, καὶ τῶν σῶμα, οἱ μὲν ἁπλοῦν οἱ δὲ σύνθετον, καὶ τῶν σύνθετον, οἱ μὲν ἐκ συνημμένων σωμάτων οἱ δὲ ἀσυνάπτων. τῶν δὲ ἁπλοῦν σῶμα εἰρηκότων τὴν ψυχὴν εἶναι

οἱ μὲν εἰρήκασιν αἰθέριον εἶναι σῶμα (ταὐτὸν δέ ἐστιν εἰπεῖν οὐράνιον) ὥσπερ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός.

οἱ δὲ πῦρ ὡς Ἡράκλειτος ἐπειδὴ καὶ πῦρ ἔλεγεν εἶναι τὴν ἀρχὴν τῶν ὄντων. οὕτως οὖν καὶ τὴν ψυχὴν πυρίαν εἶναι διὰ τὸ εὐκίνητον.

οἱ δὲ ἀερίαν ὡς Ἀναξιμένης καί τινες τῶν Στωικῶν.

οἱ δὲ ἐξ ὕδατος ὡς Θαλῆς καὶ Ἵππων ὁ ἐπίκλην ἄθεος ἐπειδὴ γὰρ τὴν γονὴν ἑώρων ἐξ ὑγρᾶς οὖσαν οὐσίας διὰ τοῦτο καὶ ὕδωρ τὴν ἀρχὴν τῶν ὄντων ἐνόμισαν [cf. Arist. 405ᵇ 2] . . .

τῶν δὲ σύνθετον σῶμα ὑπειληφότων οἱ μὲν ἐξ ἀσυνάπτων στοιχείων ὡς Δημόκριτος καὶ Λεύκιππος καὶ ἁπλῶς οἱ τὰ ἄτομα εἰσάγοντες. ἔλεγον μὲν γὰρ ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰ ἄτομα καὶ τὸ κενόν. εἶναι οὖν τὴν ψυχὴν ἐκ σφαιρικῶν ἀτόμων διὰ τὸ εὐκίνητον. [cf. Aristot. 404ᵃ 5].

οἱ δὲ ἐκ συνημμένων ὡς Κριτίας ὁ εἷς τῶν τριάκοντα αἷμα γὰρ ἔλεγεν εἶναι τὴν ψυχήν. ['αἷμα γάρ, φησίν, ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα']

totus locus verbis fere eisdem translatus est a Philopono ex vetustiore anonymo in Arist. de anim. commentario, cuius eclogae ex codice Palatino Heidelbergensi 281 s. XI a G. Strehlkeo (Gedan. 1876) editae sunt. cf. c. XIV p. 38 sq. [1] Thales et Hippon etiam hic ut in Sorano [p. 212] coniuncti sunt, praeterea Critias accersitur ex Arist. d. an. I 2 p. 405ᵇ 6 ἕτεροι δ' αἷμα καθάπερ Κριτίας. post τὴν ψυχήν finem facit catalogi anonymus Heidelbergenis [in Vatic. initium deest]. ergo Philoponi unius inscitia factum quod Empedoclis versus 329 St. αἷμα — νόημα [cf. supra p. 204] pro Critiae placito venditatur. Heraclidis opinio cum reliqua Aëtii Sorani Macrobii memoria discrepat, cetera aut Aristotelea sunt aut omnino vulgaria.

XVII DE VETUSTORUM PLACITORUM FONTIBUS

Quo magis a compilatorum aetatibus ad ipsos fontes adscendimus, eo difficilior fit quaestio et plenior dubitationis. a Plutarcho enim et Stobaeo certa ratione ad Aëtium transgressi sumus, dein coniectura probabili

[1] integrum commentarium sed initio ac fine mutilatum continet cod. Vatic. 268 s. XI.

vetusta Placita ex reliqua electorum turba secrevimus. nunc vero etiam ulteriora petituris maximo opere cavendum est ne divinationis aestus ad eam nos devehat oram, *quam somnia vulgo tenere ferunt.* nihilominus, modo prudenter agas et sobrie, certo haud pauca, veri similiter multa proferri poterunt, quae ad Placitorum memoriam atque continuationem perspiciendam haud scio an sint gravissima.

Ac primum quae scripta in ipsis Placitis memorantur vel philosophorum vel poetarum, devio plerumque ac fortuito tramite illuc inlata sunt. ita frustra citatur Homerus I 3 2, carmen Pythagoricum I 3 8, Xenophanes I 3 12, Euripides V 19 3, Aratus ἐν τοῖς Φαινομένοις II 19 3, Empedocles ἐν τῷ πρώτῳ Φυσικῶν I 30 1 [cf. I 3 20 I 18 2], Leucippus ἐν τῷ Περὶ νοῦ I 25 4. quae etiamsi constaret, quod contra est, ex vetustis Placitis omnia in Aëtium transvecta esse, tamen fontes rimantibus commodo esse nequeunt. de Stoicorum autem libris, quorum memoria in unum locum constipata est I 28 supra p. 178 dixi. similiter statuendum est de Aristotele, quo nemo crebrius in testimonium vocatur. velut I 18 6 Ἀριστοτέλης ἐν τετάρτῳ Φυσικῆς ἀκροάσεως [IV 6 p. 213^{b} 23], ibidemque ἐν τῷ Περὶ τῆς Πυθαγόρου φιλοσοφίας πρώτῳ [fr. 196 p. 1513^{a} 29]. uterque locus de Pythagoreis est. V 7 5 Λεωφάνης οὗ μέμνηται Ἀριστοτέλης ad librum de gen. anim. IV 1 p. 765^{a} 25 spectat. ad libros περὶ τῆς Πυθαγόρου φιλοσοφίας etiam illa referenda videntur, quae II 29 4 de Pythagoreis narrantur κατὰ τὴν Ἀριστοτέλειον ἱστορίαν καὶ τὴν Φιλίππου τοῦ Ὀπουντίου ἀπόφασιν [cf. V. Rose fr. 189, Arist. pseud. p. 209]. ex libro de sensu 3 p. 439^{a} 31 διὸ καὶ οἱ Πυθαγόρειοι τὴν ἐπιφάνειαν χροιὰν ἐκάλουν excerptum est I 15 2.

Ipsius Aristotelis doctrina non minus saepe ex accurata eius lectione hausta est. Physicorum memoria redditur I 29 2 ex II 5 p. 197^{a} 5—10, I 29 3 ex II 6 p. 197^{a} 36, I 23 2 ex III 2 p. 202^{a} 7 cf. 251^{a} 9, libri *de anima* IV 8 6 ex II 11 p. 424^{a} 4 et II 6 p. 418^{a} 6, IV 9 3 ex II 6 p. 418^{a} 12, libri *de generatione et interitu* I 9 1 ex I 4 p. 320^{a} 2 cf. 1 3 21, *de generatione animantium* V 3 1 ex IV 1 p. 766^{b} 13. Aristotelis Περὶ φύσεως liber cum a Clemente (Strom. VI 16) coniunctus cum Polybi dubia memoria [cf. V. Rose Ar. pseud. p. 380] de eadem re citetur, de qua post Aristotelem Hippocratemque Polybi lemma in Aët. V 18 5 adscribitur, intercedente nescio quo [cf. V. Rose p. 381] in Placitorum notitiam venisse videtur.[1] nusquam vero inter tot exempla locorum qui Aristotelis doctrinam compilanti obversabantur accurata addita est librorum notitia praeter II 10 3 Ἀριστοτέλους ἐκ πέμπτου σώματος [caelum consistere]. λέγει γοῦν ἐν τοῖς περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως καὶ οὐρανοῦ λόγοις οὕτως. postrema λέγει—οὕτως omittit Plutarchus, servavit Stobaeus qui Arii Didymi fr. 9

---

[1] similitudo Placitorum quam ad fr. 3 affert V. Roseus l. c. nulla est. laudo quod de Plac. V 17 2 dubitavit: quod de Zonarae etymologorumque loco p. 383 et 604, fallitur cf. Arist. H. anim. I 13 p. 493^{a} 23.

partem posteriorem adnexuit. quo referri illa nullo modo possunt. nec ad priora quadrant accurate, si quidem quinta essentia[1] ab Aristotelis oratione abhorret. ergo si ad priora pertinent, liberiore modo caelestia illic tractari meminerat is qui adscripsit. sed quisnam scholii auctor? si formulas λέγει γοῦν οὕτως ἐν τῷ Τιμαίῳ et similes Stobaeanas esse concesseris [cf. supra p. 75], de Stobaei interpolatione non dubitabis, etsi ipsa scriptoris verba non ut illic post οὕτως addita sunt. quae si forte quispiam intercidisse in libris putet, haud adsentior. nam gemino lemmate περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως καὶ οὐρανοῦ [codd. αὐτοῦ, non dubito de Spengelii emendatione] non is uti solet qui alterum post alterum locum allaturus est. ergo Stobaeum credo ex scholastica memoria Aëtiana verba amplificasse.[2]

Hinc ad difficiliorem quaestionem ianua patet. ab utro Aristotelis testimonia decretaque diligentem illius lectionem prodentia profecta credis ab Aëtio an vetustorum Placitorum conditore? nimirum explosa est Strabonis ex veris falsisque mire mixta de Scepsio hypogeo narratio, quam Plutarchus [Sull. 26] secutus eis quae de Andronico fando audiverat haud scite amplificavit. constat intra scholae certe fines Aristotelis nullum librum ne Metaphysica quidem legi esse desita [cf. Zeller abh. d. K. Ak. d. Wiss. h. phil. Berl. 1877 p. 145—167]. sed vehementer dubito num ante octavum a. u. saeculum pragmaticorum Aristotelis scriptorum tanta cognitio apud eum fuerit, qui vetusta Placita collegit. nam aliud est singularia eius commentaria cognovisse, velut si Cicero Topica se habere gloriatus est [top. 1 3 cf. 2 6. 7 8 35 de orat. II 36 152] vel si Tyrannionis opinor suasu Luculli bibliotheca *commentarios quosdam Aristotelios* [de fin. III 3 10] continuit[3] vel si in Philodemi scriptis Ἀριστο-

---

[1] repetitur τὸ πέμπτον σῶμα Aët. I 7 32 3 23 I 12 3 II 7 5.

[2] Stobaei interpolatione II 25 13 Ἡρακλείδης καὶ Ὄκελλος γῆν ὁμίχλῃ περιεχομένην [lunam esse] Ocelli nomen additum esse dixi p. 100 [1]. nam nec Plutarchus nec Theodoretus alterum noverunt lemma. praeterea nullus est de luna locus in subdito Pseudocelli libro quem nos tenemus et tenuit dorice conscriptum sed rebus non diversum Stobaeus. neque veri simile talia aut in libro de universo aut in ceteris qui olim Ocelli ferebantur tractata fuisse. genuina autem scripta nulla fuisse videntur. unde igitur Stobaei memoria? aut fallor aut superiora II 13 15 Ἡρακλείδης καὶ οἱ Πυθαγόρειοι ἕκαστον τῶν ἀστέρων κόσμον ὑπάρχειν γῆν περιέχοντα ἀέρα ansam dederunt Pythagoreorum instar Ocellum, quem Stobaeus suspiciebat cf. ecl. I p. 422—428. 338 H., introducere. simili fraude Ocelli mentio fit in Sext. Empir. adv. math. IX 316, ubi Aristotelis simulatur socius.

[3] Tyrannionem illum Amisenum, non iuniorem etiam Ciceronis bibliothecam ordinasse et supplevisse demonstravisse videtur Planerus de Tyrannion. grammat. Berol. 1852 p. 4[3] 6. si Plutarcho l. c. fidas Tyrannionis studia ante Andronicum ponenda sunt. atqui Amiso a. 684 a. u. expugnata Tyrannio captus Romam transvectus est, ubi Aristoteli incubuisse dicitur. ergo Andronicus vix ante a. 700 admirabilem suam editionem condidisse putandus est. e Tyrannionis ore accepisse Ciceronem, quae de Aristotelis re publica significavit, de fin. V 4 11 ad Qu. fr. III 5 1. de leg. III 6 14 coniecit Susemihlius ad Ar. Polit. p. XLV. sed Philodemus in libro περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων (Arist. Oecon. ed. Goettling. p. 41 sqq.) Oeconomica sub Theophrasti nomine [p. 45, 9] probe cognovit et

τέλους ἀναλυτικὰ καὶ (περὶ φ)ύσεως apparent [v. Spengel Philolog. supplem. II 532], aliud gravissimorum scriptorum crebram movere mentionem. illud in Ciceronis aetatem quadrat, qui *Aristotelem praeter admodum paucos philosophis ignorari* dicit [top. I 3], hoc in proximam aetatem, ubi per Andronici scholam Stagiritae scripta diligenti interpretatione in severioris disciplinae orbem introduci coepta erant. vetustorum igitur Placitorum explicatori haud dubito quin ea Aristotelis decreta adscribenda sint, quae non ex accurata ipsius doctrina, sed ex recentiorum Peripateticorum schola recepta videantur, quod genus Arius fere et Cicero adhibere solent [cf. Krische p. 308 et quae supra exposui p. 188], contra sicubi ipsa scripta lecta apparent, ibi Aëtii adgnosco supplendi studium. ac ne arbitrarium putes hoc discrimen, quod supra dixi p. 134 sqq. repetam, in prooemiis Peripateticorum potissimum scholam respici. ergo si, ut hoc utar, I 1 2 Aristoteles citatur ἔστιν οὖν κατὰ τὸν Ἀριστοτέλην [1] φύσις ἀρχὴ κινήσεως καὶ ἠρεμίας ἐν ᾧ πρώτως ἐστὶ καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκός, quod ex physic. II 1 p. 192ᵇ 21 eisdem fere verbis expressum est, si iudicia quae de Ionicis addere Aëtio libuit eiusdem libri tincta sunt coloribus, nonne omnia suadent ut Aristotelis usum iuniori Aëtio reservemus?

Hinc erit fortasse quispiam, qui Theophrasti quoque usum — nam ad eum post longas ambages tandem revertor — Aëtio sit vindicaturus. neque enim duplex illius testimonium, quod in conspectu p. 138 et 140 citavi, hanc dissuadere videtur originem. nam II 29 7 Ἀναξαγόρας ὥς φησι Θεόφραστος καὶ τῶν ὑποκάτω τῆς σελήνης ἔσθ' ὅτε σωμάτων ἐπιπροσθούντων praecedit § 6 Anaxagorae generalior opinio de lunae defectu, cuius Thales Plato Stoici mathematici participes nominantur. eodem modo Xenophanis de sole decretum II 20 3 Ξενοφάνης ἐκ νεφῶν πεπυρωμένων εἶναι τὸν ἥλιον excipit doctum hoc supplementum Θεόφραστος ἐν τοῖς Φυσικοῖς γέγραφεν ἐκ πυριδίων μὲν τῶν συναθροιζομένων ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, συναθροιζόντων δὲ τὸν ἥλιον. hinc qui Aëtii doctrinam laudaturus est, quasi limpidissimis rivulis vetusta Placita irrigarit, vereor ne egregie falsus sit. nam quod nomen illis duobus locis servatum est, inde explicandum, quod duplicis memoriae altera accuratior non sine auctoritatis nota priori addi poterat. hic enim obtinet compilatorum mos ut nisi quid diversitatis appareat nomina auctorum sileantur. atqui vario modo Theophrastea influxisse in Placita mox diligentius demonstrabo. quis igitur doctrinae multiplicis laudem Aëtio quam vetusto Placitorum collectori impertire

---

excerpsit et aliquanto prius Cassius Dionysius Uticensis quem Varro de r. r. I 17 et alias sequitur. atqui Oeconomica coniuncta cum Politicis ut in codicibus, ita etiam antiquitus circumlata esse videntur. certe Theophrasto Politica quoque, ut illa, ab Alexandrinis non nullis et a Dionysio Halicarnassensi arch. V 73. 74 [conl. Arist. Pol. III 14 sqq.] attribuebantur. ergo nihil obstat quominus horum quidem librorum vulgatam notitiam iam Tullianae aetati concedamus.

[1] eadem lemmatis forma utitur Aëtius IV 8 4 κατὰ τοὺς Περιπατητικούς.

mallet? neque quod in iudiciis l. I tertii capitis Theophrastea apparent vestigia, Opiniones inspexisse Aëtium efficies, ubi non sine causa biographum intercessisse p. 180 monui. neque alius est fons Theophrasteorum, quae ex eodem capite mox proferam.

Sed quid de singulis notitiis litigamus, quoniam totum Placitorum opus tamquam simulacrum ex admirabili Theophrasti monumento expressum esse manifestum est? quis enim qui opinionum memorias nobiscum scrutatus est ubi primum collectae quaque via posteris traditae sint, sine illius beneficio ne consilium quidem Placitorum capi potuisse negabit? confer argumentorum tabulam quae in vetustis Placitis fuisse probavi p. 181. nonne congrua omnia praeter terrestria, quae Theophrastus libro de mundo continuasse videtur? quam vellem pro fragmentis integra nobis superessent Theophrasti vetustorumque Placitorum corpora, ut quam adumbravimus accurate exprimere possemus utriusque similitudinem. nihilo setius ne compilatorum quidem incuria crebra illa antiquae memoriae vestigia obscurare vel exstinguere potuit, quae supra in conspectu p. 133 sqq. collecta hic repetere nolo. at unum locum promam excerptorum religiosa stoliditate insignem.

Hippolytus 6 3 talia de Anaximandri opinione: τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς [terrae] γυρὸν στρογγύλον κίονι λίθῳ παραπλήσιον. in codicibus vulgatur ὑγρὸν στρογγύλον, quod Roeperi egregia emendatione sublatum Teichmuelleri studiis p. 41 argutius defendi non debebat. στρογγύλον priori voci explicandi causa additum videbatur Roepero. sed γυρόν paulo distat. apud Homerum laudatur Eurybates τ 246 γυρὸς ἔην ὤμοισιν, ut convexi magis et gibbi umeri quam rotundi intellegendi sint. ab Hippolyto propius abest Theodorides antholog. VII 479 πέτρος ἐγὼ τὸ πάλαι γυρὴ καὶ ἄτριπτος ἐπιβλής, τὴν Ἡράκλειτου δ' ἔνδον ἔχω κεφαλήν. ergo γυρός terrae superficiem curvatam, στρογγύλος circuitum significat. sed quid est κίονι λίθῳ? codices inepte χίονι λίθῳ, quod tamen explicatorem nuper nactus est. Cedrenus re desperata scripsit χιονῶδες non minus absurde. quamquam erunt fortasse, qui avide arripiant. quos monitos volo, ne vitium praepostere attrectent Cedreno et Plutarcho quin etiam Aëtio multo antiquius. consentiunt enim mirifice Placita III 10 2 Ἀναξίμανδρος λίθῳ κίονι τὴν γῆν προσφερῆ τῶν ἐπιπέδων. Anaximandro quid placuerit nemo dubitat, quia Plutarchi Stromata § 2 liberius sed recte explicant ὑπάρχειν δέ φησι τῷ μὲν σχήματι τὴν γῆν κυλινδροειδῆ, ἔχειν δὲ τοσοῦτον βάθος ὅσον ἂν εἴη τρίτον πρὸς τὸ πλάτος. quo modo his illa corrupta verba accommodabis? Reiskeus tentabat κίονι ἢ λίθῳ, poterat etiam κίονι λίθου vel κίονι λιθίνῳ vel ionice λιθίνῃ [cf. Lobeck Soph. Ai.[2] 121, Porphyr. quaest. hom. c. 8]. contra Roeperus ut trientariam illam mensuram efficeret κιονέῃ λίθῳ periclitatus est, quo columnae singulos spondylos — sic enim Graeci cf. Athen. V p. 206 A — significari volebat. sed adiectivi κιόνεος novitatem vereor ne apte ille tueri non possit, ut de corruptionis veri similitate taceam. utique Teichmuelleri coniectura κίονος λίθῳ, in quam nos quoque olim incide-

ramus, haud paulo praestat.[1] sed omnia haec quam incerta sint vides, cum erroris origo parum facile explicetur. forsitan litteras saltem quispiam hoc modo servatas velit. constat in Theophrasteis prisca vocabula velut nobilem aeruginem interdum retineri, velut in fr. de sensu § 50 Democritea ὁμοιοσχημονεῖν, 51 θρύπτεσθαι, 55 vel ionicam formam διαμίμνει. similiter ex Anaximandro Phys. op. fr. 2 καὶ τὴν φθορὰν ... γίνεσθαι κατὰ τὸ χρεών, διδόναι γὰρ αὐτὰ δίκην καὶ τίσιν ἀλλήλοις τῆς ἀδικίας... ποιητικωτέροις οὕτως ὀνόμασιν αὐτὰ λέγων. quidni, inquiet iste, antiqua haec λιθέῃ κίονι Homerico exemplo[2] in Anaximandro scripta fuisse credamus, quae ad vulgarem magis usum Theophrastus transferret λιθῷ κίονι? sed piget his artificiis diutius vacare. utcumque te expediveris, mira constat illa ex Theophrasto Placitorum Hippolytique consensio, quae tanta est, ut Aëtii lacunam hinc certo possis resarcire. continuandum est enim ex Hippolyto τῶν ἐπιπέδων ᾧ μὲν ἐπιβεβήκαμεν ὃ δὲ ἀντίθετον ὑπάρχει.

Theophrasti corpus non dubium est, quin in Ionicis philosophis quorum scripta fere interierant vel neglecta iacebant[3], fons fuerit primarius. idem de Xenophane liquido constat, veri simile est de Parmenide Melisso Zenone Leucippo Democrito Metrodoro Chio. quamquam de atomorum doctoribus est quod dubites. neque enim usquam tam saepe dedit scriptor inscitiae poenas quam in illorum dogmatis. non urguebo Democriti ingentes atomos quas I 12 6 profert: δυνατὸν εἶναι κοσμιαίαν ὑπάρχειν ἄτομον. nam erroris socium habet Dionysium apud Euseb. P. E. XIV 23 3.[4] neque solus lapsus est ibidem τὰ πρῶτα σώματα βάρος οὐκ ἔχειν, κινεῖσθαι δὲ κατ' ἀλληλοτυπίαν ἐν τῷ ἀπείρῳ, quod repetiit I 3 18 Δημόκριτος μὲν γὰρ ἔλεγε δύο μέγεθός τε καὶ σχῆμα, ὁ δ' Ἐπίκουρος τούτοις καὶ τρίτον βάρος προσέθηκεν. in eodem autem errore est Cicero de fat. 20 46 *vim motus habebant* (atomi) *a Democrito impulsionis quam plagam ille appellat, a te, Epicure, gravitatis et ponderis.* cf. Alexand. ad Metaph. A 4 p. 27, 25 B. quid vero homine facias qui principatum animi esse sentiendi expertem, sensum intra tactas corporis partes consistere docentem facit

---

[1] quae si vera est lectio, Plutarcheis Stromatis utique accuratior praesto erat ex Theophrasto memoria. neque enim spondylorum proportiones architectis ita constabant, ut certa inde effici posset numerorum descriptio. Parthenonis quidem columnae e duodenis spondylis, exstructae sunt; sed haec fuit Penthelici lapidis natura ut nisi in minuta fragmina caedi non posset cf. Boetticheri Tect. I 129. praeterea inter se minime aequales sunt cf. Michaelis Parthenon explic. p. 114. alibi autem aliae fere inveniuntur proportiones.

[2] ψ 202 βηλῷ ἐπὶ λιθέῳ, ν 107 ἱστοὶ λίθεοι.

[3] Thaletis iam Aristoteli genuinus nullus libellus cognitus fuisse videtur, Theophrasto item nullus praeter subditivam ναυτικὴν ἀστρολογίαν cf. Phys. opin. fr. 1. Anaximandri liber quam rarus fuerit iam Alexandrinorum tempo ribus, inde colligas, quod Apollodorus chronicorum scriptor, Alexandrinae bibliothecae accola in illum tamquam ἕρμαιον se incidisse narrat Laert. II 2 [cf. Mus. Rhen. XXXI 24].

[4] cf. Laert. X 43 εἰ μή μέλλει τις καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς (atomos) ἐκβάλλειν. haud scio an *ingentes quaedam imagines tantaeque ut universum mundum complecterentur* [Cic. de deor. nat. I 43 120] errorem fecerint.

Epicurum, qui prorsus contraria tradidit cf. IV 23 2? levius est quod I 7 34 Epicuro doctrinam adscripsit quae Metrodori fuisse videtur. cf. Hirzel untersuch. I 17[2].

Theophrastei libri semina quam late antiquitus sparsa essent, saepe dixi. ergo ut veri simile est Placitorum conditori ipsum librum haud incognitum fuisse, cuius rationem universam imitaretur, ita non minus constat plerumque alia flumina Theophrasteis rivulis irrigata eodem confluxisse. velut Xenophanis opinio quam saepe tetigi II 20 3 Ξενοφάνης ἐκ νεφῶν πεπυρωμένων εἶναι τὸν ἥλιον Θεόφραστος ἐν τοῖς Φυσικοῖς γέγραφεν ἐκ πυριδίων μὲν τῶν συναθροιζομένων ⟨ἐκ⟩ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, συναθροιζόντων δὲ τὸν ἥλιον duobus scriptoribus deprompta est. una vulgaris est similiterque ac II 13 14 Ξενοφάνης [astra] ἐκ νεφῶν πεπυρωμένων concepta [1], altera ad ipsius Theophrasti formam voce πυριδίων [2] conspicuam [cf. supra p. 158[1]] diligenter exacta. cum Xenophanis ipsius paene ignoti fuerint antiquitus versus, vulgarem memoriam ex eisdem Opinionibus libatam teneo, sed per plures manus propagatam.

Cuius generis exemplum p. 180 tetigi, ubi Anaximandri iudicium Theophrasteum I 3 3 per biographum Aëtio traditum dixi. sed etiam vetusta Placita de principiis egisse consentaneum est. unde maxima est dubitatio de singulorum capitulorum origine, cum Theophrastea etsi adgnoscas, uter tradiderit ambigatur. velut Aëtii biographum fontem in Thalete repperi p. 179. pergit I 3 1 στοχάζεται δὲ ἐκ τούτου πρῶτον ὅτι πάντων τῶν ζῴων ἡ γονὴ ἀρχή ἐστιν ὑγρὰ οὖσα· οὕτως εἰκὸς καὶ τὰ πάντα ἐξ ὑγροῦ τὴν ἀρχὴν ἔχειν. δεύτερον ὅτι πάντα τὰ φυτὰ ὑγρῷ τρέφεται καὶ καρποφορεῖ, ἀμοιροῦντα δὲ ξηραίνεται, τρίτον ὅτι καὶ αὐτὸ τὸ πῦρ τὸ τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἄστρων ταῖς τῶν ὑδάτων ἀναθυμιάσεσι τρέφεται καὶ αὐτὸς ὁ κόσμος. origo argumentorum in Aristot. Metaph. A 3 p. 983^{b} 20 λαβὼν ἴσως τὴν ὑπόληψιν ἐκ τοῦ πάντων ὁρᾶν τὴν τροφὴν ὑγρὰν οὖσαν καὶ αὐτὸ τὸ θερμὸν ἐκ τούτου γιγνόμενον invenitur. sed propior est cum Theophrasteis concentus. primum nutrimenti causa ad solas plantas adhibetur, quod ille praeivisse videtur, cum Simplicius [Phys. opin. fr. 1] exhibeat καὶ γὰρ τὸ θερμὸν ἐν τῷ ὑγρῷ ζῇ καὶ τὰ νεκρούμενα ξηραίνεται, tum primum Aëtii argumentum nulla Aristotelis radice nititur, at ex Theophrasto sumpsit Simplicius καὶ τὰ σπέρματα πάντων ὑγρά. ergo Zellerus frustra Theophrasti vestigia in Simplicio inesse negavit I[4] 175[2] Ritterum et Krischeum secutus, quamvis nihil inde de Thaletis ipsius memoria concludendum esse libenter concedam. nam et Aristoteles et Theophrastus et Aëtius dum causas rimantur, suopte ingenio, non philosophi verbis utebantur. ex biographo etiam Heracliti opinio derivata videtur I 3 11 Ἡράκλειτος καὶ Ἵππασος ἀρχὴν τῶν

[1] cf. II 25 4 et Xenophan. fr. 13 ἥν τ' Ἶριν καλέουσι, νέφος καὶ τοῦτο πέφυκε.

[2] cum in Xenophanis de Dioscuris placito II 18 1 νεφέλια legatur, quod a carmine exclusum, sed frequentatum a Theophrasto fr. VI de sign. tempest. §. 11. 20 cf. Arist. met. II 8 p. 367^{b} 9, ne hic quidem origo latet.

πάντων τὸ πῦρ· ἐκ πυρὸς γὰρ τὰ πάντα γίνεσθαι καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾶν ... τούτου δὲ κατασβεννυμένου κοσμοποιεῖσθαι τὰ πάντα. πρῶτον μὲν γὰρ τὸ παχυμερέστατον αὐτοῦ εἰς αὑτὸ συστελλόμενον γῆ γίγνεται, ἔπειτα ἀναχαλωμένην τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ πυρὸς φύσει ὕδωρ ἀποτελεῖσθαι, ἀναθυμιώμενον δὲ ἀέρα γίνεσθαι πάλιν δὲ τὸν κόσμον καὶ πάντα τὰ σώματα ὑπὸ πυρὸς ἀναλοῦσθαι ἐν τῇ ἐκπυρώσει. de prioribus p. 179 sq. dixi, proximis apparet πύκνωσιν καὶ μάνωσιν doceri, quam Heraclito Theophrastum tribuere supra probasse mihi videor. contra vetustorum Placitorum, opinor, dos Theophrastea apparet in Aëtio I 5 5 [Theodor. IV 12]

	Theophr. fr. 1.
Ἵππασος δὲ ὁ Μεταποντῖνος καὶ Ἡράκλειτος ὁ Βλόσωνος ὁ Ἐφέσιος ἓν εἶναι τὸ πᾶν ἀεικίνητον καὶ πεπερασμένον, ἀρχὴν δὲ τὸ πῦρ ἐσχηκέναι.	Ἵππασος δὲ ὁ Μεταποντῖνος καὶ Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος ἓν καὶ οὗτοι καὶ κινούμενον καὶ πεπερασμένον ἀλλὰ πῦρ ἐποίησαν τὴν ἀρχήν.

sed qui ex hoc specimine Heracliteorum omnem in Aëtio memoriam ex optimo illo fonte derivare vellet, ne ille egregie falleretur. ut in superioribus aer ex aqua evaporatus recentiorum cogitationibus accommodatus videtur, ita IV 3 12 Heracliti de anima opinio ad Stoicorum [1] modulum expressa est [cf. Zeller I[4] 642[4]. Schuster p. 136 n. v. supra p. 210[2]]. quid? ipse dissentientes scriptores significavit compilator I 13 2 Ἡράκλειτος πρὸ τοῦ ἑνὸς δοκεῖ τισι ψήγματα καταλείπειν. quin sit somniantis interpretis haec explicatio, nemo dubitabit neque vacat erroris causam argutius expiscari, quod fecit Schusterus p. 261[1]. Stoicorum fraudem iam supra p. 178[1] aperui, quae tamen latius patet.

Nam Heracliti sui patroni ut effata in vulgus magis efferrent, versibus illi incluserunt. *nam ut dicebat Cleanthes*, impiger ipse carminum artifex, *quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore novissime exitu effudit, sic sensus nostros clariores carminis arta necessitas efficit* [Senec. epist. 108 10 cf. Mus. Rh. XXXI 6]. ex tali carmine in Placita migrasse videtur hoc fragmentum II 21 4 Ἡράκλειτος [solis magnitudinem esse] εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου.[2] certum versuum exemplum aliud non invenitur nisi in Plutarchi quaest. conviv. VIII 4 9 p. 1007 ὥρας αἳ πάντα φέρουσι. dubito de Procl. in Tim. p. 36 ψυχῶν τῶν νοερῶν θάνατος ὑγρῇσι γενέσθαι. cf. fr. 72 Byw. Stobaeus versum credit ἐκ πυρὸς γὰρ τὰ πάντα καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾷ [Aët. I 3 11], qui nullus est etsi τὰ omittas. versum fecit Schusteri sollertia πάντα γὰρ ἐκ πυρός ἐστι καὶ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾷ. cui bono, quandoquidem

[1] cf. Cleanthes apud Cicer. de deor. nat. II 15 40 *ergo*, inquit, *cum sol igneus sit Oceanique alatur umoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere, necesse est aut ei similis sit igni quem adhibemus ad usum atque victum aut ei qui corporibus animantium continetur.*

[2] de memoriae fide dubitat Zellerus I[4] 622 non edoctus a Teichmuellero Nov. Stud. I 8**. at vel Epicurei investigatis pridem verioribus rationibus Heracliti puerilem opinionem cogitari posse non negarunt. Laert. X 91.

de soluta forma constat ex Plutarcho et eis quae supra p. 180 attuli testimoniis? clausula autem quae hexametri formam simulat ex Xenophanei versus similitudine Aët. I 3 12 afficta videtur. quid in πυρὸς ἀμοιβὴν quod repetitur in multis Theophrasti excerptis [cf. ad fr. 1] poetae fabricam redoleat [cf. Zeller I[4] 585[1]], ignoro. constat Scythinum iamborum scriptorem Heracliti librum in carmen transfudisse [Diog. IX 86], unde quae reliqua sunt apud Stobaeum [ecl. phys. I 8 p. 264H.] Bywaterus [Heraclit. reliqu. p. 68] felicius quam Meinekeus vel Schusterus refecisse videtur. sed haec vel metri causa in censum venire nequeunt.

Ut intellegatur, quemadmodum in Theophrasteum fundamentum alienae structurae inaedificatae sint, non inutilis est fragmenti de sensu comparatio. Empedoclis de coloribus opinio exstat Plac. I 15 3 Ἐμπεδοκλῆς τὸ τοῖς πόροις τῆς ὄψεως ἐναρμόττον sc. colorem esse. adgnosces Theophrasti tam saepe repetitum ὅτι τῷ ἐναρμόττειν τοῖς πόροις αἴσθησίς ἐστιν [cf. ad § 9 adnotata]. sed desideratur hic accurata coloris definitio. quid? quae continuant Placita τέτταρα δὲ τοῖς στοιχείοις ἰσάριθμα λευκὸν μέλαν ἐρυθρὸν ὠχρόν [l. χλωρόν], ea non solum non inveniuntur in Theophrasto, sed etiam contraria, si quidem de Democrito locutus § 79 τὸ πλείους ἀποδοῦναι τὰς ἀρχὰς [primarios colores] ἔχει τινὰ ἀπορίαν, οἱ γὰρ ἄλλοι τὸ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν ὡς τούτων ἁπλῶν ὄντων μόνων, quattuor Empedoclis colores non adgnovisse videtur.[1] Theophrasti vestigia apparent Aët. IV 5 12 Παρμενίδης καὶ Ἐμπεδοκλῆς καὶ Δημόκριτος· ταὐτὸν νοῦς καὶ ψυχή, si conferas cum illius de sens. 4 τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι καὶ τὸ φρονεῖν ὡς ταὐτὸ λέγει. similia sunt porro Theophrasti § 16 ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τὴν ἡδονὴν καὶ λύπην ὁμολογουμένως ἀποδίδωσιν ἥδεσθαι μὲν ποιῶν τοῖς ὁμοίοις, λυπεῖσθαι δὲ τοῖς ἐναντίοις et Placitorum IV 9 15 Ἐμπεδοκλῆς τὰς ἡδονὰς γίνεσθαι τοῖς μὲν ὁμοίοις ⟨ἐκ⟩ τῶν ὁμοίων, τὰς δ' ἀλγηδόνας τοῖς ἐναντίοις. sed quae interposita sunt κατὰ δὲ τὸ ἐλλεῖπον πρὸς τὴν ἐκπλήρωσιν κτλ. [cf. V 28] illic certe a Theophrasto non tacta sunt. sed tamen optima est memoria et cum Empedoclea doctrina egregie consentiens ut IV 14 1 et IV 17 2. ergo nisi alibi Theophrastus illa repetierat, ipsius philosophi verba nescio quo pacto innotuisse videntur. novicium est IV 5 8 Ἐμπεδοκλῆς ἐν τῇ τοῦ αἵματος συστάσει sc. ἡγεμονικὸν εἶναι. nam recentiore sermone expressum est quod Theophrast. § 10 dicit τῷ αἵματι μάλιστα φρονεῖν. porro Plac. IV 16 1 Ἐμπεδοκλῆς τὴν ἀκοὴν γίνεσθαι κατὰ πρόσπτωσιν πνεύματος τῷ χόνδρῳ ὅνπερ φησὶν ἐξηρτῆσθαι ἐντὸς τοῦ ὠτὸς κώδωνος δίκην αἰωρούμενον καὶ τυπτόμενον Theophrasteis § 9 convenire videntur, sed cum misere haec corrupta sint, adscribere nolo. a Zellero I[4] 724[3] vituperatur quod in Placitis κώδων tintinnabulum, non tuba [sive *tubae patentior exitus* cf. Senec. epist. 108, 10. Aristot. probl. 33 14 p. 963[a] 3] intellegatur. sed ex corruptis verbis certi quidquam in neutram partem effici potest. recte

[1] cf. Baumhauer sentent. veter. philos. graec. de vis. lum. color. p. 71, qui tamen ἀποδοῦναι τὰς χρόας pro ἀρχὰς inscite correxit. cf. § 59 τό τε λευκὸν καὶ τὸ μέλαν ἀρχαί.

tamen τὸν χόνδρον [τὸ χονδρῶδες] Theophrasti τὰ στερεά interpretatus est compilator. contra aperte falsa de Empedocle traduntur in Plac. I 13 1 Ἐμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεττάρων στοιχείων θραύσματα ἐλάχιστα οἱονεὶ στοιχεῖα πρὸ τῶν στοιχείων ὁμοιομερῆ. [cf. Philippson. ὕλη p. 182]. erroris haud scio an sedes sit in Theophrasti verbis § 11 ὧν δὲ πυκνὰ καὶ κατὰ μικρὰ τεθραυσμένα (κεῖται τὰ στοιχεῖα), quae recentioribus ubique atomos sectantibus [cf. I 13 2] pronum erat male explicare.

Diogenis Apolloniatae de auditu dogma IV 16 3 τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ ἀέρος ὑπὸ τῆς φωνῆς τυπτομένου καὶ κινουμένου bene respondet Theophrasteis § 40 ὅταν ὁ ἐν τοῖς ὠσὶν ἀὴρ κινηθεὶς ὑπὸ τοῦ ἔξω διαδῷ πρὸς τὸν ἐγκέφαλον. etiam IV 18 2 Διογένης τῇ ἀραιότητι τῆς γλώσσης καὶ τῇ μαλακότητι καὶ διὰ τὸ συνάπτειν τὰς ἀπὸ τοῦ σώματος εἰς αὐτὴν φλέβας διαχεῖσθαι τοὺς χυλούς ... apta sunt Theophrasteis § 43 κριτικώτατον δὲ ἡδονῆς τὴν γλῶτταν. ἁπαλώτατον γὰρ εἶναι καὶ μανὸν καὶ τὰς φλέβας ἁπάσας ἀνήκειν εἰς αὐτήν. sed quae illic continuantur ἑλκομένους ἐπὶ τὴν αἴσθησιν καὶ τὸ ἡγεμονικὸν καθάπερ ἀπὸ σπογγιᾶς dissonant et Stoicorum certe sunt adulterium passa. pari fraude illorum ἡγεμονικόν translatum in Philolaum II 4 15 cf. IV 5 Boeckh Philol. p. 96. Krische p. 80. Zeller I[4] 385[1]. spongiae tamen exemplum similiter repetitur in Alcmaeonis decreto V 16 3 neque Diogenem ipsum eo usum esse negaverim. Alcmaeonis placita optime consentiunt.

Theophrastus d. sens. § 25	Placita IV 16 2
ἀκούειν μὲν οὖν φησι τοῖς ὠσὶν διότι κενὸν ἐν αὐτοῖς ἐνυπάρχει. τοῦτο γὰρ ἠχεῖν [φθέγγεσθαι] διὰ τὸ κοῖλον, τὸν δ' ἀέρα ἀντηχεῖν.	Ἀλκμαίων ἀκούειν ἡμᾶς τῷ κενῷ τῷ ἐντὸς τοῦ ὠτός. τοῦτο γὰρ εἶναι τὸ διηχοῦν κατὰ τὴν τοῦ πνεύματος εἰσβολήν. πάντα γὰρ τὰ κοῖλα [Plut. κενὰ] ἠχεῖ.

hinc coniecturam periclitor in brevissimo Placitorum capitulo IV 13 12 Ἀλκμαίων κατὰ τὴν τοῦ διαφανοῦς ἀντίληψιν sc. τὸ ὁρατικὸν συμβαίνειν πάθος. Theophrastus § 26 ὁρᾶν δὲ τῷ στίλβοντι καὶ τῷ διαφανεῖ ὅταν ἀντιφαίνῃ, ad quam similitudinem ἀντίλαμψιν non necessario, at veri similiter corrigendum puto. tum concordant

Theophr. § 25	Placit. IV 18 1
γλώττῃ δὲ τοὺς χυμοὺς κρίνειν. χλιαρὰν γὰρ οὖσαν καὶ μαλακὴν τήκειν τῇ θερμότητι. δέχεσθαι δὲ καὶ διαδιδόναι διὰ τὴν μανότητα καὶ ἁπαλότητα.	Ἀλκμαίων τῷ ὑγρῷ καὶ τῷ χλιαρῷ τῷ ἐν τῇ γλώττῃ πρὸς τῇ μαλακότητι διακρίνεσθαι τοὺς χυμούς.

sed ne Stoicorum accommodationem desideres haec mihi confer

Theophr. § 25	Placit. IV 17 1
ὀσφραίνεσθαι δὲ ῥισὶν ἅμα τῷ ἀναπνεῖν ἀνάγοντα τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν ἐγκέφαλον.	Ἀλκμαίων ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ εἶναι τὸ ἡγεμονικόν. τούτῳ οὖν ὀσφραίνεσθαι ἕλκοντι διὰ τῶν ἀναπνοῶν τὰς ὀσμάς.

miserrime inversum est. Alcmaeonis de sanitate placitum V 30 1 ubi Peripatetica de quattuor causis doctrina Stoicorum ποιοῖς mire copulata

est. sed cum Theophrasti comparatio adhiberi nequeat, quantum huic, quantum recentiorum studio debeatur nescimus. omnino autem raro in his de sensibus exemplis verborum tantam similitudinem observes, ut alienam eruditionem velut supplementum adscitam esse neges. sed haec est perobscura quaestio. unum manifestum est Stoicorum vel Stoicissantium philosophorum lenocinium, quo antiquae doctrinae aequalium intellegentiae conciliatae videntur. idem consilium in vetustis Placitis a Varrone excerptis supra demonstravi, ut non inepte aliquis Ciceronis de deorum natura tabulae meminerit, ubi p. 129 Stoicorum notionibus Ionicorum maxime philosophiam inversam esse docui. cum Philodemi comparatio in istis locis sit irrita, vacillat omnis accuratior fontium scrutatio. sed ut discamus, quibus studiis motus vetustorum Placitorum collector Theophrasti exemplar noviciae rationi accommodaverit, ad Posidonii scholam paulo ante Ciceronem summa auctoritate florentem oculos convertamus necesse est. quo me alius ducit Ciceronis locus et ipse philosophorum variis decretis conspicuus.

de divin. I 3 5 *philosophorum vero exquisita quaedam argumenta cur esset vera divinatio collecta sunt e quibus ut de antiquissimis loquar Colophonius Xenophanes unus qui deos esse diceret divinationem funditus sustulit. reliqui vero omnes praeter Epicurum balbutientem de natura deorum divinationem probaverunt sed non uno modo. nam cum Socrates omnesque Socratici Zenoque et ii qui ab eo essent profecti manerent in antiquorum philosophorum sententia vetere Academia et Peripateticis consentientibus, cumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisset qui etiam ipse augur vellet esse plurumisque locis gravis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum conprobaret, Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit, Cratippusque familiaris noster quem ego parem summis Peripateticis iudico isdem rebus fidem tribuit reliqua divinationis genera reiecit.* 6. *sed cum Stoici omnia fere illa defenderent quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset, accessit acerrumo vir ingenio Chrysippus qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam uno praeterea de oraclis uno de somniis: quem subsequens unum librum Babylonius Diogenes edidit eius auditor duo Antipater quinque noster Posidonius. sed a Stoicis vel princeps eius disciplinae Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius nec tamen ausus est negare vim esse divinandi sed dubitare se dixit.*

Propter initium huius eclogae fuit qui ex Placitis *collecta argumenta* Ciceronem transtulisse suspicaretur. neque temere ille quidem. nam Xenophanis opinioni ex Aëtii c. περὶ μαντικῆς respondet V 1 2 Ξενοφάνης καὶ Ἐπίκουρος ἀναιροῦσι τὴν μαντικήν itemque Dicaearchi ibid. § 4 Ἀριστοτέλης καὶ Δικαίαρχος τὸ κατ' ἐνθουσιασμὸν μόνον παρεισάγουσι καὶ τοὺς ὀνείρους. sed cetera etsi Pythagoras Plato Stoicique nominantur

parum habent similitudinis et scriptorum index qui a Cicerone haud dubie ex eadem collectione additus est prorsus discrepat a Placitorum consuetudine. at ultimus est Tullianae tabulae compluriens ille laudatus Posidonius, cuius collectam materiam ad priorem de divinatione librum liberius adhibuit [cf. Schiche de fontibus libr. Ciceron. q. s. de divinat. Ien. 1875 p. 25], idem fere ultimus in Placitis (etsi V 1 deest): hic concentus cum fortuitus esse nequeat, age diligentius quaeramus si quid Posidonii in opinionibus veterum colligendis reliquum sit curiositatis. neque multum in ea quaestione nostra interest utrum ipsius Posidonii an discipulorum commentaria examinemus. nam cum de Placitorum scriptore agatur, satis multum nobis assecuti videbimur, si cuius scholae studiis consilium suum ille accommodaverit, exposuerimus.

Posidonianae disciplinae constat Senecae Naturales quaestiones refertas esse, quas per Asclepiodotum maxime ex doctoris illius meteorologicis deductas esse p. 19 dixi. nihil illis ad Stoicorum istorum eruditionem illustrandam aptius potest esse.

Seneca II 12 de fulgurationibus fulminibus tonitruis opiniones breviter comprehendit, nominatim Anaxagorae

§ 3 *Anaxagoras ait illum ex aethere distillare et ex tanto ardore caeli multa decidere, quae nubes diu inclusa custodiant.*	Aët. III 3 4 Ἀναξαγόρας ὅταν τὸ θερμὸν εἰς τὸ ψυχρὸν ἐμπέσῃ, τοῦτο δ' ἐστὶν αἰθέριον μέρος εἰς ἀερῶδες …

tum Aristotelis uberior sequitur disputatio. omnia haec ex Aristotelis meteorol. II 9 excerpta sunt. quare cum Placita non propius ad Senecam accedant, hoc quidem loco diversis usi sunt fontibus. sed de terrae motu mirum est utrumque Thaleti eandem causam adscribere. Placita simpliciter III 15 1 Θαλῆς μὲν καὶ Δημόκριτος ὕδατι τὴν αἰτίαν τῶν σεισμῶν προσάπτουσιν, Seneca accuratius III 13 1 VI 6 1 III 14 1: *ait enim terrarum orbem aqua sustineri et vehi more navigii mobilitateque eius fluctuare tunc cum dicitur tremere.* ex Aristotele illud solum Thaletis docti erant terram super aqua natare [metaph. A 3 p. 983^b 21. de cael. II 13 p. 294^a 23]. terrae motum recentiores sive ex commenticio libro [Zeller I[4] 182[2]] sive e coniectura, quod mihi veri similius videtur, addiderunt. secuntur apud Aëtium Stoici aquae subterraneae causam attribuentes. simile dicunt quidam apud Senecam VI 7. tum apud utrumque Anaximenis opinio ex Aristot. meteor. II 7 p. 365^b 6, ubi Seneca *spiritus violentiam* de suo addit. post varias opiniones uterque Metrodorum commemorat. sed parum concinunt. ultimus ante Posidonium est Epicurus Senec. VI 20 5 *omnes istas posse esse causas Epicurus ait pluresque alias temptat,* idem in Placitis novissimus III 15 11, cf. Epicuri epistula ad Pythoclem [Laert. X 105] quae tanquam ex doxographis nominibus philosophorum omissis raptim corrasa est et iam veteribus suspecta fuit. cf. collect. Hercul. alt. I p. 152. Duening. de Metrod. p. 22. de cometis Seneca VII 1—6 non nullas opiniones collegit, inter quas uberrime Epigenem de Chaldaeis dispu-

tantem inducit. eundem novit Aëtius III 2 6 sed ita ut multam doctrinam uno versu circumscribat. tum VII 12 1 cometarum rationem *quibusdam antiquorum* attribuit, quae in Placitis est Anaxagorae et Democriti III 2 2. sed haec omnia minoris sunt momenti quam quae de Nilo apud Senecam IV 2 17 sq. et apud Aëtium IV 1 [1] similiter collecta sunt. sed latius patet haec quaestio, cuius capita velut in transcursu tangere liceat.

De Nilo postquam Herodotus Thaletis Euthymenis [cf. Hecataei fr. 278 Muell.] Anaxagorae sententias II 20—23 refutavit suamque opinionem 24—27 explicavit, doctius Aristoteles ut ferunt peculiari libro egit περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως apud Menagii anonymum [fr. Aristot. t. V n. 159 p. 1468ᵇ] inscripto. idem in Ptolemaei apud Arabes indice nominatur περὶ τοῦ Νείλου libri III. neque alio spectat Alexandri testimonium ἐν τοῖς περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως [2]. eiusdem tituli exstat decimo tertio saeculo ex graeco exemplari nunc deperdito in latinum conversus *liber Aristotelis de inundacione Nili*, quem post editiones latinas Venet. 1550 et Basil. 1563 V. Roseus Aristoteli pseudepigrapho suo adiunxit p. 633—639. dubitari non potest quin aliqua necessitudine latinus liber cum eo quem Alexandrini norant coniunctus sit. nam quem locum Eratosthenes apud Proclum in Tim. p. 37 D ex Aristotele cognovit, eum invenias in Aristotele latino p. 639, 132 [cf. Posidon. apud Strabon. XVII 5 in. p. 789 et 790 idemque opinor apud Senecam Nat. quaest. a Laur. Lydo plenius servatum d. mens. IV 68. vide Photii V. Pyth. c. 249 p. 441ᵇ 1 sq.]. nihilo setius ex uberrima materia parva frustula in problematis formam translata [cf. Heitz Arist. fr. Didot. p. 211] a latino servata sunt. id quod ex ambitu cognoscas qui 145 versuum est. etsi tres libros recensuit index Ptolemaei ac plures uno videantur significari Alexandri testimonio ἐν τοῖς περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως, tamen numerum non praestem, ampliorem latinis fuisse antiquum librum apparet. Aristotelis eum fuisse negat Roseus argumentis infirmis. nam eandem ipse quaestionem attingit analyt. post. II 15 p. 98ᵃ 31, caussam cognovit meteor. I 12 p. 349ᵃ 5, quin etiam, quod illum fugit, *stagna per quae Nilus fluit* [Aristot. latin. v. 137 p. 639, 715 cf. Democr. Plac. IV 4 4 Senec. VI 8 3. Chrestus ap. Lyd. IV 68 p. 99, 2 B.] non ignorat Aristot. anim. hist. IX 2 p. 597ᵃ 5 εἰς τὰ ἕλη τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου ὅθεν ὁ Νεῖλος ῥεῖ. ut Theophrasto tamen cum Roseo sive

---

[1] deest caput in Stobaeo et in Plutarcho loco parum apto traditur. sed cum ratio a Placitis non abhorreat, Aëtius autem alius generis eclogas ad interpolandum sibi soleat delegere, tamquam de genuino vetusti collectoris capite disputare liceat.

[2] addendus fragmentis Aristotelis hic locus Alexandri ad meteorol. I 12 p. 349ᵃ 5 Ald. 1527 p. 86ᵛ 22 sq. post paraphrasin: ἐπιζητήσαι δ' ἄν τις, πῶς εἰ τὸ θέρος ξηρόν ἐστιν ὡς προείρηκε· παρ' οἷς ξηρότατόν ἐστι τὸ θέρος, παρὰ τούτοις οἱ ὑετοὶ τοῦ θέρους γίνονται, ἢ αἱ μὲν ἀναθυμιάσεις καὶ αἱ τῶν νεφῶν συστάσεις οὐκ ἐκεῖ γεννῶνται, ἀλλ' ὑπὸ πνευμάτων τῶν ἐτησίων ἀπωθούμεναι συνίστανται ὡς λέγει, τῆς δὲ ταχείας αὐτῶν εἰς ὑετὸν μεταβολῆς ἡ προειρημένη ἀναθυμίασις αἰτία ὡς λέγει ἐν τοῖς περὶ ⟨τῆς⟩ τοῦ Νείλου ἀναβάσεως. legitur περὶ τοῦ N. ἀναβάσχεν quod correxi. conferendum est hoc fragm. cum fr. 228 (1) Ar. Pseud. p. 241 Aristot. d. Nilo ibid. p. 639, 135 Rose.

alii Peripatetico librum vindicemus cum alia[1] suadent tum forma lemmatum patres patriasque memorantium, qua Theophrastus in Opinionibus usus erat. ibidem Anaxagorae certe de Nilo placitum proposuerat [Hippol. 8 5].[2] praeter Eratosthenem et Posidonium Agatharchides quoque eum librum excerpsit, unde recte Diodorum I 38 pendere perspexit Roseus. postea magis ferventibus in dies naturalium quaestionum studiis de Nilo certatim multi scripsere, unde Diodori Senecae Anonymi Florentini, Apolloniani scholiastae, Aëtii eclogae aetatem tulerunt, quarum discrepantiam cum Aristoteleo excerpto nominibus philosophorum compositis sub unum conspectum ferre visum est.

---

[1] memorabilis est Aristotelis latini, cum Thalem impugnat, cum Herodoto consensus. Ar. p. 634, 22 *adhuc idem alios oportebat pati magis fluvios qui ex opposito fluunt ipsis magis et minores existentes faciles sunt cogi a ventis. frequenter autem et annales non* [sic. codd.] *flant, fluvius autem* [*non*] *videtur idem faciens.* Herod. II 20 εἰ ἐτησίαι αἴτιοι ἦσαν, χρῆν καὶ τοὺς ἄλλους ποταμούς, ὅσοι τοῖσι ἐτησίῃσι ἀντίοι ῥέουσι ὁμοίως πάσχειν καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ Νείλῳ καὶ μᾶλλον ἔτι τοσούτῳ ὅσῳ ἐλάσσονες ἐόντες ἀσθενέστερα τὰ ῥεύματα παρέχονται. antea πολλάκις δὲ ἐτησίαι μὲν οὔκων ἔπνευσαν, ὁ δὲ Νεῖλος τὠυτὸ ἐργάζεται. quis credat Aristotelem ita Herodoto se mancipasse, ut verba quoque transferret! Agatharchidis refutatio Anaxagoreae opinionis [Diodor. I 38 5] consentit cum Herodot. II 22. in Aristotele latino alieno emblemate interiecto ipsa confutatio truncata videtur. cf. Senec. IV 1 18—21. Theophrastum libri de Nilo auctorem esse inde verisimile videtur Roseo Ar. pseud. p. 239, quia eandem rei in suis meteorologicis causam explicaverit. cf. de ventis § 5. Aristot. Problem. 26 7. 56. Senec. Nat. qu. III 26 1. Plin. N. H. II 106.

[2] quod e Theophrasti capite velut fragmentum περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναπληρώσεως διάφοροι δόξαι [anonym. Florent.] excerptum dixit Usenerus Anal. Theophr. p. 29, quibus causis nitatur nescio. nam cum obscurum mihi quidem sit, quae ratio inter Aristotelis qui Alexandrinorum aetate ferebatur librum et Theophrasti Opinionum de Nilo caput intercesserit (nisi forte hinc seorsum antiquitus eum expressum ut fr. de sensu suspicaris), anonymi autem ecloga nisi singulorum capitulorum ordine ambitu fide a ceteris nihil differat, vel huius vel similium excerptorum originem ab Opinionibus suspendere haud tutum videtur.

Aristoteles[1] p. 633—639	Diodorus[2] I 38 1—41 10	Seneca[3] IV 2 17—30	Anonymus Florentinus[4] post Athenaei libr. II	Apollonii scholiastes p. 495, 17—496, 10	Aëtius IV 1 1—8
Θαλῆς ὁ Ἐξαμύου Μιλήσιος	Θαλῆς	Anaxagoras	Θαλῆς ὁ Μιλήσιος	Ἀναξαγόρας	Θαλῆς
Διογένης Ἀπολλοθέμιδος Ἀπολλωνιάτης	Ἀναξαγόρας	Aeschylus	Ἀναξαγόρας ὁ φυσικός	Εὐριπίδης	Εὐθυμένης ὁ Μασσαλιώτης
Ἀναξαγόρας Ἡγησιβούλου Κλαζομένιος	Εὐριπίδης	Sophocles	Εὐριπίδης	Αἰσχύλος	Ἀναξαγόρας
(Euthymenes)	Ἡρόδοτος	Euripides	ἐν Ἀρχελάῳ	Σοφοκλῆς	Δημόκριτος
(Oenopides)	Δημόκριτος	Thales	ἐν Ἑλένῃ	Νικαγόρας	Ἡρόδοτος ὁ συγγραφεύς
Νικαγόρας ὁ Κύπριος	Ἔφορος	Euthymenes Massiliensis	Αἰσχύλος	Δημόκριτος	Ἔφορος ὁ ἱστοριογράφος
Ἡρόδοτος	οἱ ἐν Μέμφει φιλόσοφοι	Oenopides Chius	Καλλισθένης	†Ἀριστίας ὁ Χῖος[5]	Εὔδοξος τοὺς ἱερεῖς φησι λέγειν
incertus	Οἰνοπίδης ὁ Χῖος	Diogenes Apolloniates	Δημόκριτος	Ἔφορος	
(Callisthenes)	Ἀγαθαρχίδης ὁ Κνίδιος	Herodotus	Εὐθυμένης ὁ Μασσαλιώτης	Θαλῆς ὁ Μιλήσιος	
		Aegyptii	Οἰνοπίδης ὁ Χῖος	(Thrasyalces)	
		Ephorus	Ἡρόδοτος	Διογένης ὁ Ἀπολλωνιάτης	
		Thrasyalces Thasius			
		Callisthenes Peripateticus			
		Dicaearchus			

[1] barbara nomina ne apponerem graeca reddidi. inclusi nomina quorum sententiae solae excerpta sunt lemmatis omissis.

[2] ex Diodoro descripsit Theophylact. histor. VII 17 p. 303 sq. B.

[3] explevi mutilatum Senecae caput ex Laurent. Lyd. IV 68 p. 96 B. sed omisit etiam ille aliquantum.

[4] cod. Laurent. LVI 1 f. 12ᵛ cf. V. Rosei anecdota graeca et graecolat. I 7. edidit primus H. Stephanus [Aristotelis scripta quaedam ex officin. H. St. 1557]. Athenaei libro II infelici coniectura addidit Schweighaeuserus quem posteriores sunt secuti.

[5] opinio est Oenopidis Chii. Aristiae mentio e loco superiore p. 494, 32 per errorem translata est. Ἀρίστων corrigebant apographa Florentinum et Parisinum utroque loco frustra. nam Aristo Strabonis XVII p. 790 fuit Alexandrinus cf. Laert. VII 164 et supra p. 82. ceterum de hoc Aristone postea in Aristotelem converso haud recte disputavit Rose Aristot. ed. Acad. Ber. t. V p. 1520ᵇ 9 sq. idem tamen [Aristot. pseudepigr. p. 240] recte vidit Thrasyalcis opinionem nomine omisso cum Thalete conflatam esse in scholio.

Aristotelei libri vestigia in omnibus pariter apparent. inferiores scriptores praeter Dicaearchum et in Diodoro Agatharchidem non nominantur. neque tamen veri simile est quemquam ex primario fonte hausisse. de Diodori fonte supra monui. Senecam ex Posidonio sua petivisse veri simile est. nam lemmatum quae Strabo ex Posidonio affert l. c. Homerum[1] Thalem Thrasyalcen Aristotelem Callisthenem omnia in Seneca inveniuntur praeter Homerum et qui Callisthenem sequebatur ipsum Aristotelem. Apolloniani scholii est quaedam similitudo cum Seneca. nam uterque Thalete posthabito ab Anaxagora incipit. genuinus enim ordo Herodotum et Aristotelem latinum comparanti ab Aëtio maxime servatus videtur. sed quis in tanta de Nilo librorum fecunditate suum cuique scriptori adscribere audeat? nam post Posidonium inter multos alios Strabo Eudorum et Aristonem de vulgari illo argumento tam similiter scripsisse narrat, ut uter utrum compilavisset se nescire fateretur [cf. p. 245[5] Mus. Rhen. XXXI p. 11[1]]. nobis illarum scriptionum omnium summam similitudinem intuentibus communem utrumque fontem secutum conicere licet, accuratiora docere mihi ne de superstitibus quidem licet. ac miror V. Roseum qui anecd. I p. 12 dicit: *mit der verlorenen altperipatetischen schrift* [unde Aristoteles latinus est excerptus] *hat es* [anonymi Florentini liber] *keinen unmittelbaren zusammenhang, wohl aber mit den gleichartigen resten in den Plac. phil., bei Diodor und Seneca u. s. w. gemeinschaftliche Quelle.* unde Agatharchidem et Posidonium [cf. Arist. ps. p. 239] alio propiore libro quam Aristotele usos esse conclusit?[2] an Posidonium Agatharchidi temporibus aegre conciliatis opinemur materiam suppeditasse? ariolari nolo, tantum dico pleraque vestigia in Posidonii sectam et aetatem eiusmodi scriptionum feracissimam redire.

Theophrasti Senecae Quaestiones ex Posidonio opinor saepe memoriam servarunt ut III 11 2—5 16 5 25 4. 7 26 1 VI 2 16 VI 13 1 VII 28. possum ex Macrobio addere exemplum Somn. Scipion. lib. I 15 3.

de hoc lacteo multi inter se diversa senserunt causasque eius alii fabulosas, naturales alii protulerunt. sed nos fabulosa reticentes ea tantum quae ad naturam eius visa sunt pertinere dicemus.

Theophrastus lacteum dixit esse compagem qua de duobus hemi-

---

[1] Homerus fortasse iam ab Aristotele adhibitus erat. cf. schol. Hom. δ 477 πολλῶν λεγομένων περὶ τῆς τοῦ Νείλου ἀναβάσεως πρῶτος Ὅμηρος τὴν ἀληθεστάτην αἰτίαν εἶπε διιπετῆ προσαγορεύσας αὐτὸν διότι πληροῦται ἀπὸ τῶν ἐν Αἰθιοπίᾳ γινομένων ἀδιαλείπτων τοῦ θέρους καὶ σφοδρῶν ὑετῶν ὡς καὶ Ἀριστοτέλης καὶ Εὔδοξος πεπύσθαι ταῦτα φάσκοντες ἀπὸ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱερέων. cf. Aëtius IV 1 7.

[2] consentaneum est utrumque Aristotelis iudicium de Nilo suum facere. dixerat ille p. 639, 132 *videntur enim aquae factae per tempora haec a cane usqae ad arcturum multae et abundanter:* Agatharchides Diod. I 41 4 φησὶ γὰρ κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν ὄρεσι γίνεσθαι συνεχεῖς ὄμβρους ἀπὸ θερινῶν τροπῶν μέχρι τῆς μετοπωρινῆς ἰσημερίας itemque Posidon. apud Cleomed. circ. doctr. I p. 41 Bake ἐπεὶ καὶ περὶ τὴν Αἰθιοπίαν ὄμβροι συνεχεῖς καταφέρεσθαι ἱστοροῦνται περὶ τὸ θέρος καὶ μάλιστα τὴν ἀκμὴν αὐτοῦ, ἀφ᾽ ὧν καὶ ὁ Νεῖλος πληθύνειν τοῦ θέρους ὑπονοεῖται.

sphaeriis caeli sphaera solidata est et ideo ubi orae utrimque convenerant notabilem claritatem videri.

Diodorus ignem esse densetae concretaeque naturae in unam curvi limitis semitam discretione mundanae fabricae coacervante concretum et ideo visum intuentis admittere reliquo igne caelesti lucem suam nimia subtilitate diffusam non subiciente conspectui.

Democritus innumeras stellas brevesque omnes quae spisso tractu in unum coactae spatiis quae angustissima interiacent opertis vicinae sibi undique et ideo passim diffusae lucis aspergine continuum iuncti luminis corpus ostendunt.

sed Posidonius cuius definitioni plurium consensus accessit ait lacteum caloris esse siderei infusionem quam ideo adverso zodiaco . . .

Posidonius ultimus ideoque priorum opinionum testis est. quod ex Achille Posidonianae doctrinae referto probamus. qui fabulas non ut ille reticet c. 24 p. 146 E Pet., sed Eratosthenis Mercurium μυθικώτερον [1] affert. tum p. 147 A pergit: ἄλλοι δὲ ἐκ τῆς συμβολῆς τῶν δύο ἡμισφαιρίων λέγουσιν αὐτὸν γεγονέναι. haec est quam Macrobius dicit Theophrasti opinio. credat cui lubet. equidem cum tantum ab Aristotele discipulum recessisse negem, potius fontis certissimum indicium teneo, unde physicorum opiniones deprompsit Posidonius. Diodorum supra tractavi p. 32, qui num suam an alienam opinionem proferat nescio. Democriti opinio propterea est memorabilis, quia Aristoteles Anaxagoram et Democritum minus accurate coniunxit meteorol. I 8 p. 345a 25. [2] sed praeter Macrobium etiam Achilles Democriti placitum celato nomine tangit p. 147 B ἄλλοι δὲ ἐκ μικρῶν πάνυ καὶ πεπυκνωμένων καὶ ἡμῖν δοκούντων ἡνῶσθαι διὰ τὸ διάστημα τὸ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἐπὶ τὴν γῆν ἀστέρων αὐτῶν εἶναί φασιν ὡς εἴ τις ἁλσὶ λεπτοῖς τε καὶ πολλοῖς καταπάσειέ τι. iam Placita componas III 1 6 Δημόκριτος πολλῶν καὶ μικρῶν καὶ συνεχῶν ἀστέρων συμφωτιζομένων ἀλλήλοις συναυγασμὸν διὰ τὴν πύκνωσιν. continuatur etiam hic § 8 ultimum Posidonii decretum, sed ita ut obscura latina verba ***caloris siderei infusionem*** melius intellegantur πυρὸς σύστασιν, ἄστρου μὲν μανωτέραν αὐγῆς δὲ πυκνοτέραν. Placita § 2 Pythagoreorum opiniones reddunt easdem quas Aristoteles l. c. p. 345a 16 affert. altera est: οἱ δὲ τὸν ἡλιακὸν ταύτῃ φασὶ κατ' ἀρχὰς γεγονέναι δρόμον. nomen discimus ex Achille p. 147 A ἕτεροι δέ φασιν ὧν ἐστι καὶ Οἰνοπίδης ὁ Χῖος ὅτι πρότερον κατὰ τούτου ἐφέρετο ὁ ἥλιος, διὰ δὲ τὰ Θυέστεια δεῖπνα ἀπεστράφη κτλ.

Manifestius est aliud exemplum Aristotelis per Posidonium propagati. in scholiis Arati v. 1091 p. 151, 17 Bekk. Pythagoreorum Democriti Anaxagorae Hippocratis de cometis opiniones recensentur. sine negotio Aristotelis,

[1] cf. schol. Arat. v. 476 p. 94, 4 B Ἐρατοσθένης δέ φησι μυθικῶς αὐτὸν διηγούμενος ὑπὸ τοῦ τῆς Ἥρας γάλακτος γεγενῆσθαι ἐκχυθέντος. ἤκουσε γὰρ παρὰ τοῦ Ἑρμοῦ ὅτι οὐκ ἴδιός ἐστιν. cf. Eratosth. carm. fr. II p. 6 Hill.

[2] quo iure Zellero posteriorum memoria de Democrito hoc Aristotelis loco niti videatur [I[4] 803[2]] frustra quaero.

qui citatur, meteor. I 6 sublecta adgnoscimus. sed proximus est Posidonius, ut cautione sit opus.[1] eodem modo Placitorum III 2 1. 2 Pythagorae et aliorum opiniones comprehendit ex eodem Aristotelis loco ut ex fonte repetendas. tamen hic certissime Posidonium possumus monstrare. nam in Arati scholio p. 152, 6 Ἱπποκράτης ὁ Πυθαγορικός nominatur. quod ex Aristotele scholiasta petere non potuit. sed eadem ratione Hippocratis opinio omisso nomine ab Aëtio Pythagoreis adnumeratur. Aristotelis Pythagorei sunt illi τινὲς μέν, Hippocrates ἄλλοι δέ. in scholio noviciae originis plura sunt indicia ut ξιφηφόροι ἀστέρες p. 151, 26, sed etiam in Placitis aperta. Hippocratis opinioni ad ἀνάκλασιν additur παραπλησίαν ταῖς κατοπτρικαῖς ἐμφάσεσιν. eodem exemplo utitur Posidonius apud Arati scholiastam p. 151, 28 ad Democriti placitum illustrandum.[2] denique de huius et Anaxagorae decreto apud Aristotelem simpliciter τοὺς κομήτας σύμφασιν τῶν πλανήτων ἀστέρων. in Placitis accuratius σύνοδον ἀστέρων δυεῖν ἢ καὶ πλειόνων, similiterque scholion κατὰ σύλληψιν [l. σύλλαμψιν] δύο πλανωμένων. multo maiorem in Posidonio opinionum fuisse copiam Achillis excerpta docent. p. 158 E τοὺς δὲ κομήτας καὶ τοὺς τοιούτους οἱ μὲν λέγουσιν ἐξ ἀστέρων συνερχομένων γίνεσθαι καὶ συμφωτιζομένων [vulgo ἐμφωτιζομένων, correxi cf. Plac. III 1 6, Democritus] οἱ δὲ ἐκ νεφῶν περιπεφωτισμένων [? Strato III 2 4], ἄλλοι δὲ ἐκ παρατρίψεως αὐτοὺς φωτίζεσθαι λέγουσιν. οὐ φαίνονται δὲ ἀεὶ ἀλλὰ γίνονται κατὰ περιόδους χρόνων [cf. III 2 1]. additur inepte capiti de cometis, quae in compendio continuabatur de nubibus ceteris doctrina p. 159 A.

Egregium specimen Posidonianae eruditionis ultimo loco proponam ex scholiis Arati ad v. 940 p. 136, 39—137, 14 Bekk.

Ἀναξιμένης δὲ τὴν ἶρίν φησι γίνεσθαι ἡνίκα ἂν ἐπιπέσωσιν αἱ τοῦ ἡλίου αὐγαὶ εἰς παχὺν καὶ πυκνὸν ἀέρα· ὅθεν τὸ μὲν πρότερον αὐτοῦ τοῦ ἡλίου φοινικοῦν φαίνεται διακαιόμενον ὑπὸ τῶν ἀκτίνων τὸ δὲ μέλαν κρατούμενον ὑπὸ τῆς ὑγρότητος. καὶ νυκτὸς δέ φησι γίνεσθαι τὴν ἶριν ἀπὸ τῆς σελήνης ἀλλ' οὐ πολλάκις διὰ τὸ μὴ πανσέληνον εἶναι διὰ παντὸς καὶ ἀσθενέστερον αὐτὴν φῶς ἔχειν τοῦ ἡλίου.	Plac. III 5 10 Ἀναξιμένης ἶριν γίνεσθαι κατ' αὐγασμὸν ἡλίου πρὸς νέφει πυκνῷ καὶ παχεῖ καὶ μέλανι παρὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὰς ἀκτῖνας εἰς τὸ πέραν διακόπτειν ἐπισυνισταμένας αὐτῷ Hippol. 7 8 ἶριν δὲ γεννᾶσθαι τῶν ἡλιακῶν αὐγῶν εἰς ἀέρα συνεστῶτα πιπτουσῶν.
Μητρόδωρος δὲ τὴν ἶριν αἰτιολογῶν φησιν· ὅταν ἐξ ἐναντίας τῷ ἡλίῳ	Plac. III 5 12 Μητρόδωρος ὅταν διὰ νεφῶν ἥλιος διαλάμψῃ τὸ μὲν νέ-

[1] quis fuerit Sporus, unde Posidoniana innotuerunt scholiastae p. 152, 10 [cf. p. 99, 24 supra p. 63[2]], doceri velim.

[2] cf. Alex. in meteorol. Aldin. 1527 p. 118a 52 οἱ δὲ περὶ Γεμῖνον [cf. supra p. 19[1]] καὶ Αἴλιον εἰς δεῖξιν τοῦ ἔκφασιν τὴν ἶριν εἶναι προσχρῶνται καὶ τῷ προσιόντων τε αὐτῇ δοκεῖν καὶ αὐτὴν προσιέναι καὶ ἀποχωρούντων ἀποχωρεῖν ὥσπερ ὁρᾶται ποιοῦντα καὶ τὰ ἐν τοῖς κατόπτροις ἐμφαινόμενα.

ἐνσταθῇ [f. συνσταθῇ cf. v. 11] νέφος πεπυκνωμένον, τηνικαῦτα ἐμπιπτούσης τῆς αὐγῆς τὸ νέφος κυανοῦν διὰ τὴν κρᾶσιν γίνεται τὸ δὲ περιφαινόμενον τῇ αὐγῇ φοινικοῦν τὸ δὲ ὂν κάτω λευκόν...

Ἀριστοτέλης δὲ κατοπτρικὴν ἐποιήσατο ἔμφασιν. πέφυκε γὰρ τοῦτο ἄσσειν [l. πάσχειν] τὴν ὄψιν προσπίπτουσαν τοῖς λείοις σώμασι καὶ κατακλωμένην καὶ ἀνακλωμένην κτλ.

φος κυανίζειν, τὴν δ' αὐγὴν ἐρυθραίνεσθαι.

Memoriam a Theophrasto — testis enim est Hippolytus — propositam simillime ad Posidonium Aëtiumque translatum vides. itaque si Placitorum totiens recentiorem colorem Stoicorumque notiones adgnovimus, Posidonianae disciplinae aliquid tribuendum esse auctoritatis in meteorologicis certum, in aliis veri simile videtur. nam ex Posidonii paucis reliquiis etiamsi excerptorum industriam arcessiveris plenam istius scholae imaginem instaurare vix ac ne vix quidem poteris. at hoc vel ex eis, quae modo contuli, clare apparet vetustorum Placitorum collectorem ex eodem seminario profectum esse unde Geminus Asclepiodotus Diodorus utilissimi excerptores et disciplinam acceperunt et collectam materiam.

Medicorum vetustorum opiniones Placitorum non minimum ornamentum non dubito quin simul cum ceteris capitibus ex vetusto thesauro translatae sint. ultimus est Asclepiades, cuius fama ipso vivo tanta erat ut ab homine medicinae curioso nullo modo posset praeteriri. sed priorum medicorum placita unde fluxerunt? Theophrastus in Opinionibus etiam de generatione animalium physicorum decreta collegit unde Anaximandri Anaxagorae Archelai placita in excerptis sunt residua. sed medicos num studiosius tractaverit perdubium est. nam ut ille physicos, ita Menon et ipse Aristotelis discipulus medicos in utilissimam syllogen congesserat, quam ad illius exemplar collectam esse Galenus quodammodo significare videtur cum post Theophrastei corporis laudes [cf. Theophr. fr. 5[a]] haec continuat ὥσπερ γε πάλιν εἰ τὰς τῶν παλαιῶν δόξας ἐθέλοις ἱστορῆσαι, πάρεστί σοι τὰς τῆς Ἰατρικῆς συναγωγῆς ἀναγνῶναι βίβλους ἐπιγεγραμμένας μὲν Ἀριστοτέλει, ὁμολογουμένας δὲ ὑπὸ τοῦ Μένωνος ὃς ἦν μαθητὴς αὐτοῦ γεγράφθαι, διὸ καὶ Μενώνεια προσαγορεύουσιν ἔνιοι ταυτὶ τὰ βιβλία. δῆλον δὲ ὅτι καὶ ὁ Μένων ἐκεῖνος ἀναζητήσας ἐπιμελῶς τὰ διασῳζόμενα κατ' αὐτὸν ἔτι τῶν παλαιῶν ἰατρῶν βιβλία, τὰς δόξας αὐτῶν ἐκεῖθεν ἀνελέξατο, τῶν δ' ἤδη διεφθαρμένων ... οὐχ ἠδύνατο γράψαι. oblitteratam huius libri memoriam [Rose Ar. ps. p. 385] nobis non concessum arbitror vanis coniecturis ex Placitis suscitare. iuvat tamen quibus auxiliis vetus collector uti potuerit non esse nescium. sed etiam postea a problematum scriptoribus eiusmodi medicorum breviaria confecta esse ut per se probabile est ita uno specimine confirmari potest, quod inter varia problemata in cod. Marciano 521 [cf.

supra p. 34] repperi. multa summa oculorum contentione legere mihi non contigit scriptura usquequaque evanida, non nulla non recte me explicasse veri simile, tamen cum non nihil novi appareat inventum nostrum qualecumque est dissimulare noluimus. quare hoc tibi habe anecdoton Venetum, doxographi apud medicos miserum specimen, de cuius origine fors sit an meliore libro reperto accuratiora doceamur.

Marc. 521 f. 100r sq.

πόθεν ἐκκρίνεται σπέρμα.

ἐκκρίνεται τὸ σπέρμα ὥσπερ Πλάτων φησὶ καὶ Διοκλῆς ἀπ' ἐγκεφάλου καὶ νωτιαίου. cf. Aët. V 3 4.

Πραξαγόρας δὲ καὶ Δημόκριτος ⟨ἔτι?⟩ τε Ἱπποκράτης ἐξ ὅλου σπέρματος [l. σώματος]. Aët. V 3 5.

δόξα Δημοκρίτου περὶ σπέρματος.

Ὁ μὲν Δημόκριτος λέγων [? λέγει] ἄνθρωπος . . . .

ὁ δὲ Ἱπποκράτης φησίν· ἡ ἡδονὴ [l. γονὴ cf. Hipp. VII 474L. I 374, 9 K.] πανταχόθεν ἔρχεται τοῦ σώματος, ἀπὸ μὲν τῶν ὑγιῶν ὑγιής, ἀπὸ δὲ τῶν νοσερῶν νοσερά.

δόξα τῶν Στωικῶν περὶ σπέρματος.

Τὸ σπέρμα ἐστὶ κατὰ μὲν τοὺς Στωικοὺς ὃ μεθίησι τὸ ζῷον ὑγρὸν μετὰ πνεύματος καὶ ψυχῆς [cf. Arius Did. fr. phys. 39]. κατὰ δὲ Ἀσκληπιάδην τὸ ἐν ταῖς ἀφροδισίαις συνουσίαις ἐκκρινόμενον γεννητικὸν ὑγρόν.

secuntur tituli:

ὅτι σπερμαίνει τὸ θῆλυ. Aët. V 5

τίνι διαφέρει σπέρμα γόνου

ὅτι αἰτίαι [?] ἀγονίας. Aët. V 13

εἰ μέρος ἐστὶ τῆς κυούσης τὸ κυούμενον

διὰ τί οὐ διὰ στόματος τὸ ἔμβρυον τρέφεται. Aët. V 16

εἰ ζῷον τὸ κατὰ γαστρός. Aët. V 15

. . . Ἀσκληπιάδης δὲ οὔτε ζῷον οὔτε μὴ ζῷον εἶπε τὸ ἔμβρυον ἀλλ' ὅμοιον ἔφησεν αὐτὸ τοῖς κοιμωμένοις

πότε ἄρρεν γίγνεται πότε θῆλυ. Aët. V 7

πῶς γίγνεται δίδυμα

πῶς γίγνεται ⟨τέρατα? Aët. V 8⟩

διὰ ποίαν αἰτίαν τῶν ἑπταμήνων ἀγόνων ὄντων τὰ ὀκτάμηνα ἄγονά ἐστιν. [Aët. V 18

τίς αἰτία συλλήψεως. Aët. V 16.

XVIII DE GALENI HISTORIA PHILOSOPHA

Ut de Galeni Historia philosopha recte iudicare potuerim [de Galeni H. ph. Bonn. 1870] [1], Curtii Wachsmuthii acceptum refero comitati, qui specimen optimi codicis Laurentiani A a p. 222 ad 274 ed. Kuehn. a se

[1] quae iam disputaturus sum ex illa dissertatione ita repetita esse scito, ut priora mea argumenta vel supplendo vel retractando paulo uberiora facerem.

conlati mecum communicaverat. ipse totum ante sex annos denuo contuli potioremque discrepantiam huic editioni subieci.

Laur. 74, 3 A Laurentianus LXXIV 3 membraneus forma maiore continet Galeni varia scripta [cf. Bandinii catal. III 49. I. Mueller ad Gal. optim. med. p. 13 ed. II. I. Marquardt observ. crit. in Gal. d. anim. passion. p. 11]. Galeni historia philosopha inde a fol. 171ᵛ exarata est. codicis aetatem Bandinius saeculo XII circumscripsit. ad proximi initium deprimere malebat Wachsmuthius, haud scio an immerito quia neglegentia librariorum proximo saeculo interdum praeludit. scripturae enim ductus artem produnt nullam, notae compendiaque creberrima, membrana rugosa ac subfusca nonnullis paginis rescriptis [ff. 188ᵛ 189ʳᵛ 190ʳᵛ], denique omnia ad legendum impeditissima. constat hunc codicem et vetustate et fide ceteris facile praestare. est autem ex archetypo incredibili corruptione quasi pereso aliquot exemplis intercedentibus a stupido scriba descriptus servatis lacunarum plerumque spatiis, servatis etiam illis vocum sententiarumque monstris quibus quid conferri possit frustra quaero. inde mihi adnotationum silva plerumque inutilis succrevit, quae ne infinita esset usitata itacismi vitia et huiuscemodi prope innumera praecidi. contempsi igitur Byzantinorum illam Ἐπικουρίων, Πυθαγορίων paene constantem memoriam [cf. Lobeckii Aiac. p. 113 et Cobeti Var. Lect.² p. xxviii], nec magis ἐλαίατην κλητόμαχον κιανοῦν vel κοιανοῦν ἠθηκήν notavi. pervulgaris est vocalium brevium pinguior appellatio, ut ἔλονται coniunctivus sit, πειρόμεθα πειρώμεθα, ὁρισμένον ὡρισμένον, ἵππον ἵππων sonet. eadem soni pinguedine liquidarum geminationem efferunt Graeculi (idem Italis mos contrarius nostro), unde ὑπειλημένος διηλαγμένον ἀντίρησις Πόρωνι et cetera crebra sunt. alio pertinet quod spiritus vis minus aspera ac prope nulla, ut αἵρεσις sit αἶρεσις ac quod peius est κατ' ἕξιν et κατ' εἱμαρμένην nihil offensionis praebeat. consonantis β sonus non numquam ad vocalem emollitur, unde Democritus et in aliis codicibus et in nostro constanter Αὐδηρίτης nominetur. ut omnia haec vitia ex prava pronuntiandi consuetudine nascuntur, ita aliud genus non minus frequens ex male scribendo. breviandi studium ex archetypo tralatum mire auctum est. sigla et compendia non modo frequentia sunt maxime in versu extremo, sed obscuriora quoque, ut idem apex et ην et ων et ης significat, ος et ον nullo discrimine differant. nonnulla de his vitiis recentiore manu (XVI saeculi si bene memini) correcta sunt, sed raro et leviter. eadem manus scholion capiti 121 adscripsit.

Laur. 58, 2 B Alterum contuli Laurentianum, quem B nomino, plut. LVIII 2. chartaceus est forma maxima, saeculo XV satis nitide exaratus. continet inter varia Ios. Rhacendytae, Theodosii, Lascaris Procli Aristotelis Libanii scripta quarto loco a f. 78ᵛ Galeni Historiam philosopham. capitum initia litteris rubris ornaturus erat librarius, quod non perfecit. caverat tamen vicariis litterulis summae orae adpositis ne sensus desideraretur. partim earum bibliopegae culpa recisae sunt. hic quoque liber per varia

exempla ex eo archetypo deductus est, unde Laur. A dixi. quod tam est manifestum, neminem ut fallere possit. eadem certe indoctae aetatis indicia, eadem compendiorum confusio, eadem monstra, iidem denique hiatus, ut vitiatam mancam oblitteratam archetypi exempli formam animo velut instaurare possis. nec tamen alter codex sua laude caret. emendationes non paucae virorum doctorum nunc codicis fide confirmantur, totidem novae emergunt. quin etiam lacunae explentur p. 243. 333 K. non numquam aliquanto integrior apparet archetypi memoria qua ad verum pervenias. omnino multo maior esset libri utilitas, nisi aperta recentioris interpolationis vestigia proderet, qua quidem labe prior codex A caret. titulus ut hoc utar quem A habet περὶ φιλοσόφου ἱστορίας deflectitur in περὶ φιλοσόφων ἱστορίας. c. 18 p. 243 est in A ὁ δημόκριτος ἐν τοῖς σοφικοῖς, ubi Sexto comparato Ὀνομάκριτος ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς restitutum est. quid vero B? ὁ Δημόκριτος ἐν τοῖς σοφιστικοῖς prona nimirum coniectura, qua Itali quoque principis editionis auctores usi sunt. in capitum inscriptiones licenter grassatur modo novas fingendo modo contextus verba pro titulo praefigendo [c. 2 p. 225]. sed hoc sine noxa. illud molestius quod quidquid offensionis vel obscuritatis occurrit fucata medicina quomodocunque resarcire studet. est ubi recte coniectum sit, plerumque in quemlibet sensum mendosa verba sunt detorta. cavendum igitur ne improbi hominis lenocinia fucum faciant.

Tertium codicem Baroccianum monstraverat Ch. Darembergius [notices et extraits des manuscrits médicaux I p. 18]. est n. CXXXI bombycinus, ut fertur, forma maiore saec. XIV. Γαληνοῦ περὶ φιλοσόφου ἱστορίας incipit a f. 343. nihili eum faciendum esse ex specimine Ingrami Bywateri Oxoniensis benevolentia accepto iudicaveram d. Gal. H. ph. p. 5 ubi tamen Laurentiani A eum apographum esse non recte conieci. immo plurimae lectiones cum Laur. B faciunt, raro velut in libri titulo alterius est similior. Baroccianus

Alteri codicum generi adscribendus est etiam is liber, quem Nicolaus Reginus a Roberto Aniovensi Siciliae rege acceperat donatum olim ab Andronico Palaeologo [cf. I. Mueller ad Gal. de plac. Hipp. et Plat. p. 2 [5]]. ex eo codice Nicolaus medicus cum alia Galeni scripta, quae accuratissime Maximilianus Bonnetus de Galeni subfiguratione empirica p. 1 enumerat, tum '*de ystoria philosophorum*' verterat, quam versionem cognovimus ex editione operum *Galieni sec. impr. edita per Hieronymum Surianum* Venet. 1502 p. II p. 574—580, ubi haec subscripta sunt: *explicit liber Galieni de ystoria philosophorum sive de dogmatibus translatus a magistro Nicolao de regio de calabria anno domini 1341 de mense aprilis in die nona.* Nicolai versio valde mutila est. multa capita ut logica quaedam in singulorum saepe versuum angustias contraxit et in posterioribus id breviandi studium etiam augetur. prorsus omissa sunt cc. 19 26 35 48 50 51 60—63 65 71 73 92 93 100—102 131. non numquam ordo capitum turbatus est, ut cc. 13 14 post 21 collocantur, postrema capita Nicolai codex N

confusa sunt. interdum ex scholastica lectione aliquid proprii adspersum est, velut c. *de denominationibus philosophorum* verae formae [c. 4] nihil nisi umbram refert. nec minus abhorret caput *de demonstrativa parte philosophiae seu de syllogizationibus.* ipsa versio barbara illa oratione insignis est, qua plerique omnes ante renatas litteras graeca latine reddere solebant. verbum verbo, particula particulae respondet tam accurate, ut nisi graeca restituas, quid sibi velit saepe numero ne intellegas quidem. omnino valet quod interpres ipse de sua ratione *in prohemio traductoris ad gloriosissimum Hierusalem et Siciliae regem Robertum* dicit libro Myamir praefatus: *ego Nicolaus de Regio medicus fidelis et subditus vester iuxta mandatum vestrum de graeco idiomate in latinum transtuli nihil addens minuens vel permutans* [cf. Bonnet p. 4]. tamen non numquam quae minus intellegeret omisisse videtur ut c. 2 p. 224 χρηστοήθη corruptam vocem similiaque alia. praecipue propriis nominibus horrida saepe barbarie in libris depravatis *alios* substituere amat. nec desunt loci ad arbitrium immutati. sed cave iniquius de Nicolao iudicaveris.[1] primum non ipsius scriptionem habemus sed Italorum neglegentissime descripta exempla. velut *vultum* impressum pro *miletum,* nec vernaculae loquelae vitia vitantur velut *discetaverunt* pro *disceptaverunt.* tum quia in ceteris interpretis fides satis probata est [Bonnet p. 5. 41, 20], mancum et interpolatum ei graecum exemplar fuisse suo iure aliquis suspicetur. sed pro certo nihil affirmaverim. Nicolai graecus codex simillimus fuit B. nec desunt antiquioris memoriae quamvis tenuissima vestigia. nimirum quod c. 29 μίξεις in AB omissum restituit non recondita opus erat doctrina, sed exquisitius erat c. 5 l. 15 ex corrupto εἰς δὲ (sic AB) coniectando εἰσὶ δ' οἳ elicere vel c. 7 p. 234 ἔνδειγμα in ἓν δόγμα emendare, quod utrumque Usenerus quoque invenit. quare quod c. 8 p. 235 vitiose tradebatur κατὰ μὲν ἰσωκράτη duce Nicolao qui vertit *secundum zenocratem* κατὰ Ξενοκράτη refinxi, quod ex Martiano (perperam servata μέν particula) olim Charterius correxerat. ceteroqui non magna utilitas inde redundat, sed ut lecturi ipsi iudicare possent, priori libri parti Nicolai selectam discrepantiam adicere placuit. optandum vero est, graecus ille Roberti codex ut forte fortuna ex abditis cuiusdam bibliothecae recessibus protrahatur non tam ob Historiam philosopham quam ob Hypotyposin empiricam Galeni simul illinc prodituram.

Verum enim vero Lacunae graecum exemplum unde ille spretis priorum vanis conatibus Historiam philosopham se instaurasse ac latine reddidisse iactat, quanto magis expetendum est ut aliquando inveniatur! audite enim quae is in prooemio f. 6ᵛ suae versionis (Colon. 1543) proferat: *mihi vero,* inquit, *praeter Basileense atque Aldinum exemplar, quae (ut constat) sunt mille mendis contaminata etiam obtigit tertium manu conscriptum, idemque iam vetustate consumptum: cuius mihi (etsi non facile)*

[1] quod fecit Wachsmuthius Goett. gel. anz. 1871 p. 704.

copiam fecit, dum Caesar anno 1539 esset Gandavi, Hadrianus a Corone vir ille natione Graecus eruditissimus. quod exemplar sedulo moliebatur suadere propria Galeni manu exaratum fuisse. nactus igitur tandem, vix multis precibus, in dies aliquot id multo emaculatius exemplar opus ipsum quam fidelissime fieri potuit, converti adhibitis etiam in studium aliis codicibus quae excusa inter studiosorum manus versantur'. en magna Graeculi verba, maior autem Lacunae sive credulitas sive audacia. nam ipsa versione ad amussim examinata nimiisque verborum ampullis atque involucris remotis, quid tandem invenies? utiles lectiones quaeque meliori codici fortasse debentur (sed ne id quidem certum) paucissimas[1], multo saepius veteres editionum priorum sordes[2] incredibili pertinacia recoctas. quid? quod Basileensis editionis certissimas emendationes (velut c. 3 p. 228 Parmenidis falsum nomen illic ad marginem in Μενέδημον correctum et alia) prae Galeni scilicet autographo aspernatus est. quid igitur de mirifico illo Hadriani codice? mentitumne credamus Lacunam medicum celeberrimum ac dignitate apud potentissimos illius aetatis Carolum V et Iulium III papam florentissimum? an Hadrianum ignotum hominem et ex Simonidarum Minarumque patria prognatum crimine falsi postulabimus? nolo causam incertam coniecturis diiudicare, praesertim cum de similis praestantiae codice Dioscoridis, quem unus Lacuna usurpavit, nihil habeam compertum.[3] si Graeculi fraudibus deceptus est, ne nimis irrideamus eius credulitatem. nam tanta fuit illius aetatis in manuscriptorum aetatibus iudicandis imperitia, ut codices saeculo vix superiores infularum loco haberentur. quid mirum si aequalem fortasse Laurentiani A venerandae vetustatis censebant atque Galeni si dis placet idiographum? quare non opus est Hadrianum incusare quod antiquos apices imitatus ipse mirificum codicem fabricatus sit, etsi *antiquarii* illius artificii non ignari solebant esse. sed qualiscunque fuit iste codex, non inutilis fuit Lacunae, quippe quo Martiani Rotae audaciam et interpolationem perspiceret, quae ceteris deinceps editoribus fraudi fuit.

Quod nunc de compluribus Galeni libris constat praeter principem nullum editorem manu scriptorum auxilium adhibuisse, idem de Historia philosopha dissertationis priore parte olim demonstrare studui. nunc do-

---

[1] ut exempla proferam c. 2 p. 224 σαφέστερον ut ipse conieceram omittit, c. 1 p. 223 διαγνωστικήν olim omissum addit *(exploratricem)*, c. 2 p. 224 χρηστοήθη vertit *ingenia et mores excoleremus*. c. 2 extr. ἐπὶ ταὐτά pro ταῦτα *(similiter)*. optimam emendationem (c. 35 Diagoras omissa patriae nomine restituitur) non ex codice, sed ex Ciceronis memoria quam ipse adnotat reduxit.

[2] excerpo graviora quaedam: c. 1 τιμίων retinuit ed. princ. mendum, c. 2 σποράδην cum edd. prior. omisit, c. 3 p. 227 ἐρετρικήν et 2 p. 229 εἴδη cum Basileensi, c. 3 p. 226 Crantes cum edd. prior.

[3] Sprengel praef. ad Dioscorid. I p. XIX *eximius fuit et ab omnibus diversus* (!) *codex quem in egregiis emendationibus sequutus est Andr. Lacuna Segoviensis Iulii III pontificis maximi medicus. copiam eius fecit Io. Paccius Castrensis, sed ubi iam lateat plane nescimus. probabile est in Vaticana servari.* valde dubito.

cumenta illa novis non nullis stabilire, de versionibus autem secundum C. Wachsmuthii diligentissimum examen [Goetting. gel. anz. 1871 p. 701 sq.] accuratius retractare placet.

Primum edita est Galeni Historia inter Aristotelis opera ab Aldo Manutio vulgata [t. II Venetiis 1497 fol. 11ᵛ—30ᵛ] duodetriginta annis prius quam magna omnes Galeni libros complectens editio ab Aldis vulgari coepta est. quod descriptam principem ex A olim dixeram, id dum ipse codicem tracto luculentis indiciis comprobatum repperi. nam praeter summam lectionum similitudinem compendiorumque falsam explicationem, quam ex gemello codicis A aegre quis repetat, fortuita apparent vitia, quarum causa nisi inde perspici non possit. unum est νοσεῖ νοσήμασι [cf. ad c. 3 p. 226], iam antea a me recte usurpatum, alterum exstat c. 88 p. 299, ubi A ὁριν (with ϛ written above) litteris claris exhibet, quod a typotheta pellucente per membranam litterulae in averso folio scriptae umbra θερινῆς lectum est. similiter c. 35 p. 250 ante κατὰ σώματα lacuna est temere indicata. nimirum quia charta illic fissa est, scriptor codicis A versum unum intermisit. quod ter quaterve voculas minutas easdem quas B praetermisit aut cum B in coniecturis consentit [cf. supra p. 235, 13], in tanta conspirationis constantia casui est tribuendum. nam Venetum exemplum tam festinanter incusum est ut haud paucae voces nec leviores tantum aut plane omitterentur aut pravissime describerentur. correctum est fere nihil praeter itacismos paucaque alia menda ut οὐχ ὁμοίως pro librorum lectione οὐκ ὡμοῖς vel Πλάτων pro πάντων.

Altera Historiae editio collectis tum Galeni libris inserta est Γαληνοῦ Δ′ *Galeni librorum parti quartae* .... p. III f. 28ʳ—35ʳ. subscribitur f. 55ᵛ *Venetiis Aldi et Andreae Asulani soceri, mense Augusto M. D. XXV.* privilegium Clementis VII datum est *Romae apud S. Petr. sub annulo piscat. die XXVII. Ianuarii MDXXV.* in emaculandis scriptoris verbis parum est profectum. A. Asulanus et Io. Bapt. Opizo, cuius maior fuit in ornanda editione cura, principis editionis tam anxie secuti sunt vestigia, ut ea saltem quibus caeci impingerentur, at ne ea quidem omnia, levigarent, reliquas nec minores profecto sordes intactas propagarent: nec correcta vituperatione exempta sunt. complura a nobis olim castigata, nihil magis ridiculum quam quod Protagoram Elidensem ex ὡς Περιαγόραν τὸν ἠλεῖον (scribendum est ὥσπερ· Διαγόραν τὸν Ἠλεῖον) infelicissime effinxerunt. nihilo tamen setius Aldina — nam Manutii Veneta anni 1497 non minus in oblivionem venit quam ipse cod. Laur. A — posteris tanquam certissimae fidei fundamentum fuit, unde cum ceteris inventis Protagoram per omnes deinceps editiones propagatum vides.

Paulo melius res cessit Ioach. Camerario, qui Andr. Cratandro Galeni editionem paranti tomos III et IV recensuit. Historia philosopha inest in Γαληνοῦ Δ′. Galeni librorum parte quarta Basileae 1538 fol. p. 424—438. adscita primus vicinarum scriptionum varietate, quam

passim praefixa notula *al'* vel *ex Plut.* indicare solet,[1] multa docte et prudenter correxit velut εὐπειθείας c. 1 p. 223, Μενέδημος pro Παρμενίδης c. 3 p. 228, πρόσκλισιν c. 7 p. 233, Δικαίαρχος c. 24, alia minus feliciter. tamen ille nec codicem umquam consuluit neque omnino a superioris editionis auctoritate nisi coactus recessit.

Post mutilam barbaramque Nicolai versionem cum elegantiorem cultior iam aetas desideraret, Iulius Martianus Rota Venetus medicus eruditissimus novam condidit versionem limatissimam eandemque interpolatissimam. nam quem verecunde Camerarius arcessiverat Plutarchum, hunc iam integrum fere invito Galeno inculcavit. quibus lenociniis effectum est, vix ut pristina libelli exilitas adgnosceretur. de hac ratione nemo verius iudicavit quam Lacuna, qui in epistula nuncupatoria suae versioni praemissa f. 6ʳ *postea autem,* inquit, *Martianus Rota vir in Latinis et Graecis literis citra controversiam doctissimus, admolitus manus negotio, sequutus est tralationem veterem, eamque longe elegantiorem reddidit, adiutus interim Graecis codicibus, excusis quidem illis, sed mendacissime* [l. *mendosissime*]. *Quare coactus interdum fuit divinare: interdum, obtruncata exemplaria, ex suis hortulis* [intercidit *irrigare et*] *(quamquam philosophica et optima) plurima haud dubie interserere, quae nusquam apud Galenum extant: id quod minime fidum decet interpretem.* sed ut improbam fraudem extrinsecus inlatam mittam, in germano Galeno ubi aliunde nihil suppetebat auxilii non nulla ita emendata vel expleta sunt, ut codicem bonum ad manum fuisse magna cum veri similitudine aliquis coniciat. velut c. 2 p. 224 ubi ed. princ. ceteraeque σποράδην ante εἰρημένα omisit, nonne mirum a Martiano Rota *sparsim et fuse dicta* novatum esse? aut unde in priorum lectione κατὰ μὲν Ἰσοκράτη c. 8 p. 235 Xenocratem odoratus est nisi ex codice manu scripto? at is Nicolai exemplari simillimus fuit ut ovum ovo sive potius plane idem. ne multa, ipsam Nicolai versionem, non codicem inspexerat, id quod idem Lacuna breviter significaverat. ex Nicolao igitur cum Xenocratem suum et omissa illa verba arripuit tum capitula quaedam quae illuc aliunde inlata esse dixi non sine arte in suum usum convertit. velut ex c. 4 non solum Pythagorae mentionem transtulit, sed etiam extremo capite prolixiorem de Aristippi summo bono disputationem e Philopono arcessitam amplificavit. ordinem capitum turbatum esse Martianum Rotam acutum hominem non fugerat, itaque suo marte transposuit, sed qua solet licentia omnia sursum deorsum.

In latina Galeni editione quae Venetiis 1562 apud Vincentium Valgrisium prodiit, inter complures eiusdem interpretis versiones editur (Galeno adscr. libr. p. 5): *Galeno attributus liber de historia philosophica: Io. Baptista Rasario interprete.* hoc munere haud inscite functus est ille, qui medicus fuit idemque graecarum latinarumque litterarum professor

---

[1] parti IV praefatus '*in uno,* inquit, *et altero libello* τῶν νόθων *scriptis adiuti sumus eiusdem argumenti aliorum ut in Dogmatis et astrologicis*'.

Ticinensis. ex Plutarcho hunc librum fere totum sumptum esse recte perspexerat, cuius discrepantiam passim margini adscripsit [cf. Wachsmuth l. c. p. 706]. nec tamen Rotae versionis qualis esset natura intellegere aut voluit aut potuit. nam quamquam de eius fide dubitasse videtur, tamen in gravissimo quoque loco recedere ab eius auctoritate non ausus est. in prioribus quidem rara natat aliarum quoque editionum memoria, at in ceteris prorsus est Martiani mancipium. adeo illius artes etiam aequales ac fraudis conscios homines praegravabant.

Saeculo interiecto cum Charterius magnum Hippocratis et Galeni scriptorum corpus condere coepisset, Rotae fraudulentum opus ita inveteravit, ut ab hoc potissimum proficiscendum esse sibi arbitraretur. inest Historia philosopha tom. II p. 21—58 (*Hippocratis Coi et Claudii Galeni Pergameni Archiatrων opera. Renatus Charterius graece et latine primus edidit Lutetiae Parisiorum 1679.* forma maxima). cum ad complendam Basileensem editionem, unde Charteriana fere descripta est, nihil valerent codices Parisini quibus in ceteris libris utitur, Rotae inventa graece versa traditae memoriae immiscuit. quod negotium in Plutarcheis sane capitibus prospere cessit cum vulgatam memoriam Placitorum sequeretur, molestius in Rotae interpolatis, quae aut in artum rediguntur (velut de septem ineptissimis Rotae itemque Rasarii syllogismis c. 15 duo remittuntur) aut aperta noviciae fabricae signa produnt. ut Rotae verba c. 4 *non illam sensuum motione excitatam dulcedinem sed eum animi statum, qui molestiae sit expers nec ullis illecebris mulceatur* sic graeca veste induuntur: μηδὲ τὴν ἐκ τῶν αἰσθήσεων ἐνέργειας [sic] ἡδονήν, ἀλλὰ δὲ [sic] τὴν τῆς ψυχῆς διάθεσιν δι' ἧς [fuit δ' ἧς] γίνεταί τις ἀνάλγητος καὶ δυσγοήτευτος [hoc ex Platonis rep. 3 p. 413 E]. iam tibi componam interpolationis fontem Io. Philoponum (Brand. schol. p. 35ᵇ 8) οὐχ ἡδονὴν δὲ ταύτην ἣν ὑπολαμβάνουσιν οἱ πολλοί, λέγω δὴ τὴν παθητικήν, ἀλλὰ τὴν πολλὴν τῆς ψυχῆς ἀπάθειαν, [1] quo facilius intellegatur quantum distent aera lupinis. perraro a Rota suo recessit et ex arbitrio novavit. ex Plutarcho II 19 adscripsit versus, ex Stobaeo (vulgato nimirum post Rotam anno 1575) ideae notionem amplificavit: αἰτία τῶν οἷά ἐστιν αὐτὴ καὶ παράδειγμα τῶν κατὰ φύσιν ἐχόντων αἰσθητῶν ὑποστάσεων, ubi ne reconditiorem doctrinam rimeris, Canterianae menda fideliter translata moneo. at enim uno loco plane propria ac sua sapientia enitescit, quae ne intereat huc subiciam [2]. quis fuit audaculus ille qui nugas istas venditare auderet? Charterium quidem non accuso. sed fuit fortasse *Petrus Comes iunior*

---

[1] Martianus Rota Nicolao nititur qui verterat: *et intellegebat delectationem non illam passivam sed omnimodam* [videtur legisse πᾶσαν] *animae impassibilitatem* ceterum cf. Diog. IX 45.

[2] p. 343 K. Πυθαγόρας φησὶ τὰς νόσους γίνεσθαι τοῦ σώματος διὰ τὸ θερμότερον ἢ κρυμωδέστερον γίνεσθαι τὸ σῶμα. τὸ μὲν γὰρ θερμότερόν ἐστι τὸ πλέον τῷ μετρίῳ [sic] τὸ δὲ κρυμωδέστερον ἔλασσον τοῦτο [sic].

quem ille in orat. ad ampl. Paris. med. ord. f. 5 ita laudavit: *vir sapientissimus Petrus Comes iunior in eum librum Galeno ascriptum, ac de Philosophi historia inscriptum, suas lucubrationes attulit.* quisquis fuit, hoc extra omnem dubitationis aleam positum, Galeni codicis usum Charterio fuisse nullum, quod de aliis quoque scriptis nunc constat. [cf. I. Muelleri Galen. de plac. H. et Pl. p. 42]. ceterum ipse nescio qua verecundia ductus non nullos locos ex Martiani Rotae auctoritate additos litterarum genere diverso distinxit. quidquid igitur emendatius legitur in eius exemplo aut ipsi aut Rotae ingenio debetur. utrius, nec facile ubique erat ad diiudicandum nec sine molestia ad indicandum. quare promiscua est in nostra editione Charterii et Martiani Rotae memoria.

Possum hic subsistere in codicibus et editionibus quas quidem vidi recensendis. nam quid attinet Iuntinarum ac Frobenianarum paene infinitam seriem perlustrare, quae Rotae versionem repetunt, [1] aut Kuehnii exemplum ex Charteriana apice tenus exscriptum [2] iusta reprehensione notare? hoc enim ex eis quae disputata sunt constare puto, ex archetypo haud vetusto eodemque mendosissimo quattuor exempla transcripta esse, ac fidelius quidem Laur. A, peritius sed interpolate Laur. B, eiusdemque generis esse et Baroccianum et Nicolai truncatum et interpolatum exemplar. Lacunae sive Hadriani codex qualis fuerit vix ac ne vix quidem ex eius versione enucleari potest. itaque codicibus AB ita superstruximus nostram editionem, ut ex consensu AB archetypi formam refingeremus, discrepantibus eis vetustioris fere libri A auctoritatem tueremur. praeterea in prioribus capitibus secundarium tribui locum selectis N(icolai) lectionibus, de quibus antea monui. coniecturarum unde huic libri parti maxima petenda erat salus quidquid innotuit adhibui. editionum ut a Laur. A pendentium rationem habui nullam, nisi quod excerpsi si quae erant potiores emendationes. de posteriore parte Plutarchea dixi p. 12 sqq. et 43.

Historia philosopha ex eo litterarum genere est quod ὑπομνήματα σχολικά Graeci nominabant [cf. Lehrs de Aristarch.[2] p. 21]. id cum ex

---

[1] in posterioribus Iuntinae editionibus sub titulo *Galeni liber de historia philosophica Iulio Martiano interprete* haec est docta cuiusdam adnotatio: *hunc librum Galeni esse cum satis non constet, videndum num fortasse sit Aetii. Theodoretus enim lib.* II § 4 *de curatione graecarum affectionum scribit Plutarchum et Aetium collectanea de placitis philosophorum edidisse, Porphyrium vero non modo philosophicam eiusce generis confecisse historiam, verum etiam opinionibus vitam ac mores philosophorum adiunxisse. Quare cum Plutarchi liber habeatur, hic autem Porphyrio (quem fortasse Laertius est imitatus) tribui non queat, fit, ut Aetius potius quam ulli alteri adscribendus videatur. Nisi forte quis putet eo quod hic et apud Plutarchum eadem saepe verba legantur ex utroque fuisse congestum.*

[2] historia philosopha est in t. XIX p. 222—245. Kuehnius, qui prioribus sui corporis voluminibus manum subinde admovit quamvis parum felicem, postremo urgenti typothetae ne inspectas quidem Charterianae plagulas typis describendas tradidisse fertur. neque aliter explicari potest, quod editio ambitiose suscepta tam misere absoluta est.

tota scriptionis forma patescat tum ipse commentarii scriptor non obscure prodit. velut c. 2 προὐθέμεθα δέ, inquit, διαλεχθῆναι περὶ τούτου οὐδὲν μὲν ἴδιον εὑρηκότες, τὰ δὲ παρὰ τοῖς προτέροις σποράδην εἰρημένα συναγαγόντες, σαφῶς τε καὶ συντόμως σπουδάσαντες περὶ τούτου διαλεχθῆναι, ἵνα οἱ φιλομαθεῖς τούτοις προεντυγχάνοντες μὴ δέοιντο τῶν ἐξηγουμένων ἀλλὰ δι' ἑαυτῶν γιγνώσκοιεν τὰ καθ' ἕκαστα τῶν εἰρημένων σαφέστερον. ac paulo infra ἁπλουστέρως δὲ ὅσα παρὰ τῶν πεπαιδευκότων ἡμᾶς ἀκηκόαμεν καὶ δι' ἀναγνωσμάτων ἐμάθομεν νῦν συνάγειν ἐπιχειρήσομεν. discipulorum igitur usui haec chrestomathia destinata erat, qua viam ad physica muniturus scriptor primum de philosophiae inventione successionibus nominibus vi partibus sectis quam brevissime praefatus [c. 1—8] tum *brevi ex dialectica libamento*, ut ait Gellius, interiecto [c. 9—15] ipsam de physicis disputationem ingreditur. anxie cautum est ne compendii brevitas superaretur c. 24 ἵνα μὴ τὸν τῆς εἰσαγωγῆς τρόπον ὑπερβαίνειν δοκῶμεν, neve libri συμμετρία laederetur c. 16 ἐνταῦθα δὲ ἡμεῖς συντομώτατα περὶ τούτων διαλεχθέντες ἐν συμμετρίᾳ καὶ ἐπὶ τὰ φυσικώτερα χωρήσομεν.[1] qua ratione sperat factum iri ut tirones initiandi [τοῖς πρῶτα μαθοῦσιν] citissime philosophi colorem ducant nec interpretum ullo auxilio egeant. ne ille regiam ad sapientiam viam, quam antiqui negabant, felicissime invenit. at quae sapientia quam humilis quam fucata quam undique corrasa, ut miselli magistri vanam iactationem illico perspicias. nihilo setius non ostentandi voto, sed docendi studio hunc laborem se suscepisse praedicat c. 2 ἀσφαλέστερον δὲ πειρώμεθα περὶ τούτου εἰπεῖν τὰ σοφιστικὰ καὶ πάνυ κεκοσμημένα τῶν διαλεκτικῶν παρεληλυθότες. οὐ γὰρ ἐπιδείξεως ἕνεκα[2] προὐστησάμεθα τὴν περὶ τούτου σπουδήν, ἀλλὰ χρηστὰ τὰ ἤθη ποιῆσαι βουληθέντες τοῖς ἐκ φιλοσοφίας λαβεῖν τι χρήσιμον προεγνωκόσιν νομίσαντες φιλοσοφεῖν οὐ μόνον τοὺς τὰ τριβώνια περιημμένους, ἀλλὰ καὶ τοὺς τὴν πρόοδον μὲν τοῖς πολλοῖς ὁμοίαν ἐνστησαμένους, τὴν δὲ διάνοιαν φιλοσοφωτέραν ἔχειν σπουδάσαντας. similiter c. 16 καὶ περὶ τούτου δυνατοὶ εἶναι νομίζομεν λέγειν τι. σπουδάζομεν γὰρ ἐγνωκέναι ταῦτα καὶ τοῖς ἄλλοις ἀνεπίφθονον εἶναι νομίζομεν ἐμφανῆ καθιστάναι. en magnum os insulsissimi cerdonis, qui sua aliena intellecta non intellecta gravia futtilia pari confidentia effutire solet. nos vero non admodum dolebimus, quod eiusdem compilatoris logicam

[1] similiter praefatur Porphyrius schol. Arist. p. 1 a 5 Br. σύντομόν σοι παράδοσιν ποιούμενος παιράσομαι διὰ βραχέων ὥσπερ ἐν εἰσαγωγῆς τρόπῳ τὰ παρὰ τοῖς πρεσβυτέροις ἐπελθεῖν, τῶν μὲν βαθυτέρων ἀπεχόμενος ζητημάτων, τῶν δὲ ἁπλουστέρων συμμέτρως στοχαζόμενος. isagogarum scholis creberrimus est usus. sic, ut pauca delibem, Gell. XVI 8 1 *cum in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus, necessus fuit adire atque cognoscere quas vocant dialectici* εἰσαγωγάς, Diog. IX 48 ἅπερ αὐτῶν εἰς τὴν εἰσαγωγικὴν τείνει τέχνην. cf. supra p. 162. Arateam isagogen cognovimus p. 18[1] Achillis. similiter Cleomedis cyclica theoria etiam εἰσαγωγή vocatur p. 65 et σχολαί p. 126 et σχολικά p. 93. quae extremis adiecta sunt: εἰσὶ δ' αἱ σχολαὶ αὗται οὐ τοῦ γράψαντος αὐτοῦ δόξας παρέχουσαι, ἀλλ' ἐκ συγγραμμάτων τινῶν ἠθροισμέναι καὶ παλαιῶν καὶ νεωτέρων, ea ad Galenum omnemque scholasticorum eruditionem quadrant. de symmetria etiam a posterioribus petita cf. Mus. Rh. XXXII 481[1].

[2] cf. Censorin. d. d. n. 1 7. Wyttenbachius ad Eunap. II p. 37.

enchiridion fatum nobis invidit, de quo loquitur c. 16 ὅσα μὲν εἰκὸς ἦν περὶ τῶν συντελούντων εἰς τὸ λογικὸν μέρος τῆς φιλοσοφίας εἰπεῖν ἑτέρωθι διῆλθον διὰ πλειόνων.

Adscripsi hunc locum simul ea de caussa, quod ordinis manifestum prodit indicium. nam in codicibus non modo c. 16, quo ad physica transitus fit, sed etiam 17 18 19 et quod ineptius est 15 de demonstratione mediis physicis post c. 35 immiscetur. ergo turbatam esse pristinam capitum collocationem cum ipsa ratio tum illa scriptoris verba clamant. et animum advertit Martianus Rota, qui tamen turbulenta transponendi libidine rem etiam magis implicuit. cuius ordinem sanxit Charterius et editor Lipsiensis, donec Laurentiano protracto fraus patefacta est, unde facile erat erroneis istis capitibus suum assignare locum. prioribus meis argumentis [de Gal. H. ph. p. 16 sqq.] unum addo, quod c. 35 ὅσα κατ' ἀρχὰς περὶ θεοῦ λέγοντες παραλελοίπαμεν, ταῦτα νῦν ἐροῦμεν absurde moneretur, nisi ipsa haec capitis 16 de deo disputatio prius lecta esset. ex eisdem verbis haud scio an mutatae sedis causa appareat. capita 16—19 et 15 in cod. A, ut hoc utar, folium sesquialterum complent, quae si ad duorum foliorum spatium diducta fingas (potest autem factum esse ut quaedam interciderent), quaternionis compage soluta plagulaque excussa incerta sede vagabantur. quod si fieri potuisse concedis, quidnam librario non dico docto sed qui scriptoris verba intellegeret pronius erat magisve ignoscendum, quam quod disputationem de deo loco motam capiti 35 περὶ θεοῦ adnexuit? transpositorum capitum qualis fuerit inter se conexus, liberum coniectaturis relinquo. unum est apertum archetypi condicionem fuisse pessimam atque varia corruptione infelicissime vexatam. lacunae aut indicatae aut dissimulatae compluriens apparent, nulla maior quam in cap. 3. enumerantur enim successionum variae vices, quas post Phaedonem Elidensem Anaxarchi mentio intempestive intercipit. paulo infra Peripateticorum familiae Epicurus contubernalisque Metrodorus adiunguntur. qui simulatque nominati sunt, ecce de caelo delapsus Pythagoras. deinde aperta est lacuna, post quam Italicae successionis series iusto filo ad Protagoram usque perducta est. qui idem praeter exspectationem agmen claudit. iam confer cum tristissima perturbationis imagine sincerum capitulorum ordinem, quem certissima ratione restituimus. perspicies vetusti libri folium quoddam situ corrosum discerptum esse in panniculos, quorum pars interiit, alii prompta medicina a librariolo hiulcis vulneribus tamquam linamenta infarti sunt. sed vel hanc operam boni consuleremus — facile est enim resuendi negotium — modo ab interpolationibus abstinuisset, quae ipsa oratione Byzantinae barbariae indicia produnt. εἰσὶ δὲ τῶν γεννικωτέρων φιλοσόφων ἴνδικες δύο, τινὲς μὲν Ἰταλιῶται ὧν Πυθαγόρας εὑρετὴς γεγένηται καὶ ὁ κατὰ τὴν Ἐλαίαν ἀκμάσας. fraudem praeter orationem vel inde tenes, quod Galeni nunc mutilata successio tripartita fuit non bipartita quam voluit ille.

Omnino latius patet haec interpolatio ex scholastico usu affricta prae-

cipue in libelli principio, dum ardebat adulescentulis commentandi studium. sunt autem interpolationum genera tria. unum versatur in sententiis potioribus repetendis velut c. 1 διὸ προσεπάγει τῇ φιλοσοφίᾳ τὸ ἠθικόν, καθ' ὃ συνέστησε τὴν προαίρεσιν τῶν κάλλιστα ζῆν πεισθησομένων. eiusmodi paraphrases in scholicis libris sunt pervulgatae. alterum est inde ortum quod ex ore magistri notulas addunt ut c. 1 διαλεκτικήν explicatur δι' ἧς πείθονται ταχέως. c. 3 Plato ubi primum adparet, singulari honore afficitur διαβεβοημένος nuncupatus. eiusdem fabricae est logica adnotatio post c. 4. tertium et tritissimum genus est glossematum. quae qui adiecerunt, nihil tam vulgare legebant quin vulgariore aut saltem alio vocabulo explicarent. sic ridicule ἀρίστου βίου c. 5 adposito ἀρίστης ζωῆς illustratur. ceterum omne illud adnotandi studium refrigerato calore ad finem versus paulatim rarescit.

Cum neque compilatoris sollertia neque codicum profecto bonitate historia philosopha ullo modo commendetur, si quid laudabile videtur fontibus compilatis est tribuendum. ipsius prooemium sane quam inficetum statim successiones excipiunt ex optimo compendio transcriptae. Laertii Eusebii Epiphanii successiones supra tetigi. ab eis aliquantum recedit Galenus, qui artissimo vinculo cum Clementis conspectu coniunctus est, cuius hoc propono, ut comparatio fiat, propagationis stemma. Strom. I 62—64 p. 352 sqq. P.

Ἰταλική			Ἰωνική	Ἐλεατική
Πυθαγόρας			Θαλῆς	Ξενοφάνης
			Ἀναξίμανδρος	Παρμενίδης
			Ἀναξιμένης	Ζήνων
			Ἀναξαγόρας	Λεύκιππος
			Ἀρχέλαος	Δημόκριτος
			Σωκράτης	Πρωταγόρας
	Πλάτων		Ἀντισθένης	Μητρόδωρος
Ἀριστοτέλης	Σπεύσιππος		Κράτης	Διογένης
Θεόφραστος	Ξενοκράτης		Ζήνων	Ἀνάξαρχος
Στράτων	Πολέμων		Κλεάνθης	Πύρρων
Λύκων	Κράτης	Κράντωρ	Χρύσιππος	Ναυσιφάνης
Κριτόλαος		Ἀρκεσίλαος	καὶ οἱ μετ' αὐτόν	Ἐπίκουρος
Διόδωρος		Ἡγησίνους		
		Καρνεάδης καὶ οἱ ἐφεξῆς		

Clementis successiones ipsae, quamvis adventiciam subinde eruditionem, ut solet, addiderit, paene in catalogi exilitatem contractae sunt. eo magis mirandum est quantopere in hoc loco sibi respondeant

Clemens Strom. I 63 p. 353 P.	Galenus c. 3 p. 226 K.
Πολέμωνος δὲ ἀκουσταὶ Κράτης τε καὶ Κράντωρ, εἰς οὓς ἡ ἀπὸ Πλάτωνος κατέληξεν ἀρχαία Ἀκαδημία. Κράντορος	Πολέμων . . . ⟨Κράτητος καὶ?⟩ Κράντορος γέγονε καθηγητής εἰς ὃν κατέληξεν ἡ ἀρχαία Ἀκαδημία. τοῦ δὲ Κράντορος

δὲ μετέσχεν Ἀρκεσίλαος ἀφ' οὗ μέχρι Ἡγησίνου [codd. ἡγησιλάου] ἤνθησεν Ἀκαδημία ἡ μέση.	ἀκουστὴς ἦν Ἀρκεσίλαος ὃς τὴν μέσην Ἀκαδημίαν ἐπινενόηκεν ἥτις μέχρις Ἡγησίνου ἐπιμεμένηκεν.

inter utrumque tantum est discriminis, quantum a scriptorum diverso consilio satis habeat explicationis. Galenus uberior, qui Diogenis Cynici Academicorum iuniorum Diogenis Babylonii Antipatri Posidonii plurium Socraticorum nomina servavit, Clemens, qui brevior est in ceteris, Peripateticorum post Stratonem Diogenisque cum Anaxarcho memoria superat. quare qui ex tali discrepantia diversas scriptorum quibus usus est uterque aetates rimari voluerit, errabit. nam in principum fere nominibus consulto se continuisse videtur Clemens, quique succedebant minuti philosophi, eos non nescivit sed exscribendi taedio brevissime comprehendit [καὶ οἱ ἐφεξῆς cetera]. nec epitomes formam ipse dissimulavit, qui orsus est § 64 ἡ μὲν διαδοχὴ τῶν παρ' Ἕλλησι φιλοσόφων ὡς ἐν ἐπιτομῇ ἥδε. utriusque igitur successionis *facies non una, nec diversa tamen, qualem decet esse sorores*. quis pater fuerit, quaeris? Clementis tabulae admixta sunt ut dixi altioris doctrinae vestigia. nobilissimorum scriptorum nominibus tamquam imbre obruimur. en tibi Hippobotum Aristoxenum Aristarchum Theopompum Neanthem Leandrum Herodotum Timonem! at nemo eiusmodi successiones condidit. nam Hippobotus cuius aetas et ingenium a talibus minus abhorret — si modo Nietschei subtilioribus coniecturis quidquam subest veri [Mus. Rh. XXV 224] — is argutius et a trita semita recedens sectarum cognationem scrutatus est. neque enim cum Cynicis ille sed cum Megaricis Zenonem coniunxit [Laert. VII 25]. nomen igitur tenebris equidem non eripiam. de aetate non multo certiora dabo. Galenus Philonis et Antiochi quartae et quintae academiae conditorum meminit. haec enumeratio ipsorum philosophorum aetati aliena. nam duas academias distinguunt et Varro et Cicero Platonis illam seniorem et ab Arcesila adulescentiorem non ignari illi, quid intersit inter Philonem Carneadem Antiochum [cf. Fabric. ad Sext. Pyrrh. H. I 220. Krische Goetting. Stud. 1845 p. 176]. recentiores ut Sextus l. c. et ex eodem fonte Eusebii compendium [P. E. XIV 4 16 cf. supra p. 169, v. Numenii fr. 8 Thedinga.] tres academias addunt. omnis successionum propagatio in Tullianam aetatem desinit,[1] ut ipsi eclectici tabularum quibus posteri utebantur auctores fuisse videantur. parca quidem in omnibus Epicureorum mentio, quibuscum ne illorum quidem effeta et decolorata philosophia umquam in gratiam rediit. unde haud scio an Epicureorum vituperatio fluxerit, quam servavit Galenus c. 3 Ἐπίκουρος

---

[1] idem factum in indicibus Herculanensibus Stoicorum et Academicorum, quos Philodemum in suum usum concinnasse coniecit Gomperzius [Ien. Litteraturz. 1875 n. 539]. quid de Nietschei temeritate dicam ceteras praeter Epicurum sectas iam Augusti aetate exstinctas affirmanti, nescio [Mus. Rh. XXIII 641]. tu vide Zumptium ueber den bestand der philos. schulen in Athen und die succession d. schol. p. 53 cui multa possunt addi.

δὲ κατολιγωρήσας ὥς τινες ὑπειλήφασι τῆς κατὰ φιλοσοφίαν σεμνότητος ἐπί τινα τρόπον μετελήλυθεν [?] οὐ πάνυ παρὰ τοῖς ἀκριβέσι τῶν φιλοσόφων εὐδοκιμηκότα. sed enim apud inferiores quoque Epicurei perpetuis maledictis figuntur.

Nihil de fonte expresso docemur c. 4, ubi singularum sectarum nomen unde cuique inditum sit, scholastico more disseritur. similiter praeludunt Aristotelis interpretationibus Simplicius in Categ. praef. 5 fol. 1 E, Ammonius in Categ. AA fol. 2 a Ald., David schol. Brand. p. 22ᵃ 42, Philoponus ibid. p. 34ᵇ 23. neque tamen inde hanc prooemii partem novicio more a Galeno additam esse recte concludas. testis est non solum Hippolytus I 20 p. 40 Gott. non valde antiquum illic scriptorem secutus, sed etiam Laertius I 17 cui fontes si non optimos at veteres tamen illo loco ad manus fuisse constat. quid? Cicero ubi [Acad. I 4 17] Peripateticos ab inambulando, Academicos ab Academia dictos esse refert, nonne similia iam in Antiochi Ascalonitae schola [cf. I 4 14] agitata testatur? c. 5 philosophiae definitiones proponuntur. quarum mediam Stoicorum esse Plut. Placit. prooem. 2 confirmatum habemus. neque tamen inde eam manasse credam. videamus porro cetera.

C. 6 tripartita philosophia docetur, quam a Xenocrate olim propositam a Stoicis deinde sancitam [cf. Wynpersse de Xenocrate Lugd. Bat. 1822 p. 67] Diogenes I 18 et quilibet alius tradit. c. 7 de sectarum differentia optimae notae est et Stoici coloris. Scepticorum antiquos solos novit Zenonem Anaxarchum Pyrrhonem, Aenesidemi non meminit. Xenophanis memorabilis est memoria, quae simillime traditur apud Sextum P. H. I 225 cf. supra p. 111[3]. c. 8 de philosophandi principio plane eodem modo continuatur. adverte extrema: αἰτία δὲ φιλοσοφίας εὑρέσεώς ἐστι κατὰ Ξενοκράτη τὸ ταραχῶδες ἐν τῷ βίῳ καταπαῦσαι τῶν πραγμάτων. praeter ipsam memoriae novitatem [cf. Krische forsch. 320] memorandum est Sextum ab hac definitione auctore celato disputationis suae exordium sumere Pyrrh. H. I 12 ἀρχὴν δὲ τῆς σκεπτικῆς αἰτιώδη μέν φαμεν εἶναι τὴν ἐλπίδα τοῦ ἀταρακτήσειν. quod autem idem ἀρχὴν αἰτιώδη et ἀρχὴν συστάσεως [ibid. p. 5, 14 B] suae doctrinae accommodavit, quae in Galeni capite copiose definiuntur, hoc tibi gravioris disputationis tamquam gustum praelibatum volo.

Agitur de proximorum capitum [9—19 21—23] origine. quibus cum interiorem cognationem cum Sextianis definitionibus intercedere olim vidissem, statim hinc Galenum copiolas suas solito more deflexas et immutatas putavi. huic opinioni adverso fronte occurrit R. Volkmannus [observ. miscell. Iaueri 1873 p. 16], qui ad ipsos fontes utrumque adiisse probabat. quocirca iterata quaestione rem quoad fieri potest profligabimus. atque c. 9 de signo nihil continet quod non in variis Hypotyposeon locis legatur. sed fatendum est, Sextum si descriptum credimus, Galenum insigne assiduitatis dedisse exemplum. vide modo. definitio signi ex II 104 [cf. 101 ἐνδεικτικόν] petenda erat. tum divisio σημείου ἐνδεικτικοῦ et ὑπομνηστικοῦ extat § 100. iam admirare hominis sagacitatem,

qua ex longinquo spatio § 106 — hoc et me olim et Volkmannum praeteriit — idoneum sibi exemplum arcessiverit. videamus reliqua.

C. 10 ut ineptiarum compilatoris mirum specimen mitto [cf. Prantl Geschichte der Logik I 609]. c. 11 cum Sexti cognato loco II 272 ita non conspirat ut pleraque distent. cuius λόγος διὰ βραχείας ὑπομνήσεως εἰς ἔννοιαν ἡμᾶς ἄγων τῶν ὑποτεταγμένων ταῖς φωναῖς πραγμάτων quomodo tandem Galeno exemplo credis fuisse scribenti ὅρος δέ ἐστι λόγος σύντομος εἰς γνῶσιν ἡμᾶς ἄγων ἑκάστου πράγματος ἢ λόγος διὰ βραχείας ὑπομνήσεως ἐμφανὲς ἡμῖν ἀπεργαζόμενος τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα? certius iudicabis si consimilia excerpta partim cum Galeno partim cum Sexto facere videris. confer inprimis scholia ad Dionysium Thracem [anecd. Bekk. p. 647, 18] cum Sexto p. 106, 21 Bekk. atque eadem 648, 10 ἄλλοι δέ φασιν ὅτι ὅρος ἐστὶ λόγος σύντομος δηλωτικὸς τῆς φύσεως τοῦ ὑποκειμένου πράγματος cum Galeno cf. Quint. VII 3 3. deinde conferendae Pseudo-Galeni defin. medic. XIX p. 348 sq. K., quarum duae [1] plane Sextianis sunt similes. haec ad vetustiorem librum digitum intendunt, unde Galenus quae addit οἱ μέν εἰσιν οὐσιώδεις οἱ δὲ ἐννοηματικοί sumpserit necesse est. desunt autem in Sexto.

C. 12 de criterio convenit, nisi quod indicii duplex usus inverso ordine profertur. praecedit in Galeno definitio alteri ignota. quam Sextus bene explicat subdivisionem κοινῶς ἰδίως ἰδιαίτατα, ille significat dumtaxat. nec multum distat c. 13 de vero. nam quae Volkmanno discrepare videntur Sexti τὸ δὲ ἡγεμονικὸν σῶμα. ἔστι γὰρ κατ' αὐτοὺς πνεῦμα atque Galeni τὸ δὲ ἡγεμονικὸν πνεῦμα εἶναι δοκεῖ ὅπερ σωματοφυὲς μάλιστα ἂν εἰκότως δοκοίη ea verbis tantum differunt. gravius est c. 14. Sextus de divisione contractior est, cum definitione careat et quattuor exemplis se contineat, quae alter auxit. enimvero ad quem numerum adscenderit, hodie non iam constat codicibus istic truncatis. scholia autem Dionysiana [anecd. Bekk. p. 679, 8 sqq.], quae non sine fructu adhiberi dixi, octo praebent.

C. 15 de demonstratione continet Stoicorum celebratos quinque ἀναποδείκτους Sextianis tam congruos ut in proecdosi desperatae memoriae hinc salutare petere potuerim emendandi instrumentum. unum tamen festinantius ad Sexti modulum conformavi quod ipsum diversae originis indicium est certissimum. quid enim? Sextus quintum syllogismum efficit ἐκ διεζευγμένου καὶ τοῦ ἀντικειμένου ἑνὸς τῶν ἐπεζευγμένων τὸ λοιπὸν συνάγοντα. quid fuit causae Galeno, cur ceteroqui consentiens unum τῶν ἐπεζευγμένων mutaret? nec temere invertit, sed eum sermonem adhibuit (τῶν ἐν τῷ διεζευγμένῳ) qui Stoicis fuit in usu Diogenisque [VII 80] patrocinio satis munitur. hocine ab homine qualem tu perspexisti ea praesertim aetate ubi regnante Aristotele Stoicorum praecepta diu contempta iacebant, de suis bonis variandi causa novatum credis? nullum, mihi crede, aptius est exemplum, quo communis fontis origo necessario

[1] p. 349, 2 ὅρος ἐστὶ διὰ βραχείας ὑπομνήσεως εἰς ἔννοιαν ἡμᾶς ἄγων τῶν ὑποτεταγμένων ταῖς φωναῖς πραγμάτων. ἢ ὅρος ἐστὶ λόγος τὸ ⟨τί ἦν cf. Sext. p. 106, 21⟩ εἶναι δηλῶν.

postuletur. ergo vides Volkmanno me victum manus dare, ut mireris cur simplicissimae rationis ego olim patronus esse noluerim. sed enim restat difficillima quaestio, qua velut arce nisus contraria defenderam. quam cum Volkmannus omnino non tetigerit, nunc ipsi contra priorem meam opinionem mihi pugnandum erit.

Secuntur enim cc. 16—19, quibus ex elementorum vestibulo in ipsa physicorum penetralia introducit mystagogus. cuius verba *plena ruris et inficetiarum* si feliciter superaveris, iam pleniorem disputationem accipies optimae notae et antiquum colorem haud obscure prodentem. ipse scriptor ab antiquorum consuetudine auspicatur hanc libri partem τῶν οὖν πρότερον ἀπὸ τῶν ἀρχῶν τῶν τε δραστικῶν καὶ τῶν ὑλικῶν ἡργμένων τῆς φυσικῆς πραγματείας, ταὐτὰ ἡμῖν εἰκότως διανοηθέντες ἁρμόττειν νομίζομεν ἀπὸ τούτων τὴν ἀρχὴν ποιεῖσθαι τῶν λόγων. εἰρηκότων τοίνυν ἐκείνων ὡς τὸ πάντων δραστικώτατον αἴτιον τῶν ὄντων καὶ γινομένων ἐστὶ θεός, καὶ νῦν ὁμοίως ἡμῖν ποιητέον. qua partitione proposita de causa efficiente Platonis Stoicorum Epicureorum similibusque quaestionibus disserit, tum c. 18 de materia docte et distincte disputat. finem facit c. 19, quo principii et causae differentia eadem disserendi subtilitate exponitur. ex hac tam arta ac continua rerum serie unum c. 18 velut exsectum in Sexti hypotyposeon l. III 30—32 recurrit, ceterorum autem argumentorum nihil nisi umbra quaedam per Sceptici verbosam refutationem pellucet ita ut quae apud Galenum iusto disputandi flumine proferuntur ab illo pro libidine quasi membratim disiecta ac diffusa videas. ac prooemium quidem ab eisdem fere verbis utrimque. cum Galeni verbis c. 16 quae expressi mire concinunt Sextiana III 1 (p. 119, 11—17 B.) ἀρξόμεθα δὲ ἀπὸ τοῦ περὶ ἀρχῶν λόγου καὶ ἐπειδὴ παρὰ τοῖς πλείστοις συμπεφώνηται τῶν ἀρχῶν τὰς μὲν ὑλικὰς εἶναι, τὰς δὲ δραστικάς, ἀπὸ τῶν δραστικῶν τὴν ἀρχὴν τοῦ λόγου ποιησόμεθα . . . . . οὐκοῦν ἐπεὶ θεὸν εἶναι δραστικώτατον αἴτιον οἱ πλείους ἀπεφήναντο πρότερον περὶ θεοῦ σκοπήσωμεν. Galenus haec continuat Πλάτων θεὸν ἀσώματον, Ζήνων δὲ σῶμα περὶ τῆς μορφῆς μηδὲν εἰρηκότες, quorum e Sexto inter aliena haec infuscata redditur imago § 3 οἱ μὲν σῶμά φασιν εἶναι τὸν θεόν, οἱ δὲ ἀσώματον καὶ οἱ μὲν ἀνθρωποειδῆ, οἱ δὲ οὔ. etiam brevius Galeni τόπον δὲ κρατεῖν ὡρισμένον καὶ κινεῖσθαι μεταβατικῶς μὲν Ἐπίκουρος αὐτὸν εἰπεῖν ἐπιχείρησεν ille reddit καὶ οἱ μὲν ἐν τόπῳ, οἱ δὲ οὔ, quibus quae addit οἱ μὲν ἐντὸς κόσμου οἱ δὲ ἐκτός invicem desiderantur in Galeno. porro huius uberior Stoica dei definitio neglecta est illi, nisi quod Galeni προνοεῖν τε τῶν ἀρχομένων κατ' ἀρετήν iam non codicum solum auctoritate sed etiam Sexti similitudine defenditur, cuius est p. 120, 11 B. 'τὸ ἐνεργοῦν κατὰ ἀρετὴν καὶ προνοοῦμενον τῶν ὑφ' ἑαυτὸ τεταγμένων. *contra sentire qui* τὸ ἀνέργητον καὶ μήτε αὐτὸ πράγματα ἔχον μήτε ἑτέρῳ παρέχον μακάριον *opinentur*.' huic opinioni suum reddit auctorem Galenus: Ἐπίκουρος . . . λέγων τὸ μακάριον καὶ ἀδιάφθαρτον οὔτ' αὐτὸ πράγματα ἔχειν οὔθ' ἑτέρῳ παρέχειν. itaque plenam ubique et testatam decretorum varietatem a Sexto consulto praecisam esse vides. quod

ab Hypotyposeon consilio peculiari satis habet sive explicationis sive excusationis. nam ὑποτυπώσεων esse τὰ καθολικώτερα κινεῖν ipse tertio libro praefatur p. 119, 9 B.

C. 17 de mundi origine et interitu, exin de deo materiaeque coniunctione plane eodem filo continuatur. at horum apud Empiricum nec vola nec vestigium. quo maior concordia in c. 18 de materia. en ipsa transitio eisdem verbis concepta

Sexto III 30	Galeno c. 18
περὶ μὲν οὖν τῆς δραστικῆς τοσαῦτα νῦν ἀρκέσει λελέχθαι συντόμως δὲ καὶ περὶ τῶν ὑλικῶν καλουμένων ἀρχῶν λεκτέον.	καὶ περὶ μὲν τῆς δραστικῆς αἰτίας ἐπὶ τοσοῦτον. διεξελθεῖν δ' ἂν εἴη καιρὸς καὶ περὶ τῆς ὑλικῆς.

diversa secuntur ex Sceptici consilio pauca quae interiacent. tum vero physicorum series tam similiter a Pherecyde ad Stratonem deducitur, ut quid differat quam quid conveniat citius indices. ut mittam vocum varietatem, Hipponis et Oenopidis opiniones mutato ordine a Galeno proferuntur Stoicique ex communione Empedoclis soluti propriam ante Aristotelem sedem obtinent. gravius quod Empedoclis decretum multo accuratius proditur, cum quattuor elementis concordia et discordia apposita sint. fortuitum videatur, quod Heraclides Asclepiadesque Anaxagorae praemissi sunt. nihil igitur impedit, si quidem sui iuris esse Galenum recte perspeximus, quin haec quoque uberioris fontis indicia existimemus. at e Sexto ipso insperatae quiddam oboritur difficultatis. is enim in disceptatione advers. math. IX 359 eosdem iterum philosophos in aciem produxit eodem ordine eisdemque paene verbis, ut de origine dubitare non queas. at inter cognita nomina non nulla nova exsurgunt neque ea hercle collecta e trivio. post Anaximenem nominatur Idaeus Himerensis, cuius memoria praeter unum hunc locum prorsus exstincta est, tum Archelai et Heracliti duplex opinio profertur καὶ κατ' ἐνίους Ἡράκλειτος ἀέρα itemque post Hippasum καὶ κατ' ἐνίους Ἡράκλειτος πῦρ. doctius etiam sonat quod Epicureis additur εἰ μή τι ἀρχαιοτέραν ταύτην θετέον τὴν δόξαν καὶ ὡς ἔλεγεν ὁ Στωικὸς Ποσειδώνιος ἀπὸ Μώχου τινὸς ἀνδρὸς Φοίνικος καταγομένην. extremus apparet Stratonis vice Plato cum ideis. versus Xenophanis atque Empedoclis ex libro adv. math. X 314. 315 a librario inscite additos esse diu est perspectum. reliqua autem additamenta a Sexto ipso haud dubie profecta sunt. iam mihi solve istuc aenigma: idem liber si trium exemplorum, Galeni Sextianaeque geminae memoriae, fons est primarius, quo tandem modo explicas, Sexto ipso quod Sexti est similior Galenus? scilicet tanta est prae Sexti altero loco haec similitudo, ut ea potissimum causa adductus ex Empirico descriptum esse olim contenderim, quem errorem ne nunc repetamus satis cautum esse existimo. verum accuratius perpendamus Sextiana illa additamenta et videamus num consona sit eorum cum ceteris indoles. Idaei sane et Platonis opiniones similiter expressae, at offendit Heracliti diversa ac

praesertim Mochi parum opportuna mentio. constat enim in reliquis sana quaedam brevitas quae a verbosa disceptatione et opinionum controversia abhorret. accedit memoriae parva fides. Heracliti aer, quode pridem dubitaverunt viri docti [Krische p. 380 Zeller III 2, 23 Schuster p. 157], unde ductus sit, secundum ea quae p. 210 docui, dubitari nequit. Aenesidemi autem memoria ab eo libro quo Galenus usus est minime sceptico aliena est. quidni ex maturioris lectionis fructibus priorem philosophorum delectum auxisse alienaque infersisse Sextum putamus? ego quidem quid obstet non video, cum praesertim dogmatica post hypotyposes et ex melioribus libris contexta esse appareat [cf. E. Pappenheim de Sexti E. librorum numero et ordine Berol. 1874 p. 15], inter quos fuit Aenesidemus. una sane Idaei memoria intermortua altius erat repetenda, cetera et vel Mochi Phoenicis fama haudquaquam obscura. [1] omnia igitur alterius loci peculiaria vindicamus Sexti iteratis curis. [2] quibus recisis simillima fiunt Galeni Sextique exemplaria. unde quanto opere sint pristino exemplari mancipati, iure mireris. tamen et poterat fieri ut casu eadem utrimque omitterentur et fortasse factum est. singulari enim fortuna contigit, ut quartum exemplum eodem modo compositum sed paulo auctius conferre liceret. quod monstratum olim a Fabricio nunc enodatis difficultatibus prodeat caussae diiudicatae testis gratissimus. exstat in Pseudo-Clementis Recognitionibus, quas a Rufino Aquileensi presbytero latine versas, exeunte saeculo p. Chr. altero Romae conscriptas esse satis constat [cf. Uhlhorn de Clement. Rom. homil. et recogn. Gott. 1854].

Clem. VIII 15	Sext. P. H. III 30
Graecorum philosophi de principiis mundi quaerentes alius alia incessit via. denique ***Pythagoras*** *elementa principiorum numeros esse dicit,*	οἱ δὲ περὶ Πυθαγόραν τοὺς ἀριθμούς
Callistratus [3] *qualitates,*	Στράτων δὲ ὁ φυσικὸς τὰς ποιότητας
Alcmaeon *contrarietates,*	
Anaximandrus *immensitatem,*	Ἀναξίμανδρος δὲ . . . τὸ ἄπειρον
Anaxagoras *aequalitates partium,*	Ἀναξαγόρας δὲ . . . ὁμοιομερείας
Epicurus *atomos,*	Δημόκριτος δὲ καὶ Ἐπίκουρος ἀτόμους
Diodorus ἀμερῆ *hoc est ex his in quibus partes non sunt,*	Διόδωρος δὲ ὁ ἐπικληθεὶς Κρόνος ἐλάχιστα καὶ ἀμερῆ σώματα

[1] cf. Fabric. ad Sexti l. p. 621 cui addendi sunt loci Laertii prooem. 1 [ubi inepte vulgatur antiquo errore Ὦχον pro Μῶχον], Damascii de princ. p. 385, Ampel. lib. memor. II 7.

[2] certissimum testimonium inde capitur, quod etiam tertium X 313 similis catalogus apparet (cf. supra p. 91) sed mixtae et ille eruditionis. inde ad IX 361. 362 Xenophanis Empedoclisque versus manarunt.

[3] corrupti nominis alteram partem Στράτων esse constat. *Calli* ex prioribus velut Πυθαγόρας τὰ τῶν ἀρχῶν στοιχεῖα ἀριθμοὺς καλεῖ residuum videatur.

Asclepiades ὄγκους ***quod nos tumores vel elationes possumus dicere***	Ἡρακλείδης δὲ ὁ Ποντικὸς καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ Βιθυνὸς ἀνάρμους ὄγκους
Democritus ideas	
Thales aquam	Θαλῆς δὲ ὁ Μιλήσιος ὕδωρ
Parmenides terram	
Zenon Empedocles Plato ignem aquam aerem terram	οἱ δὲ περὶ τὸν Ἐμπεδοκλέα πρὸς τοῖς Στωικοῖς πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν
Aristoteles etiam quintum introduxit elementum quod ἀκατονόμαστον ***id est incompellabile nominavit sine dubio illum indicans qui in unum quatuor elementa coniungens mundum fecerit***	οἱ δὲ περὶ Ἀριστοτέλη τὸν Περιπατητικὸν πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν τὸ κυκλοφορητικὸν σῶμα

Clementis seriem ex eadem radice crevisse qua Sextiana et Galeniana, quivis suapte sponte perspiciet. at enim non nimis fuit ille religiosus homo quamvis christianus, cui ab extremis ordiri luberet Pythagoraeque Stratonem continuare quique Democritum ab Epicuri necessaria communione revulsum idearum inventione beat. error ridiculus meherclе nec tamen interpreti librariove iniungendus. qui vel ex Democritei περὶ ἰδεῶν libri [cf. Krische p. 149. Hirzel untersuch. p. 126 [1]] notitia vel ex inscita Platonicarum idearum confusione quam Irenaeus II 14 [Krische p. 153 [1] cf. supra p. 171] tamquam incohavit vel ex idolorum obscura memoria, quod veri similius est [cf. Clement. l. supra p. 131 adlatus], facilem ut in tali scriptore habet explicandi rationem. paulo diversa sunt etiam proxima quae de Parmenide et Platone proferuntur. num suam sibi doctrinam proferat an omissam a ceteris, non dirimo. sed memorabilis est vitii consensus qui intercedit cum cognato Probi loco cf. supra p. 92 [1]. magis tamen abhorrent Aristotelea, quae in Tusculanis Ciceronis I 10 22 17 41 et apud Psellum de omnifar. doctr. c. 97 [Cramer. anecd. Paris I 335] similiter leguntur. cum Aristotele quodammodo coniuncta est Alcmaeonis opinio. nam ille metaph. A 5 p. 986ª 32 dixerat Ἀλκμαίων . . . λέγων τὰς ἐναντιότητας, quod Clementinis accurate respondet. sed ne hoc quidem in communi libro olim infuisse a ceteris omissum praefracte negaverim. nec pertinacius tamen obsistam, si quis eruditionis laudem, quam personatus ille Clemens ambitiosius petit, in supplementis istis adgnoscere velit. [1]

Revertimur igitur undique ad ampliorem quendam librum cuius liniamenta ex Sexto Galenoque adumbravi. quisquis auctor fuit illius compendii, Stoicam disciplinam vel certe artem amplexus est. qua virtute Sexto potissimum acceptus fuisse videtur Stoicorum perpetuo obstrigilla-

---

[1] VIII 7 *non sum ignarus quae sint definitiones philosophorum ex his quae proposuisti. quid consequatur agnosco maxime quia prae ceteris philosophis Epicuri scholas frequentavi. frater autem meus Aquila magis Pyrrhonios secutus est, alius autem frater noster Platonicos et Aristotelicos. itaque cum eruditis tibi auditoribus sermo est.*

tori. [P. H. I 65 τοὺς μάλιστα ἡμῖν ἀντιδοξοῦντας νῦν δογματικοὺς τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς]. utique remissioris ille Stoicus fuit animi cuius testimonia infra apponam. ergo inter Senecae et Antoninorum aetatem, si quid definire licet, ponendus erit. hic igitur liber Galeno ad manum fuit ad cc. 3—20, idem ad cc. 22 et 23 quod Sexti similitudo probat. neque dubito quin indidem c. 24 non vulgaris de anima lucubratio fluxerit Stoico colore penitus tincta. ad hanc opinionem non levè momentum affert, quod Tertullianus apolog. 47 [1] capita de dei natura [Gal. c. 16 p. 241] vi [p. 242] sede, tum de mundo nato innatove [Gal. c. 17] denique de animae statu [c. 24] ea ratione percenset, ut eum eodem compendio usum veri simile sit.

Multo doctiore libro christianus et ipse Dionysius Alexandriae episcopus usus est qui in libris περὶ Φύσεως contra Epicureos disputat. inde Eusebius P. E. XIV 23 memoriam servavit, quae cum Stoico illo compendio in atomorum professoribus mire consentit. dabo extrema §§ 3. 4 ταύτης δὲ τῆς δόξης Ἐπίκουρος γεγόνασι καὶ Δημόκριτος. τοσοῦτον δὲ διεφώνησαν ὅσον ὁ μὲν ἐλαχίστας πάσας καὶ διὰ τοῦτο ἀνεπαισθήτους, ὁ δὲ καὶ μεγίστας εἶναί τινας ἀτόμους ὁ Δημόκριτος ὑπέλαβεν. ἀτόμους δὲ εἶναί φασιν ἀμφότεροι καὶ λέγεσθαι διὰ τὴν ἄλυτον στερρότητα. οἱ δὲ τὰς ἀτόμους μετονομάσαντες [2] ἀμερῆ φασιν εἶναι σώματα τοῦ παντὸς μέρη ἐξ ὧν ἀδιαιρέτων ὄντων συντίθεται τὰ πάντα καὶ εἰς ἃ διαλύεται. καὶ τούτων φασὶ τῶν ἀμερῶν ὀνοματοποιὸν Διόδωρον γεγονέναι. ὄνομα δέ, φασίν, αὐτοῖς ἄλλο Ἡρακλείδης θέμενος ἐκάλεσεν ὄγκους παρ' οὗ καὶ Ἀσκληπιάδης ὁ ἰατρὸς ἐκληρονόμησε τὸ ὄνομα. Dionysii de ingentibus Democriti atomis errorem supra castigavi p. 219 [4]. sed quanta sit eius similitudo cum illo compendio Democritum Epicurum Diodorum Heraclidem Pythagoram comprehendente, neminem fugiet.

Alter liber quo duce ex generali physicorum tanquam promulside ad largiorem dapem Galenus traducit est **Plutarchus de Placitis philosophorum physicis**. unde cum in prioribus pauca suspensa manu ut condimentum adspersa sint (c. 5 20 21), iam a c. 25 ad finem Plutarchus ita regnat, nihil aliud ut praeterea adscitum esse appareat. nam priorum sententiam qui propriam Galeno laudem in his capitibus vindicare studebant, post Fabricii et Heerenii coniecturas olim certissimis argumentis refutavi. qua ratione in eo compilando versatus sit, supra commonstravi, ubi de exemplaris Plutarchei praestantia egi. quo ita usum esse patet, ut ne obrutus quidem aliena mole sua immiscere desineret. sane raro id bene cecidit, plerumque pessime. nam sive exemplum litteris minus compositis exaratum habebat sive dementi quadam

---

[1] cf. ad nation. II 2 unde audaciam orationis *Epicurei* [deum] *otiosum et inexercitum et ut ita dixerim neminem humanis rebus* bene tuearis.

[2] μετονομάσαντες recte CDFG, vulgati codd. μὲν ὀνομάσαντες unde effecerat Zeller II [3] 886 [3] οὐχ ὀνομάσαντες. Diodorum [Alex. ad Arist. d. sens. p. 257, 10. 366, 2 Th.] cum Stoicis post Democritum et Epicurum, tum Anaxagoram recenset Chalcidius p. 377 Meurs. sed nihil est cognationis cum illis.

corrumpendi prurigine ipse correptus erat sive interpolatorum natio libellum ad omnem inscitiae foeditatem detorsit, illud omnium oculis apertum est vix alterum antiquitatis monumentum tanta vitiorum et multitudine et deformitate contaminatum esse. nostrum tamen erat, in eis certe ubi sententiarum forma ac veritas aliunde erat nota, quam paucissima menda detergere. quare non id egimus, quod Martianus Rota fecit, ut saxis salebrisque remotis libellum invito scriptore levigaremus, sed ut eam formam recuperaremus, quam exemplari suo mediastinus ille induisse videretur. ergo foedioribus Byzantinorum soloecismis amputatis hanc partem ad codicum fidem descripsimus, non nullis Plutarcheae emendationis auxilium, pluribus fortasse humanae perversitatis insigne testimonium.

Quae superest de scriptoris aetate quaestio, haesitante manu a nobis tentata erat de Gal. H. ph. p. 23: *ab altera parte cum propter Sexti aetatem certum sit post alterum p. Chr. saeculum confectum esse libellum, alter tamen latius vagatur terminus. sed cum neque oratio quantum pro parva mea cognitione infelicique memoriae condicione dispicere queo infimam prodat antiquarum litterarum aetatem, Neoplatonicorum deinde Christianorumque philosophiae extent indicia fere nulla, sed conspicua sit sophistarum philosophorumque superborum inrisio qua Lucianeae paene aetatis commone fias, non ultra quartum quintumve p. Chr. saeculum descenderim.* multo certiora ne nunc quidem proferre possumus indicia. immo corruant quaedam de his necesse est. memorabilis est locus c. 2 οὐ γὰρ ἐπιδείξεως ἕνεκα προὐστησάμεθα τὴν περὶ τούτου σπουδήν, ἀλλὰ χρηστὰ τὰ ἤθη ποιῆσαι βουληθέντες τοῖς ἐκ φιλοσοφίας λαβεῖν τι χρήσιμον προεγνωκόσιν, νομίσαντες φιλοσοφεῖν οὐ μόνον τοὺς τὰ τριβώνια περιημμένους, ἀλλὰ καὶ τοὺς τὴν πρόοδον μὲν τοῖς πολλοῖς ὁμοίαν ἐνστησαμένους, τὴν δὲ διάνοιαν φιλοσοφωτέραν ἔχειν σπουδάσαντας. sed quare tam angustis finibus sophistarum palliorumque irrisionem circumscribes, quae nulla aetate decantari desita est? recitandi mos cum primum a Graecis primo ante Chr. saeculo ad Romanos est translatus, non intra vulgatam sophistarum materiam se continuit, sed etiam philosophiam invasit, quod Seneca ep. 52, 9 queritur[1], unde Musonius graphice tales non *philosophos* sed *tibicines* depinxit [Gell. V 1 1]. sed etiam antea sophistarum et nomen et ambitionem deprehendas. contra quos Philodemus fortasse Metrodori novem libros πρὸς τοὺς σοφιστὰς secutus rhetorica sua scripsit, in quibus sophistarum praecipue Isocratis creberrima est cavillatio, praesertim cum adulescentulos ad philosophandum se acuere affectent [rhetor. IV ed. Speng. c. 42]. sed haec studia mox incredibile cepere incrementum. iam philosophantium sophistarum augetur numerus, qualis fuit Dio Chrysostomus. qui tamen ipse philosophos notat or. 32

[1] *nec ideo te prohibuerim hos quoque audire quibus admittere populum ac disserere consuetudo est, si modo hoc proposito in turbam prodeunt ut meliores fiant faciantque meliores, si non ambitionis hoc causa exercent. quid enim turpius philosophia captante clamores?*

p. 657, 15 qui ἐν τοῖς καλουμένοις ἀκροατηρίοις φωνασκοῦσιν ἐνσπόνδους λαβόντες ἀκροατὰς καὶ χειροήθεις ἑαυτοῖς.[1] altero saeculo exempla fuerunt τῶν φιλοσοφησάντων ἐν δόξῃ τοῦ σοφιστεῦσαι[2] Favorinus et Maximus Tyrius, postea Themistius nec ante sextum saeculum, cum etiam philosophia obmutuit, sophistae et docere et audiri cessaverunt. Byzantinorum denique temporibus factum ut ex fori ac theatri luce illorum et studia et vita se in pergularum tenebras abderet.

De pallii mala ostentatione quod Galenus obiurgat nullam aetatis notam prodit. Luciani sane aetate et antea nihil est tritius quam τριβωνοφορούντων non sine invidia memoratio.[3] sed quidni postea quoque philosophorum insignia hominibus derisui fuisse putemus? velut Gregorius Nazianz. adv. Iul. orat. IV p. 112 B ed. Bill. τί φήσουσιν οἱ τοῦ αἰῶνος τούτου σοφοὶ οἱ τὰς βαθείας ὑπήνας ἕλκοντες καὶ τὸ κομψὸν περισύροντες ἡμῖν τριβώνιον. Iuliani similes locos collegit Heylerus ad Iuliani epist. p. 347.[4] nam mature a profano vulgo se ambitioso pallii discrimine seiunxerant philosophi et rhetores. illi pullum, rhetores rubrum pallium gestabant. quod accurate docet schol. in Gregor. Naz. [Mignei patrol. gr. XXXVI 906] τρίβωνες δὲ περιβλήματά τινα, τῶν ῥητόρων μὲν ἐρυθροί τε καὶ φοινικοῖ, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. παράσημον δὲ τοῦτο ἦν αὐτοῖς καθ' ἑκάστην φορούμενον ὡς τοῖς πολιτευομένοις [magistratibus] τὸ νυνὶ σκαραμάλιον [l. σκαράμαγκον ex Cyrilli lexico apud Meursium gloss. graecobarb. p. 504, qui eadem repetit]. quanto studio quinto quoque saeculo dignitatis illud signum tutati essent sophistae, Olympiodorus Thebaeus apud Phot. c. 80 [FHG IV 63, 28 Muell.] scite descripsit.[5] sed pallium philosophorum cum philosophis interiit,

---

